SC.13.Pl.11.

.a22 300Z,

Digitized by Google

CHRONOLOGIA, ET CRITICA
HISTORIAE
PROFANAE, ET SACRAE
IN TOMOS VI. TRIBUTA.

UBI

DE VETERUM POPULORUM, ET URBIUM
MENSIBUS, ANNIS, PERIODIS,
CYCLIS, ET EPOCHIS.

MISCELLANEA ITEM MULTA

DE VARIARUM GENTIUM UBIQUE
Originibus, Antiquitatibus, Scripturis, Transmigrationibus, Sacerdotibus, Templis, Aedituis, Asylis, Diis, Ritibus, Festis, Ludis, Magistratibus, Regibus, Legibus, Rebuspublicis &c.

AUCTORE

F. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO

PARS I. TOMUS IV.
PRO ADPARATU
AD LECTIONEM SACRORUM LIBRORUM.

ROMAE MDCCLXVII.
APUD HAEREDES FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

CONSPECTUS

TOMI IV.

PROLEGOMENON V.

DE *Variis ad putandos Annos Periodis, ſive Cyclis apud Orientales, ſive Occidentales adhibitis.* Pag. 1. ſqq.
ARTIC. I. *De Periodis, ſive Cyclis Annorum* 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 30. p. 4. ſqq.
ARTIC. II. *De Periodis, ſive Cyclis Annorum* 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 50. 52. 59. 60. 70. 76. 80. 82. 84. 95. 100. p. 61. ſqq.
ARTIC. III. *De Periodis, ſive Cyclis Annorum* 119. 120. 152. 180. 210. 228. 243. 252. 304. 365. 400. 410. 418. 448. 480. 487. 490. 500. 505. 532. 562. 600. 619. 676. 800. 960. p. 98. ſqq.
ARTIC. IV. *De Periodis, ſive Cyclis Annorum* 1181. 1183. 1184. 1200. 1440. 1460. 1520. 1539. 1700. 1932. 1942. 2030. 2835. 2900. 2920. 2922. 3367. 3400. 3600. 3724. 3760. 4000. 4560. 4617. 5320. 5493. 5501. 5509. 5700. 7980. 9000. 10000. 10108. 10400. 10800. 11600. 12000. 15960. 20300. 36426. 36500. 36525. 40000. 41192. 74800. 81200. 86400. 129000. 143127. 247600. 300020. 165580000. 5472046400. 12246927268. 73481563604. p. 203. ſqq.

PROLEGOMENON VI.

DE *Variis ad putandos Annos Aeris, ſeu Epochis apud Orientales, atque Occidentales excogitatis, uſitatiſque: ubi de Autonomia, Eleutheria, & Ateleja.* p. 268. ſqq.
ARTIC. I. *De Aeris, ſeu Epochis Hebraeorum, Eleutheropolitarum, Hiericontinorum, Nicopolitarum, Ptolemaidenſium, Gabenorum, Tiberienſium, Sepphorenorum, ſive Diocaeſareenſium, Paneadenſium, Juliadenſium &c.* p. 297. ſqq.
ARTIC. II. *De Epochis, ſeu Aeris Samaritanorum, Sichimitarum, ſive Neapolienſium, Sebaſtenorum, ſive Caeſareenſium, Scythopolitarum, Dorenſium, Lyddorum, ſive Dioſpolitarum, Ramathaeorum, Joppenſium, Mariſſenorum, Jamnienſium &c.* p. 368. ſqq.
ARTIC. III. *De Aeris, ſeu Epochis Babyloniorum, Chaldaeorum, Aſſyriorum, Ninivitarum, Aramaeorum, Medorum, Oſrhenorum, Edeſſenorum, Rheſaenorum &c.* p. 424. ſqq.
ARTIC. IV. *De Epochis, ſeu Aeris Perſarum, Elymaeorum, Bactrianorum, Sogdianorum, Arſacidarum, ſive Parthorum, Hyrcanorum, Armoſatenorum, Iberorum, Armeniorum &c.* p. 482. ſqq.

 NOS

NOS FR. JOSEPH MARIA

A SAVORNIANO

VICARIUS GENERALIS

Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum (I. J.)

CUM Opus, cui Titulus eſt: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae, Pars prima in VI. Tomos &c.* a R. P. Hieremia a Bennettis Ordinis Noſtri Ex Lectore, & Cuſtode Generali elucubratum, a duobus ex Ordine Noſtro Theologis de mandato Noſtro, ſedulò, luculenterque reviſum, approbatum, praeloque omninò dignum exiſtimatum fuerit: Hinc praefato ejuſdem Operis Auctori permittimus, ut illud, ſervatis ſervandis, Typis mandare valeat. In quorum fidem praeſentes noſtras ſolito Officii Noſtri Sigillo munitas dedimus. Romae hac die 8. Menſis Auguſti 1767.

Fr. Joſeph Maria, qui ſupra.

Loco ✻ Sigilli.

ADPRO-

ADPROBATIO.

DE Mandato Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Vicarii Generalis Totius Ordinis Noſtri Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, attentè perlegi Opus inſcriptum: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae Pars prima in Tomos ſex diſtributa &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Cuſtode Generali Capuccino compoſitum. Cum autem nihil, & Orthodoxae Fidei, & Bonis Moribus contrarium invenerim; imò potius eruditione ſumma, & doctrina non vulgari refertum, digniſſimum cenſeo, ut Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, dignum videbitur.

Datum ex noſtro Conventu Immaculatae Conceptionis de Urbe die 6. Julii 1767.

Fr. Geminianus a Mutina jam Lector, & Ex-Provincialis Capuccinus.

ADPROBATIO.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Totius Ordinis noſtri Vicarii Generalis attentè perlegi, ac ſedulò perpendi Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae in Tomos VI. &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Philoſophiae, ac Sac. Theologiae Praelectore, & Cuſtode Generali Capuccino accurata diligentia, magnoque ſtudio elaboratum, In eo verò ne leviſſimum quidem mihi occurrit, quod vel Orthodoxae Fidei, vel Bonis Moribus adverſetur; quinimò tanta Opus eruditione, multarumque notitia rerum adeò refertum eſt; atque Gentium antiquitates, origineſque ea in luce collocat, ut Profanae, ac Sacrae Hiſtoriae incumbentibus utiliſſimum fore cenſeam, dignum propterea, quod Typis demandetur, ſi iis ad quos ſpectat, ita videatur.

Ab Aede Immaculatae Conceptionis. Romae 1767. die 15. Julii.

Fr. Cajetanus a Caltaniſſetta Philoſophiae, ac Sacrae Theologiae Praelector, Ex-Definitor, & Cuſtos Gener. Capuccinus.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac.Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Jord. Patr. Antioch. Viceſgerens.

ADPROBATIO.

Reverendiſſimo Patri Thomae Auguſtino Ricchinio Sacri Pal. Apoſt. Magiſtro morem gerens, libenter pervolutavi laborioſum aeque, ac omnigena Eruditione refertum Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Cuſtode Generali Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, Viro praeclaro, & a litteris, ſtudiorumque ſuorum vigiliis commendatiſſimo, elucubratum, & in eo, quod Catholicae Fidei, ac Bonis Moribus adverſetur, deprehendi nihil. Quare dignum publica luce illud cenſeo, utpote Sacrae Profanaeque Antiquitatis, ſanioriſque Critices Studioſis utile ac jucundum.

Dabam e Vaticana Bibliotheca 4. Id. Auguſti 1767.

Stephanus Evodius Aſſemanus
Archiepiſcopus Apameae.

ADPROBATIO.

Quartum eximii Operis Tomum a Cl. Patre Hieremia a Bennettis Ordinis Capuccinorum, ſatis jam noto ob non pauca egregia Volumina in lucem edita, elaboratum, cui Titulus eſt: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae in Tomos ſex tributa &c.* ex Mandato Reverendiſſimi Patris Thomae Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè legi: nihilque in ipſo deprehendi, quod aut Fidei Orthodoxae, vel Bonis Moribus contrarium ſit; immo potius demiratus ſum non vulgarem Eruditionem, ſanioris Criticae uſum, totius Antiquitatis peritiam maximam, quibus praeſtantiſſimus Auctor res difficillimas, & obſcuriſſimas detegit, exponit, & mirificè illuſtrat. Quapropter illum praelo dignum, & Reipublicae Litterariae jucundum, & perutile cenſeo.

Datum in Collegio S. Bartholomaei in Inſula Tyberis 20. Kalendas Septembris MDCCLXVII.

Fr. Petrus a ValleoЄtava Controverſiarum Lector.

ADPRO-

ADPROBATIO.

De Mandato Revmi Patris Thomae Auguſt. Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè legi egregium Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae &c.* Auctore P. Hieremia a Bennettis; nihilque in eo reperi, quod Catholicae Fidei, rectaeque morum Inſtitutioni minus conſonum videretur. Opus verò iſtud, in quo maxime relucent Cl. Auctoris ingenium, & ſingularis eruditio, publici juris dignum omnino eſſe cenſeo, cum ſit perutile, imò neceſſarium iis omnibus, qui Chronologiae, & Hiſtoriae tum Sacrae, tum Profanae, praecipue vero Sacrae Scripturae ſedulam dant operam. Summam profecto laudem meretur Cl. Auctor apud viros doctos, cultioreſque eruditos, ut unuſquiſque ſepoſito partium ſtudio ex diligenti hujus Operis lectione judicare poterit.

Datum Romae ex Monaſterio S. Romualdi die 16. Auguſti 1767.

D. Aurelius Leoni Monachus Camaldulenſis in S. Florentina Univerſitate S. Theolog. Magiſter, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Philoſophiae Lector.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

DE

DE VARIIS

AD PUTANDOS ANNOS PERIODIS, SIVE CYCLIS APUD ORIENTALES, ET OCCIDENTALES ADHIBITIS.

PROLEGOMENON V.

I. DE Gentium diverſarum Menſibus, & Annis diverſis agentes, juxta diverſam earumdem Gentium originem, antiquitatem, mores, inſtituta, atque ſortitum in Orbe ſitum, inditamque natura indolem, eo diverſo noſtra proceſſit ordine oratio, ut ab Hebraeis, Samaritanis &c. dicendi exordium capientes, inde gradum ad Chaldaeos, Babylonios, Aſſyrios &c. facientes, tam Perſarum, Medorum, Armeniorum &c., quam Aegyptiorum, Congenſium, Aethiopum &c. Menſibus, & Annis dein emenſis, ad Indos, Malabaros, Indoſtanos, Thibetanos, Siamenſes &c., Tunchinios, Sinenſes, Japonios &c., Americanos, Mexicanos, Peruvianos &c. oratio ſe transferre noſtra non extimuerit. Reflexo inde gradu, qui uſu Menſes venerint, quaeque uſurpata olim, hodieque fuerit, atque ſit Anni forma Arabibus, Moslemis, Tartaris, Mogulis, Turcis &c., bona, uti pro viribus fieri noſtris potuit, in luce collocare adnixi ſumus. Ampliſſimas per Aſiae regiones perinde ſpatiandum nobis fuit, tum-

que Syros, Curdiſtanos, Syro-Chaldaeos, Caelo-Syros &c. inviſere oportuit; tumque Syro-Hellenes, Arabo-Syri, Syro-Cappadoces &c. ſilentio haud praetereundi erant. Diutius aſt enim apud Macedones immorandum nobis ante fuit, quam ad ſe nos Antiocheni, Seleucienſes, Laodiceni &c. raperent, indeque transgreſſi ea de, quae Gazenſibus, Palmyrenis, Tyris, Sidoniis &c. accepta fuerit, Anni, Menſiumque ratione ſermonem inſtitueremus. Salutatis inde Ponticis, Laodicenis, Phrygibus, Cappadocibus &c., diſcurrendum ad Cretenſes, Gortynios, Lycios, Cyprios, Paphios &c. nobis utique fuit; inquirendumque perinde, quo demum apud Jonios, Smyrnaeos, Epheſios &c. cum antea, tum poſtea Menſes, & Anni loco fuerint habiti. Longiori ſed enim itinere, laboreque conſtitit Graecos adire, deque Genti tam locis, & originibus, quam diſciplinis, & inſtitutis adeo variae Menſibus, & Annis varia ſub aetate uſurpatis recta, aut veriſimilia voluiſſe differere. Queis peragratis longe, lateque Provinciis, ut Superis tandem placuit, in veterum Germanorum, Celtarum, Gallorum &c. aliquandiu Regionibus animo, ſtudioque detentis, atque diſtentis, factum eſt demum, ut tanto defatigatis itinere, defixo utroque noſtro in Italia ſubſiſtere pede fas eſſet; quique Italis noſtris tam Veteribus, quam Nuperis Menſes uſurpati fuerint, quaeque cum Vetus, tum Nupera ipſis uſu Anni forma venerit, in aprico ponere, ſi noſter haud nos fallit amor, liceret.

II. Impraeſentiarum de earumdem Gentium diverſis Periodis, atque Cyclis agendum ſuſcipientes, eidem dicendi haud inſiſtendum ordini ducimus, ſed magis Annorum eam ipſam, quo ipſae Periodi, Cyclique apud ipſas proceſſere Gentes, ſeriem, ordinemque ſequi praeclarum operae pretium faciendum putamus. Juxta varium igitur Annorum, quibus variae Gentibus indiſcriminatim variis adhibitae Periodi ſunt; intervallum, atque numerum ordinate agendo, ab iis, quae paucioribus, ad eas, quae pluribus conflatae ſunt, Annorum numeris, Periodos gradatim procedentes, initium faciemus; veluti recte procedendi ratio ipſa poſtulat, ut a minoribus nempe gradus ad majora, & ab inferioribus ad ſuperiora fiat. Non repetemus autem in hiſce recolendis Periodis ingens,

quo

quo de tamen ſuo diſputare loco non deſtitimus, illud diſcrimen, quod in Annis, & Menſibus diverſas apud Gentes adhibitis interceſſit, adeo ut proinde Cyclorum, & Periodorum, de quibus agendum ſuſcipimus, Annos haud univerſim ad *Julianos*, aut *Gregorianos* exigi oporteat, ſed ipſorum propria, ipſiſque peculiaris habenda profecto ſit ratio, quam late ſuo exponere loco non praetermiſimus. Quamquam etſi quando ad *Julianos*, & *Gregorianos* exigendi Annos illos ab hiſce longe diſpares neceſſitas urgeat, feratque, tum quae illorum habenda foret ratio, opportune admonuimus, ita videlicet ut prae oculis haberentur, qui fuerint, cujatis fuerint Gentis, quot contexti diebus, quo a cardine inceperint, quove finierint termino, ad *Lunae* ne dumtaxat, an ad *Solis* etiam rationes exacti? Ab Aeſtivo ne, an ab Hyemali *Solſtitio*, ab *Aequinoctio* ne Verno, an ab Autumnali ineuntes? An *Epagomenis* adaucti; & quolibet anno quidem, an tres poſt, aut quatuor poſt annos, aut plures? An die quoque intercalari quadrienniis ſingulis adcreverint, an ſingulis bienniis diebus 22, aut 23, aut trienniis quibuslibet diebus 33, aut octenniis ſingulis diebus 90, aut 60? Quibus, hiſque ſimilibus haud ſane moroſe animadverſis, jam arduum, laborioſumque haud accidet Gentium Annos, Menſeſque cum Menſibus, Anniſque Latinorum componere. His itaque praelibatis, jam de Periodis diſputatio ineunda ſubit; quam utique Dei O. M. ſub auſpiciis initam, utroque recte progreſſuram fore veſtigio jure ſperamus.

DE PERIODIS, SIVE CYCLIS
ANNORUM

2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 30.

Articulus I.

I. Tam Latinis, quam Graecis Cyclus annorum 2, ſive biennii ſpatium Tempori menſurando uſu olim veniſſe legitur, qui Cyclus Latinis quidem *Ennianus* dictus eſt ab *Ennio*, a quo, Cenſorino referente, ordinatus fuerat. Enim vero *Lunaris* Annus, ſub *Romuli*, ac *Numae* aetate, Romanis adhibitus, alterno dierum nunc 22, nunc 23. ſupplemento ad *Solis* Periodum exaequatus fuerat, adeo ut Annus e diebus 355, modo adjectione 22, adſurgeret ad dies 377; modo adjectione 23, aſcenderet ad dies 378: atque ita Romanum biennium alterno iſto dierum incremento dies nunc 732, nunc 733 colligeret. *Ennius* etenim, ut biennii Romani exprimeret intervallum, Annum *Solarem* diebus 366. definiendum voluit, qui numerus bis acceptus reddit dies 732, quot nempe diebus biennium 1. conſtat, ideſt ex diebus bis 355, & adjectione dierum 22, ſive ex 377, & 355. collectum; ita ut biennium 2. dies 733. colligeret, ideſt ex diebus bis 355, & adjectione dierum 23, ſive ex 378, & 355. conflatum. *Enniani* itaque Anni dierum 355. iſta alterna intercalatione dierum 22, aut 23, fiebant nunc impares, ex diebus 377. contexti, nunc pares diebus 378. conſtantes adeo, ut biennia quoque alterno dierum 377, aut 378. incremento, paria, aut imparia fierent, dies ideſt colligerent, modo 732, modo 733. Sena itaque biennia paria, & minora dies comprehendebant 4392; biennia vero ſena majora, & imparia dies complectebantur 4398: quibus ſimul junctis, dies fiebant 8790, qui Solares anni 24. *Enniani* erant. Atque hi utique *Enniani* 24. Anni, ſive bis ſena biennia iſthaec, celebrem effecere *Numae Pompilii* Cyclum,

clum, ſive Periodum Romanam annorum 24: quibus evolutis, *Lunaris*, & *Solaris* Anni cardinem ad idem prorſus, e quo digreſſus fuerat, punctum, & initium regredi pridem Romanis erat perſuaſum, Livio teſte lib.1. cap.8, alias 19, edit. Ven. recentiſs., quo loci de *Numa* loquens ſic habet: ***Intercalares Menſes interponendo ita diſpenſavit, ut viceſimo quarto quoque anno ad metam eamdem Solis, unde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.*** Adeundus inter alios, qui hoc de Cyclo plura deſcribit, Erycius Puteanus de Biſſexto cap.3. Antiq. Rom. Graevii T.VIII. edit. Ven. p.427. ſq. Quamquam Livium eo loci legendum non 24, ſed 20. dumtaxat contendit Petitus Eclog. Chronolog. de Anno, & Periodo Vet. Roman. cap.1. eodem Antiq. Rom. T.VIII. p.376, locumque a M. Antonio Sabellico interpolatum fuiſſe, poſitumque annum 24. contra fidem Codicum, quum & in Editis, & in Aldino Mſ., velut etiam notavit Sigonius, habeatur annus 20. Qua nempe ex Periodo annorum 20. tres alias Petitus annorum tum 10, tum 40, tum 80. Romanis adhibitas conatus oſtendere: qua de re infra hoc ipſo Art.I. §§.XIX, & XX, & Art.II. §§.I, & X, ubi tam Petiti Livium eo loci 20. habere putantis, ut inde *Romanam* Periodum annorum 20. confingere quiret, quam etiam Scaligeri eodem loci apud Livium 22. fore legendum pugnantis, ut inde Periodum *Romanam* annorum 22. ipſi conflare fas eſſet, inanes fuiſſe conjecturas, meraque figmenta palam fiet.

II. Verum jamdiu ante Romanos in hanc ipſam Anni *Lunaris* ad *Solaris* metam adaptandi curam enixe Graecos incubuiſſe compertum eſt, pari tamen fato, atque ſyderibus infauſtis, quin rem acu tangere, reique ad ſummam pervenire quiverint. Atque ad id profecto operis experimentum primo feciſſe *Thales* itidem in biennio fertur, ſive in Cyclo annorum 2. ipſis *Διετηρίς* dicto. Graecis videlicet antiquitus *Lunaris* annus dierum 347. dumtaxat fuerat, Cenſorino de Die Nat. cap.18. ſq. referente, in Menſes 12. diſtributus, quorum 11. dies 29. colligebant, 1. dies 28. Biennium vero quodlibet Menſe intercalari adauctum dierum alternatim 29, & 28, *Lunae* rationes ideo ſuperabat diebus 15. Namque ex duobus vertentibus

tibus dierum 347, & *Embolimaeo* uno dierum 29. *Trieteris* fiebat dierum 723: quum tamen in duobus *Lunaribus* dierum 354. *Trieteris* fieri deberet dierum 708. Itaque Graeci compertum deinceps habentes Annum *Lunarem* diebus 354. reapſe conſtare, ideoque in ſingulis bienniis a ſe conſtitutis dies 15. ſuperabundare, dies 15. hoſce demum in ſequentem erogandos *Trieteridem* exiſtimarunt. *Solarem* perinde diebus 365. conſtantem habentes, eumdem *Tetraeteridis* etiam ope cum *Lunari* componere ſtuduere. Ita nempe exceſſus dierum 11. praeciſe ſupplendus ipſis viſus eſt adeo, ut altero quoque anno Menſem intercalandum duxerint ex diebus bis 11, ſive 22. contextum: quem ideo Ἐμβόλιμον *Injectitium* vocabant, adeoque ut anni 3. initio *Lunaris*, ac *Solaris* Anni principium ad idem prorſus regredi punctum autumarent. Totum id itaque temporis intervallum, biennii hoc eſt, Τριετηρὶς, ideſt *Triennium*, Graecis olim celebris erat, etſi revera Διετηρὶς tantum, ideſt *Biennium* eſſet: qua de re conferendi Herodotus lib.1.cap.22, & lib.2. cap.4, Cenſorinus cap.18.ſq., Geminus Iſag.cap.6, Potterus Archaeolog. Graecae lib.2.cap.26. Antiq.Graec. T.XII. edit.Ven.p.421.ſq.&c. Quae vero de Chaldaica *Dieteride* commentus, ingenioſe caeteroqui Pontedera eſt, ceu firmo deſtituta fundamento, viden ut a nobis Volum.I. de Menſibus, & Annis Babylon. &c. Art.II. §.xxiv.p.448.ſqq. ſufflata ſunt. Verum poſtea dies 30. praeterea duos poſt Annos *Lunares* intercalare docuiſſe fertur *Thales*, idque confirmaſſe perinde *Solon*, adeo ut Biennium iſtud ad dies 740. aſſurgeret. Recolenda, ſi placet, quae fuſius hac ipſa de Periodo tradita nobis ſunt Art.IX. de Menſ., & Annis Athen. &c. p. 333. ſqq. Hinc profecta *Myſteria*, quae alternis quoque annis *Libero* Patri Romae praeſertim, atque Thebis celebrari ſolebant, atque *Trieterica* Poetis dicta paſſim leguntur, veluti Virgilio Aeneid.v.302, ubi Servius adnotat *Libero*, idcirco *Nyctelio* nuncupato, *Orgia* iſta tertio quoque anno invocari ſolita Noctis tempore, unde *Nyctelia* etiam denominata, ineunte Vere celebrari vino, omniſque genus turpitudinibus conſueviſſe: quod notatum etiam eſt Clementi Alex. in Protrept., S. Auguſtino de Civit. lib.18. cap.13, & Prudentio in Symmachum lib.1: qua item

de

de re adeundi, ſi libet, Dempſterus ad Roſini Antiquit. Rom. lib.2. cap.11. p.186. ſq., Wolfangus Lazius Graeciae antiquae lib.1. cap.8. Antiq. Graec. Gronovii T.VI. edit. Ven. p.3500. ſqq., & Joſephus Laurentius in Variis Sacris Gentil. cap. 22. Antiq. Graec. T.VII. p.237. ſq. Hanc ipſam tertio quoque anno Menſem 1. dierum 33. ad anni finem intercalandi rationem, utcumque ſe haberet, aliquando ſequuti Hebraei, & Arabes ſunt: antiquiſſima ſiquidem apud Graecos, atque primum apud ipſos obtinuiſſe inde videtur, quod *Annus Magnus Cadmi*, & *Minois* adpellata *Octaeteris* ſit Homero Odyſſ. T.' ver.179. Apollodoro lib.3. p.169, & Straboni lib.16. p.476.

III. Aſt enim intercalatio iſta, ſive *Trieteris* diebus 20. abundabat: Annus ſiquidem dierum 360. dumtaxat ſupputatus dies intercalares 10. dumtaxat intra biennium, non dies 30, multoque minus dies 33, admittebat. Ad haec iterum animadvertentes Graeci errorem inſuper ex eo ſubeſſe, quod *Solaris* Annus, praeter dies 11, adhuc diei quadrantem complecteretur, ſive horas 6. ipſis pridem neglectas, quae ſane annorum 4. ſpatio diei 1. promotionem efficerent, intercalationem proinde anno 4. quoque faciendam dierum nempe quater 11, & unius, ideſt dierum 45, ſive ſeſqui Menſis, auctore *Solone* ut aliquibus videtur, arbitrati ſunt. Quem plane Graecorum intercalandi anno quoque 4. dies 45. morem Siculis, ac Cephaleditanis acceptum quammaxime fuiſſe auctor eſt Cicero orat.4. in Verrem. Aegyptiis quoque diu ante Periodum hanc ipſam annorum 4. uſurpatam fuiſſe, ex eaque per dies 360. repetita confectam Periodum *Magnam* annorum 1460. ipſis adeo celebrem, de qua infra, multis oſtendit Puteanus de Biſſexto cap.6. Antiq. Rom. T.VIII. p.433. ſq.; quam tamen longe melius illuſtravit, digeſſitque Alphonſus de Vignoles de Annis Aegyptiacis §.9. ſqq. Miſcell. Berolin. T. IV. p. 5. ſqq. Nempe Aegyptiis tandem quum deprehenſus fuiſſet *Sirius*, ipſis *Sothis*, diebus circiter quinque annis ſingulis annum antevertere, donec anno vulgari 70. ineunte viſus eſt ante triduum, & poſt annum 70. completum, nonniſi die 3. anni ſequentis, ideoque poſt quadriennium (idem dicendum de quadrienniis 17, ſive de annis 68. Julianis), Julianum *Sirium* eodem

dem die oriri ſolere, ex hac proinde obſervatione poſtquam Aegyptii didiciſſent annum ***Caniculo-Solarem*** conſtare diebus $365\frac{1}{4}$. proxime, quadruplicem eidem dirigendo Anno Cyclum ***Sothiacum***, ſive ***Canicularum*** uſurpare cepere, ***Minimum***, qui ex annis 4. ***Solaribus***, ſive diebus 1461. conſtabat, quibus elapſis diebus ***Sirium*** heliace exoriri obſervarant; ***Minorem***, qui annis 69. veteribus major erat, minorque annis 70; anno ſiquidem 69. ***Sirius*** triduo anticipare ortum viſus eſt, annoque inſequenti 70. triduo ortum retardare; ***Majorem***, qui ex annis 480. ita conflatus erat. Enim vero nonniſi poſt ſeptem revolutiones annorum alternatim 69, & 70. ipſo die primo anni ***Sirius*** exoriri conſpectus quum fuiſſet, proinde nonniſi poſt annos vulgares Aegyptiacos 487, ſive Julianos 480, (Anni namque Aegyptiaci 487. dies 175320. conficiunt, quot ſunt in Annis Julianis 480, quippe dies 175320. diviſi per 480. dant quotientem dierum $365\frac{1}{4}$. pro ſingulis ***Sirii*** annuis revolutionibus), veras, integraſque ***Sirii*** fieri revolutiones, atque ***Sirii*** ortum in eumdem Anni cum Aegyptiaci, tum Solaris diem incidere compertum eſt. Perſtante tamen apud vulgum Aegyptiorum veteris Anni forma, juxta quam Annus dierum 365. dumtaxat computabatur, inde fiebat, ut Anno Juliano Aegyptiacus vulgaris quadrante minor eſſet, ideoque ***Caniculae*** ortus ſingulis quadrienniis diem 1. anteverteret, ideoque quater anticiparet quatuor vices 365. Inde igitur conflata eſt Periodus ***Maxima Canicularis*** annorum 1461. Aegyptiorum, ſive 1460. Julianorum: quibus expletis cum ***Caniculae*** ortus ad eumdem diem regrederetur, tum Feſta per omnes anni tempeſtates libere pervagata in orbem reſtituerentur: qua de re abunde, opinor, diſputatum eſt Volum. II. de Annis, & Menſ. Aegypt. &c. Art. I. p. 296. ſqq. Ad Graecos itaque regrediendo, hoc plane quadriennii ſpatium, quo Anni ***Luni-Solaris*** cardinem quatuor poſt annos ad idem reſtitui principium autumabant, ipſis dictum eſt ***Annus Magnus***, atque Πενταετηρὶς, ***Pentaeteris***, ſive ***Quinquiennium***: quod attamen Τετραετηρὶς, ideſt ***Quadriennium*** reipſa dumtaxat fuit, ſive Cyclus annorum 4, quo annorum ſpatio, adhibita per intervalla partim integri Menſis intercalatione, partim unius,

aut

Digitized by Google

aut duodecim exemptione dierum, totidem annos 12. *Solaribus* aequari cenſebant; qua de aequatione Graecis aeque, atque Siculis uſurpata loquitur Cicero orat. cit. in Verrem: quem deinceps *Olympiadem* adpellandam duxerunt, inſtitutis haece de re Ludis, & Agonibus in *Jovis Olympici* honorem in Elide.

IV. De *Olympicis* itaque Ludis iſtiuſmodi, unde *Olympiadibus* celebre nomen adhaeſit, loquendo nunc, in Elide Peloponnenſi quarto quoque anno exeunte, ſive ineunte quinto, ut aliis videtur, ii ſane celebrari ſolemni feſto ſolebant, indeque *Olympiadis* nomine quatuor ſolidorum decurſus annorum intelligi datur, quorum initio, ſeu exitu Agones illi ad fluvium Alphaeum, & ad Cronium collem, in *Herculis*, non Graeci quidem, ſed Aegyptii, de quo inter alios Puteanus de Olymp. cap.3. Antiq. Graec. T.IX. edit. Ven. p.1307, honorem, juxta Urbem Piſam, ac Templum *Jovis Olympici*, unde nomen & Ludis, & Periodo, inibant; feſtumque celeberrimum, non tam peculiare Elidenſis Populi, quam commune potius Graeciae totius erat, Pindaro teſtibus, & Pauſania. Horum inſtitutor itaque *Hercules* fertur, non Graecus utique, ſed Aegyptius, ut innui, referentibus Diodoro lib. 5. p.230, Strabone lib.8. p.410, qui tamen ab Epeis *Olympicorum* potius originem ducere videtur, & Pauſania in Eliacis lib.5. cap.7. p. 392, fertur, inquam, *Hercules* anno Periodi Julianae 3507, de quo Petavius Doct. temp. lib. 9. cap. 41, Mundi anno 2783, Chriſti ante natalem 1217, de quo Calmetius in Chronologia edit. Ven. p.7; inſtaurator fuit *Iphitus* anno Mundi 3120, ante Chriſtianam aeram 880, juxta Calmetium p.12, juxta Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p.45. ante Chriſti natalem 884, Ariſtotele apud Plutarchum in *Lycurgo*, & Pauſania in Eliacis lib.5. cap.5. cap.4. p.383. teſtibus. Quamquam & poſt *Iphitum* Ludi illi in obſcuro lateant, adeo ut proinde horum fixa, determinataque Epocha, ſeu omnium prima *Olympias*, a qua inſequutae ceterae putari, Graecique deinceps Scriptores tempora ſupputare ceperunt, ea ſit *Olympias*, in qua victor *Choraebus* Eleus palmam retulit, illa nempe, quae poſt annos 112, juxta Calmetium poſt 108, hoc eſt poſt

Olympiadum 28. ſpatium ab *Iphito*, ſubſequuta eſt, uti liquido Phlegontis in Fragmento de Olympiis Antiq. Graec. T.IX. p. 1292. teſtimonio docemur, cui jungenda Ariſtodemi Elei, & Polybii ſcripta Julio Africano memorata in Graecis Euſebianis Scaligeri p. 37, & 216, quaeque in Mundi annum 3228, Periodi Julianae 3938, ante Chriſtianam aeram 776, ab excidio Trojae 408. incidit, & juxta Marmora Arundeliana in annum 807. Aerae Athenienſis, ideſt ab Athenarum exordio. Ante *Choraebum* annos 430. numerat Euſebius in Chron. ad annum Abrahami 811, verſ. S. Hieronymi T.VIII. Oper. edit. Vallar. p.278. ſqq., annos 427. Clemens Alex. Strom. lib.1, annos 600. Syncellus in Chronog. p.195. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.156. ſq.: qua de re Petavius Doct. temp. lib.3. cap.44. ſq., & Ration. temp. Par. II. lib.1. capp.11, & 15, ac Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p.45. A Diodoro Siculo porro, (cujus e libris 40. hodie libri 15. dumtaxat, ideſt primi quinque, undecimus, atque ſequentes uſque ad vigeſimum, haud amplius, ſuperſunt), a Diodoro, inquam, Siculo ſicuti *Conſules* Romani ſexennio retardari ſolent, ita *Olympiades* apud Graecos ſex anticipari Menſibus obſervatum eſt Viris doctiſſ., videnduſque de Vignolius Chron. Hiſt. T.II. lib.6. cap.5. p. 824. A Plinio viciſſim *Olympiadum* initium annis 12. anteverti, in annum Chriſtianam ante Aeram 788. conferri quò advertit, eò deinde adprobavit Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p.541, 554, 571. ſq., ac 600, argumentis haud utique contemnendis: quae tamen a recepta veteri nos opinione recedere haud cogunt, quam in tuto poſitam videre eſt a Scaligero de Emend. temp. lib.5. p.381. ſqq., a Petavio Doct. temp. lib.9. cap.40. ſqq., Dodvvello, Petito, Corſinio &c. *Solſtitio* autem Aeſtivo Agones hoſce conſtanti lege peragi conſueviſſe, ac *Plenilunii* quidem tempore, a die 11. *Hecatombaeonis* uſque ad diem 16, tum quum *Lunares* adhuc Menſes, cum poſtquam *Solares* adhibiti Graeci ſunt, Veterum teſtimoniis, exempliſque demonſtratum eſt Scaligero de Emend. temp. lib.4. p.242, Petavio Doct. temp. lib.9. capp. 44. ſq., & 48, & Epiſt. 15. ad Vendelinum ad calcem Doct. temp. T.III. edit. Ven. 1757. p. 319. ſq., & Epiſt. 19. p. 322. ſq., Dodvvello de Cyclis diſſert. 4. ſect. 14, Rein-

Digitized by Google

Reinholdo in Tabulis Prutenicis, Puteano de Olymp. cap.9, & Corſinio diſſert. Agoniſt. 1. p.3. ſq.

V. Quonam porro Cyclo, ſive Periodo in Ludis *Olympicis* legitime ſuo indicendis tempore Elidenſes uti ſolerent, ita ut eodem *Olympia* inſtaurari Menſe quirent, res in obſcuro latet. Scaligero, ac Dodvvello ſane ea inſedit opinio, ut *Octaeteridem*, gemina ex *Tetraeteride* conſutam, uſu Elidenſibus veniſſe aeſtimarent. Quam tamen opinionem a Petavio, Corſinioque exploſam, prorſuſque everſam videbimus infra §. XVII, ubi de Graeca *Pentaeteride* ſermo nobis incidet. Itaque Corſinius Agoniſt. diſſert. 1. §. 6. veri eam ſimiliorem induit ſententiam, ut aeſtimet non aliam Elidenſibus, niſi Metonis *Enneadecaeteridem* uſu in Ludis illis celebrandis veniſſe, ſicut eamdem in peragendis *Nemeis*, & *Iſthmiis* Periodum uſurpatam fuiſſe teſtis eſt locuples Pindari Scholiaſtes ad Nem. 6. v. 69, & ad Iſth. 1. Quum itaque *Metonis Enneadecaeteris* ab anno 1. Olympiadis 87, ubique Graecis ultro citroque recepta, dinumerari ceperit, in *Enneadecaeteride* vero *Embolimaei* ſequenti proceſſerint ordine, juxta Petavium Doct. temp. lib. 2. cap. 13, & Dodvvellum de Cyclis diſſert. 1. ſect. 35, anni 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19, inde factum eſt, ut *Embolimaei* quoque fuerint Olympiadis 87. annus 3, Olymp. 88. annus 2, Olymp. 89. annus 3, Olymp. 90. annus 3, Olymp. 91. annus 2, Olymp. 92, annus 3, Olymp. 93. annus 2, & ita deinceps exordiendo a ſecunda *Enneadecaeteride*. Inde fiebat igitur, ut *Olympici* Agones poſt Menſem anni poſtremum aliquando dierum 49, qui erat *Communis*, aliquando dierum 50, qui tum *Embolimaeus* eſſet, in ordinem redirent, & in *Hecatombaeonem* Atticum inciderent, cui in Anno a Scholiaſte Pindarico uſurpato reſponderit *Metagitnion*, ut qui ab ortu *Caniculae*, ſive a *Novilunio Caniculae* ortui proximiori Anni principium auſpicatus fuiſſe videtur. Quamvis certo nullo deprehendi argumento, ipſo fatente Corſinio, queat, cujatis Scholiaſtes ille Gentis fuerit, ideoque cujuſce Anni forma ipſi uſurpata. Ita vero quatuor *Olympiadis* uniuſcujuſque annos diſpoſitos fuiſſe obſervat Cl. Blanchinius Opuſc. Var. T. II. Acad. 4. p. 164. ſq., ut Annus 1. *Olympiadis* a *Novilunio Solſtitio* Aeſtivo proximio-

ximiori inciperet; Annus 2. a primo *Lunae* quadrante; annus 3. a *Plenilunio* ; annus 4. a quadrante *Lunae* ultimo: qua de opinione tamen ſuo infra loco: quo loci *Olympicos* etiam *Gregorianis* Annis adaptandi rationem Vir eximius docet, & exponit.

VI. Illud obiter demum indicandum ſupereſt *Olympicos* ludos illos diebus 5. duraſſe, a die *Hecatombaeonis* 11. incipientes, deſinenteſque die 16: qua Athletis, ſeu *Olympionicibus*, hoc eſt Victoribus, Corona olim ex pomis, dein ex olea, ſive Caliſtephano, oleaſtri genere, contexta ab *Hellanodicis*, Ludorum ideſt Praeſidibus, ſive Judicibus, veluti Phlegonti loco cit. vocantur, decernebatur, teſte Pindari Scholiaſte Olymp. 1.v.13. Agones illos autem ante Olympiadem 67. agi Equiriis, quinquertio, ſive Pentathlo, & Pancratio mos erat, Pauſania referente in Eliacis lib.5. cap.8. p.394. ſq., ideſt equorum, hominumque curſu, & certamine, ſaltu, diſco, jaculo, lucta, ſive pugilatu, quo nempe quinque certaminum genere Pentathlum, ſive Pancratium comprehendit Simonides Antholog. lib.1. cap. 1. Epigram. 8, de quibus abunde Potterus Archaeologiae lib.2. cap.21. Antiq. Graec. T. XII. edit. Ven. p.408. ſqq. Ab Olympiade 70. Rhedae curſus, ſeu unius Equi curru, qui *Celes*, vel ſimplici biga, quae *Synoris* dicebatur, pugna committi etiam cepit: quibus acceſſere deinde *Calpae*, & *Apenae*, ideſt Calpae currus trahebatur Equa, Apenae Mulae jugabantur; Trigae item, & quadrigae, unde Graecis Τεθριππαι Τετράοροι &c., de quibus fuſe Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib.5. cap.8, Potterus loc. cit. p.411. ſq., & Corſinius cit. diſſert. Agon. 1. §.8. ſqq. p. 13. ſqq. Quos demum Agones *Theodoſii Senioris* Imperii anno 16, Christi D. 395. ſublatos, vel abolitos ex Theophane, & Cedreno poſt Petavium Doct. temp. lib.9. cap.46, & Fabrum Agoniſt. lib.2. cap. 26. Corſinius oſtendit, adeo ut *Olympias* ultima fuerit 293. Quamquam Faſtor. Attic. T. IV. Olympiade 289, U. C. 1130, Chriſtianae Aerae 377, *Olympicos* tunc in Elide Ludos abolitos, ſublatoſque affirmat. Antiochiae vero, poſtquam ſub *Claudio* Aerae Antiochenae anno 92, ideſt U.C. 797, Chriſti 45, ab *Afranio* Urbis Antiochiae *Alytarcha* inſtaurati fuerant,

rant, adhuc obtinuiſſe Antiochenae Aerae anno 260, U.C.965, Chriſti 213, ac tandem a *Juſtino* Imperatore Aerae *Antiochenae* anno 568, U.C. 1273, Chriſti 521. abolitos refert Johannes Malela in Chronogr. lib. 17. de Juſtini Imp. tempor. edit. Ven. p.49. Malelae vero fidem hacce in re vellicare non veritus Vandalaeus Antiq. Marm. diſſert. 7. cap. 1. p. 524, deque *Olympicis* apud Antiochenos celebratis nullibi gentium incidere veſtigium temere adfirmare non dubitans, expliciti ſſimo Libanii orat. de Vita ſua, & orat. 22, ubi *Olympiades* Antiochiae habitas memorat, teſtimonio refellitur a Corſinio Agoniſt. diſſert.4. §.11. p. 98. ſq. Ad haec *Olympicos* etiam Ludos Megaris Pindari Scholiaſte teſte, Alexandriae, Smyrnae, Athenis &c.celebratos oſtendere cit.loco pergit Corſinius §.12. ſqq. p. 20. ſqq. Atque Alexandriae quidem Olympiade, non utique 235, ut vult Dodwellus, ſed Olympiade 238, *Olympicos* inſtitutos Ludos demonſtrare Vir doctiſſ. nititur Faſt. Attic. T.IV. Olymp. 235. p.178. ſq. Neapoli quoque *Olympia* celebrari olim conſueviſſe, ac deinceps adhuc ſub anno U. C. 924, Chriſtianae Aerae 171, eademque diverſis vocata fuiſſe nominibus, *Sebaſta*, ſive *Auguſtalia*, *Italica*, ſive *Romana*, & *Iſelaſtica* inſigni ex Marmore Neapoli non multo abhinc detecto arguit Corſinius Agoniſt. diſſert.4.§.14. p.102.ſqq. Quamquam eo in Marmore nominibus illis Agones potius *Capitolini* deſignati, ſeu verius *Quinquennalia* Imperatorum denotata, de quibus infra, mihi videntur. Aegyptiis quin etiam quadriennalium *Olympiadum* excogitatam fuiſſe, adhibitamque rationem, ab Elidenſi tamen diverſam, adnotat Georgius Syncellus Chronog. p.197. edit.Pariſ., Ven. p.157. Nempe *Lunam* Aegyptiis dictam *Olympiadem* adfirmat, quod ſingulis Menſibus *Zodiaci*, Antiquis *Olympi* nuncupati, ambitum peragret. Quae a *Cancro* profecta ſigna *Zodiaci* duodecim obit diebus 29. cum dimidio, ac minutis 33, additis ſecundis 3: quo in curriculo dies adimplet 354. horas 8, & minuta 40. Siquidem vero *Sol* diebus 365, cum quadrante *Olympum* eumdem perficiat, inde fit, ut *Solari Lunaris* Annus diebus 10. horis 21. ſcrupulis 5. minor ſit. Explet demum *Sol Tetraeteridis* unius *Olympicae* ſpatio, juxta Syncellum, dies 1461,

Luna

Luna vero dies 1417. horas 11. ſcrupula 29. Duabus vero *Olympiadibus* Menſtruae Periodi 99, & dies 2922. numerantur: quot *Sol* pariter annorum 8. circulo metiri deprehenditur. Haec de Aegyptiaca *Olympiade* Syncellus. Porro ſumma 1417. ſemel geminata dies 2834. dumtaxat producit: cui ad reparandum *Solis*, ac *Lunae* occurſum dies *Embolimaei* 88. ſuperadduntur, ex quibus conſurgunt, quot in *Octaeteride Solari* dies 2922, Menſes 99. inſunt. Id demum rite admonet Corſinius cit. diſſert. 1. §. 15. p. 25. ſqq., quod ſicuti Graeciae diverſis Civitatibus diverſa Menſium, Annique forma uſurpata fuerat, ita non omnibus idem prorſus *Olympiadum* initium fuit, quamvis omnibus Anno principium *Olympiades* facerent; ita ut Elidenſibus, & Athenienſibus *Olympiadum*, & Anni principium eſſet *Novilunium* Aeſtivo *Solſtitio* proximum; Achaeis *Plejadum* ortus, ſive Veris principium; Thebanis Hyemale *Solſtitium*; Aetolis Autumnale *Aequinoctium*, aliiſque aliud, prout aliud aliis fuiſſe principium Anni ſuper. Volum. Art. IX. de Menſ., & An. Graecorum &c. obſervatum jam eſt.

VII. Agonum *Olympicorum* occaſione de triplici altero Ludorum apud Graecos frequenti genere, ideſt *Pythiis*, *Nemeis*, & *Iſthmiis*, dicere nonnihil obiter juvat, & intereſt, ut inde tum Cyclorum iis Ludis indicendis uſurpata Graecis ratio magis innoteſcat, tum etiam ut a Graecis Scriptoribus adhibitae, inque Monumentis ſignatae Epochae Lectoribus in obſcuro haud jaceant. *Pythiades* itaque Ludi & ipſae erant ab *Apolline* inſtituti, poſtquam *Pythanem*, qui Pindarico Scholiaſti argum. 1. Pyth., & Ovidio Metamorph. 1. v. 445. *Serpens* fuit, Straboni lib. 9, eidemque Scholiaſti Pindari fuit *Tyrannus*, occidiſſet: qui perinde in *Apollinis* honorem Delphis primum, Megarae poſtea, Alexandriae, Mileti, Side, Magneſiae, Perge, Theſſalonicae, Philippopoli, Trallibus, alibique celebrari conſuevere. Celebrabantur vero Gymnicis, Muſiciſque, Equorum, & Quadrigarum curſu, cantus, ſonuſque certamine, tragoedia, hoplomachia, tethrippo, pugilatu, lucta, pentathlo, dolicho, ſaltu, diſco, periodo, ſive ſtadio, auloedia, praeconio, diaulo, picturae quoque contentione, referentibus Strabone lib. 9, Pauſania in Phoci-

cis,

cis, ſive lib.10.cap.7. p.813. ſq., Polluce Onom. lib.4.cap.10. ſeg.5, Natali Comite Mytholog lib.5. cap.11., &c. qua de re plura Faber Agoniſt. lib.2.cap.24, Potterus Archaeolog.Graec. lib.2. cap.23, Antiq. Graec. T.XII. p.415, ſqq., & Corſinius Agon. diſſert. 2. §. 13. p.46. ſq. Victoribus vero praemia fuere *Nummi*, unde Ludi Α᾽ργυρῖται, *Corona*, unde Στεφανῖται, Φυλλῖται &c. dicti ſunt, & *Corona* quidem ex frondibus palmeis, vel Eſculeis, tum ex pinu, apio, olea conſerta, qua de Simonides Antolog. lib. 1. cap.1. Epigr. 1, Ovidius Metam. lib.1. fab.8, Pindarus Ode 8. v. 28, & poſt ipſos Potterus loco indic. Quo porro anno *Pythia* celebrari Delphis occeperint, definiri haud difficile poteſt cum ex Pindari Scholiaſte arg. 4. in Pyth., tum ex Marmore Oxon. Epoch. 38. ſq., tum ex Pauſania in Phocicis, tum ex Euſebio in Chron., e quibus ab Amphictyonibus *Pythiades* inſtitutas liquet anno 2. Olymp.47, ac primam Delphis *Pentaetericam*, ſolemnemque *Pythiam*, in qua *Sapientis* nomine ſeptem Graeciae Viri decorati fuere, celebratam fuiſſe anno 3. Olymp.48: quamvis non ab hac, ſed a ſequenti *Pythiade*, quae in Olympiadem 49. incidit, *Pythiades* ceterae dinumerari ceperint: qua de re late adverſus Lydiatum, Valeſium, Scaligerum, Meurſium &c. Corſinius diſputat Agoniſt. diſſert.2. §.2. ſqq. p.30. ſqq. Quo vero Olympiadum anno *Pythiades* Delphis peragi ſolerent, non adeo ſtatui certo, decernique poteſt. Namque Scaliger de Emend. temp.lib.1.p.51.ſqq., Meurſius Archontum Athen. lib.2. cap.9. Antiq. Graec. T.IV. edit. Ven. p. 1188, aliique tertiis Olympiadum annis celebratas Pauſaniae in Phocicis, & Euſebii in Chron.n.1435. auctoritate ducti cenſent. Contra Petavius Doct. temp. lib. 1. cap.33, Dodwellus de Cyclis diſſert.5. ſect.2, & Annal. Thucyd. ad an.2. Olymp.89, Petitus ad Leges Atticas, Valeſius in Notis ad Euſebii Chron. p. 469, aliique anno 2. exeunte Olympiadum peragi conſueviſſe Thucydidis lib.4.cap. 117. ſq., & lib. 5. cap.1. teſtimonio innixi docent. Primis adſtipulatur Corſinius cit. diſsert. 2. §. 7. ſqq. p.39. ſqq., cumulatiſque ex Diodoro, Pauſania, Aeſchile, Plutarcho, Xenophonte, Philoſtrato, & Euſebio locis, *Pythiades* annis 3. Olympiadum non ineuntibus, uti Scaligero, & Palmerio viſum

ſum fuerat, ſed exeuntibus, ac *Byſii* quidem die 7, *Pythici* ideo a Ludis dicti, ideoque Delphorum primi Menſis, qui Attico, non *Thargelioni*, uti Scaligero viſum de Emend. temp. lib. 1. p. 52, ſed *Munychioni* reſpondebat, velut oſtendit Dodwellus diſſert. 5. ſect. 25, celebrari conſueviſſe demonſtrat. Qui deinde Vir doctiſſ. §. 14. p. 48. ſq. adverſus Dodvvellum *Pythicos* Ludos *Trietericos* dumtaxat fuiſſe diſſert. 7. de Cyclis ſect. 1, & 4. opinantem ex *Juliani* Apoſtatae Epiſtola pro Argivis demonſtrare pergit *Pythiades*, Olympiadum inſtar, *Pentaetericas* fuiſſe, ideſt quinto quoque anno peragi conſueviſſe, & ſub *Juliani* adhuc aetate peractas fuiſſe; quae demum una cum Olympiadibus ſub *Theodoſio Seniore* ſublatae ſunt. Delphis denique in *Pythicis* hiſce Ludis peragendis uſu primum veniſſe *Tetraeteridem*, ſucceſſive *Octaeteridem*, ac poſtremo *Enneadecaeteridem* oſtendit Dodvvellus de Cyclis diſſert. 5. ſect. 4. ſqq., adeo tamen, ut Periodis hiſce *Pythicis*, quemadmodum Anno *Delphico*, a Veris exordio, ſeu ab *Aequinoctio* Verno, Juliani Aprilis diei 26. reſpondente, initium fieret. Quo fit, ut quum *Pythici* Ludi ab anno 3. Olymp. 49, Chriſti ante natalem anno 582. inceperint, ad idem proinde initium *Pythica Tetraeteris* prima, Dodvvelli ſententia, referenda ſit; de qua Corſinius loc. ſupralaudato.

VIII. Tertii genus Agones fuere *Nemeades*, funebres Ludi, qui Thebis primum in *Ophеltae* memoriam, alio nomine *Archemori*, ab Ἀρχή *Initium*, & Μόρος *Fato*, ſive *Morte* denominatae, teſte Statio Theb. lib. 4, poſtea in *Jovis Nemei* honorem ab *Hercule*, poſt devictum *Leonem Nemeum*, inſtituti, vel inſtaurati, Pindari Scholiaſte teſte, celebrari cepere, atque *Nemei* a Pago, & Nemore *Nemea* inter Urbes Cleonas, ac Phliuntem in Argo ſito dicti, auctoribus Strabone lib. 8, Pauſania in Corinthiacis, ſive lib. 2. cap. 15. p. 144, & Pindari Scholiaſte in Nem., quorum in celebratione Thebanos eadem prorſus, quae Delphis in celebratione *Pythicorum* uſu fuerat, Periodo, *Tetraeteride* primo, referente Statio loc. cit., deinceps *Octaeteride*, ac poſtremo *Enneadecaeteride* uſos Dodvvellus cit. diſsert. 5. perſuadere conatur, ita tamen, ut *Delphicae* Periodo ab *Aequinoctio* Verno, Aprilis Juliani diei

die 26. initium fieret, Annique cardo, ideo *Pythicus*, *Byſius* eſſet; *Thebana* vero Periodus a proximo poſt Brumam, ſive Hyemale *Solſtitium*, *Novilunio* exordium caperet, primuſque ideo Menſis, hoc eſt *Nemeus*, ſaepius etiam Ἱερομηνίας dictus, *Bucatius* eſſet, Attico, non *Boedromioni*, ac *Panemo* Corinthio, uti Pottero Arch. Graec. lib. 2. cap. 24. Antiq. Graec. T. XII. p. 418. viſum, ſed *Gamelioni* reſpondens, ac *Juliani* Januarii die 27, velut ex Plutarcho in *Pelopida* oſtendunt Dodvvellus loc. cit., & Corſinius Faſt. Attic. T.II. diſſert. 14. §. 8. p. 410. ſq., eoque ipſo anno 3. Olympiadis 49, Chriſti ante natalem 582, Periodus quoque *Thebea*, hoc eſt *Tetraeteris Nemea* inceperit, quo cepiſſe pariter *Delphicam* modo dictum eſt. Jam vero inſtituta *Nemea* ab Argivis fuiſſe, dum Thebas obſiderent, anno 475. ante Olympiadem primam fidem abunde faciunt Apollodorus Bibl. lib. 1, Pindari Scholiaſtes in Nem., ac Marmor Oxon. in Epocha 23, de qua Palmerius, Pridaeus, & Corſinius Agon. diſſert. 3. p. 51: ex quibus etiam liquet celebrari Ludos illos conſueviſſe equo, curſu, caeſtibus, diſco, jaculo, citharaedia, diaulo, lucta, arcu, atque *Hieronicis*, Victoribus hoc eſt, Coronam prius ex olea, poſtmodum ex viridi apio, olere in funeribus adhiberi ſolito, contextam largiri conſueviſſe, qua de re Plutarchus etiam in *Timoleonte*, & Potterus cit. cap. 24. Intermiſſos deinde Ludos illos Olympiade 46, inſtauratos fuiſſe deinceps Olympiade 53. refert Euſebius in Chron. ad an. 1 Olymp. iſtius. Quamvis prima, quae apud Hiſtoricos putari *Nemeas* cepit, ea fuerit, quae poſt Olympiadem 65, velut ex Pindari Scholiaſte argum. ad Nem. 7. colligit Corſinius cit. diſſert. 3. §. 3. p. 52. ſq., peracta eſt. *Nemeades* porro, ſicut *Olympiades*, ac *Pythiades*, haud fuiſſe *Pentaetericas*, ideſt Quadrienniis ſingulis celebratas, veluti perſuaſum fuit Fabro Agoniſt. lib. 2. cap. 23, & Pridaeo ad Marmora Oxon. p. 191, ſed *Trietericas* dumtaxat, velut *Iſthmiades*, fuiſſe infra oſtendentur, ideoque ſingulis Olympiadibus ſemel, iterumque peragi conſueviſſe, neque unquam in Olymp. annum 2. incidiſſe, ſed ſemper in 3, erraſſeque proinde Diodorum lib. 19. edit. Henr. Steph. p. 705, Rhodon. p. 706, dum a Caſſandro poſt Autum-

num *Nemea* fuiſse celebrata ſcripſit, perſuaſum habuit Scaliger in Not. ad Euſebium p. 85. Verum erraſse magis Scaligerum, ac *Nemea* fuiſse duplicia, *Aeſtiva*, quae *Panemi* die 12, erantque celebria Trieterica, & *Hyberna*, quae quotannis, & quinto quoque anno celebrabantur, ideoque a Caſsandro Hyberna fuiſse celebrata ex Pauſania in Corinth., ac Eliacis poſt infra citan. oſtendere Palmerius adnixus eſt Exercit. in Diodorum p.141: quod ante Palmerium oſtenſum dederat Petavius Doct. temp. lib.1. cap.33, ac Epiſt. 19. ad Vendelinum Oper. T.III. edit. Ven. 1757. p.323. Cum Palmerio facit Corſinius, atque *Nemeades* duplices fuiſse quidem fatetur, quominus tamen in Olymp. annum 2. inciderint cum Petito negat, ut infra dicetur. *Trietericas* itaque dumtaxat fuiſse *Nemeades*, ita tamen ut aliae *Aeſtivae*, *Hybernae* eſsent aliae, perſpicuis Statii Thebaid. lib. 4. v. 722, & lib. 7. v. 92, Pindari Scholiaſtae arg. 2, & 5. in Nem., ac Juliani Auguſti in Epiſtola pro Argivis oſtendit Corſinius §. 4. p. 54. ſq: quas ideo *Nemeades* alias *Aeſtivas*, *Hybernas* alias memorari Pauſaniae in Corinthiacis, ſive lib.2. cap.15. p.144, & in Eliacis poſter., ſive lib.6. cap.16. p.491. obſervat: quamquam his in locis Pauſanias de *Nemeis Hybernis* dumtaxat, qua ab Argivis, qua ab *Hadriano* Imperat. peractis explicite loquitur. Eas igitur Olympiadum annis 1, & 3, diverſis tamen Menſibus, celebratas ex citato Euſebii loco cenſet Scaliger in Not. ad an. 1435, 1449, 1821, & de Emend. temp. lib.1. p.53, quem ſequutus hac vice Petavius eſt Doct. temp. lib. 1. cap. 33, Dodvvellus quoque de Cyclis diſsert. 7. ſect. 1. ſq., ita *Nemeades* diſtributas adfirmans, ut Olympiadum anno 1. *Hybernas*, anno 3. *Aeſtivas* celebratas autumet. Contra Petitus ad Leges Atticas *Nemeades* Olymp. annis 2, & 4. peragi conſueviſse pugnat: cui adhaerendum putat Corſinius cit. diſsert.3. §.4. ſqq. p.55. ſqq., *Hybernas* in annos 2. Olymp. fere exeuntes, atque in annos 4. ineuntes *Aeſtivas* referens; *Aeſtivaſque Panemi* die 12. cum Pottero Archaeolog. cit. cap.24, quam ipſe cum die 12. *Hecatombaeonis* Attici copulat, Potterus vero cum *Boedromione*, Pindarici Scholiaſtae arg. 4, & 5. Nem. teſtimonio, *Hybernas* vero *Bucatio* Menſe, ſive *Peritio* Macedonico, ſive Attico

Digitized by Google

tico *Gameſione* celebrari conſueviſſe pugnans : quod multis confirmare documentis Vir doctiſs. pergit, apud ipſum recolendis, ſi placet; conferenduſque Eraſm. Schmidius in Proleg. ad Pindarum.

IX. Quae Argivis, Boeotiſque *Nemeades* erant, *Iſthmiades* Corinthiis ad Iſthmum, quo Peloponneſus Continenti jungitur, unde Ludis inditum nomen, dictae ſunt, funebreſque pariter Agones fuere, dolicho, pugillatu, lucta, pammacho, ſive pancratio, celete, citharaedia, curſu peragendi, in honorem prius *Melicertae*, ſive *Palaemonis*, Latinis *Portummi* dicti, filii *Athamantis* Thebarum Regis, & *Ini* Corinthi Reginae a *Siſypho* Corinthiorum Rege anno Mundi 2643, ante Chriſtianam Aeram 1357. inſtituti, poſtea in *Neptuni* honorem inſtaurati a *Theſeo*, teſtibus Muſaeo in Tract. de Iſthmicis ludis, Phavorino, Plutarcho in *Theſeo*, & Pauſania in Atticis, ſeu lib. 1. cap. 44. p. 108, & in Corinthiacis, ſeu lib. 2. cap. 2. p. 114: in quibus Victores, *Periodonices* ſaepe denominati, Coronam prius ex pino, dein ex apio, poſtremo ex pino iterum, Pauſania in Arcadicis, ſeu lib. 8. cap. 48. p. 697, Plutarcho Sympoſ. lib. 5. q. 3, ac Pindari Scholiaſte Iſth. 2. v. 23, Iſth. 8. v. 137, & Nem. 4. v. 142. teſtibus, referebant. Inſtitutos Ludos illos a *Siſypho* anno M. 2643, Chriſti ante natalem 1357. ex probabili quorumdam opinione mox innuebam; inſtauratos a *Theſeo* anno 483. ante I. *Olympiadem*, & ante *Nemeadem* I. anno 7, ex Plutarcho in *Theſeo*, Pindarico Scholiaſte arg. 2. Iſth., & Marmore Oxon. in Epocha 21. oſtendere nititur Corſinius Agon. diſſert. 4. §. 1. p. 81. ſq. *Nemeorum* inſtar vero *Trietericos* fuiſſe *Iſthmiaeos* Agones illos Pindari Nem. 6. v. 69, ipſius Scholiaſtae ad Iſth. 1, Statii Theb. lib. 4, & 7. liquida docent teſtimonia: unde deceptos oportet fuiſſe Suidam, qui V. Νέμεα *Annuos*, Plinium lib. 4. cap. 5, Solinum cap. 12, Auſonium in Eclog. v. 388, & Alexandrum ab Alex. Genial. dier. lib. 5. cap. 8, qui *Pentaetericos* fuiſſe ſcripſere. Sicuti vero *Nemeades*, ſic & *Iſthmiades* ſingularum bis in Olympiadum ſpatio recurrere conſueviſſe, atque celebrari Olympiadum ſingulis annis 1, & 3, demonſtratum eſt a Scaligero de Emend. temp. lib. 1. p. 53, & ad Chronicon Euſebii n. 1435, & 1821, a Petavio Doct.

C 2 temp.

temp. lib. 1. cap. 33, & a Dodvvello de Cyclis diſſert. 6. ſect. 1. ſqq., ubi ex Pindari Scholiaſte Olymp. 9. v. 124. *Aeſtivas Iſthmiades* Olympiadum anno 1. die 12. *Hecatombaeonis* Attici, qua *Olympiades* etiam, & *Nemeades* celebratas vidimus, peragi conſueviſſe adnotat, *Hecatombaeoni* vero reſpondiſſe Corinthium *Panemum* obſervat cit. diſſert. §. 3. Corſinius: *Hybernas* vero *Iſthmiades* Olympiadum anno 3. *Gamelionis* Attici die 12. idem Dodvvellus celebratas autumat; contra vero exeunte potius *Thargelione* Corſinius Xenophontis teſtimonio lib. 4. cap. 5. contendit §. 8. p. 88. ſqq., illaſque potius, quam *Hybernas* fuiſſe *Vernas* concludens. Sub *Juliano* Apoſtata *Iſthmiacos* adhuc, ſicut & alios *Nemeachos*, *Pythicos*, & *Olympicos*, ludos obtinuiſſe liquet ex cit. ſaepius ipſius Epiſtola pro Argivis & ex Libanio orat. 7. ad ipſum Julianum. Sublatos denique cum ceteris ſub *Juſtino* Imper. ex Joh. Malela in Chronog. lib. 17. edit. Ven. p. 49. ſuperius §. 4. indicatum eſt: atque de Graecis Ludis hiſce, Cycliſque hactenus.

X. Inde tamen arrepta occaſione celebriora Feſta apud Graecos, atque Latinos, alia qua vetera, qua recentiora ſtatis recurrentia temporibus, atque Heortographis quammaxime ignorata, indicare hocce fas mihi loci ſit, unde Faſtis lux haud modica adfulgebit, Chronologiae quoque, ab hiſce ſiquidem Feſtis plerumque annos putandi mos obtinuerit, ex duplici praeſertim Athletico Lapide *Megaris* uno, alteroque *Pergami* reperto, & a Sponio in Miſcell. Erud. Antiq. ſect. 10. Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. n. 112. ſq. p. 1377. ſqq. deſcripto. Erant haec itaque, praeter alia pleraque ſparſim nobis ſuperius, ubi de Menſ., & Annis Graecor. &c. commemorata, erant, inquam, *Panathaenea*, *Minervae* Athenis ab omnibus Atticae Populis Sacra, atque *Magna* quidem ſingulis quinquenniis, *Parva* ſingulis annis celebrari ſolebant. *Eleuſinia* in honorem *Cereris*, duplicia quoque, *Magna* in Eleuſi Urbe, *Parva* Athenis, atque quinto quoque anno per dies 9. ſolemni agi pompa, *Myſteria* ideo ſimpliciter adpellata, ſolebant. *Panhellenia* Graecis omnibus communia, quae agitari Athenis conſueverant. *Heraclea*, ſive *Herculea*, ſive *Jolia*, quae Athenienſibus, Sicyoniis, Ambraciotis, Thisbitis, ac The-

Thebanis ſolemnia erant. *Throphonia* Lebadiae peculiaria, non ſecus atque Plataeis *Eleutheria*, ac Theſpiis *Eratidia*, Pindari Scholiaſte ad Olymp. Od. 7. teſte, erant. *Orgia*, quae Thebanis erant *Trieterica*; *Dionyſia*, quorum alia dicta Ἀρχαῖα *Antheſterionis* die 12; alia Ἀςικὰ celeberrima die 16. *Helaphebolionis*; alia Κατ' Ἀγρούς, ſive Ληναῖα *Poſideone* recurrebant, queis de Palmerius Exercit. in Athen. p. 505. ſq. *Actia*, quae ab Acarnanibus in Urbe Actia in honorem *Apollinis*, inde *Actii* cognominati ab *Auguſti* victoria ibidem relata, quinto quoque anno peragi ſolebant Muſico, Gymnico, Equeſtrique certamine. *Aſclepidaea* in *Aeſculapii* honorem inſtituta, & apud Epidaurios celebria, in quibus Muſica quammaxime certabatur. *Euſebea*, ſive *Pia* in *Hadriani* honorem ab *Antonino Pio* inſtituta, quae Puteolis in Italia praeſertim agitari cum pompa conſuebant. *Hadrianalia* in ejuſdem *Hadriani* Auguſti honorem Athenis, Epheſi, Romae ſolemnia, queis de Spartianus, & Xiphilinus. *Trajanalia*, etiam *Parthica* dicta, quae honoris gratia *Trajano* adoptivo Patri Romae dicaverat *Hadrianus*, Xiphilino referente. *Commodalia* in *Commodi* honorem a *Severo* ejus ſucceſſore decreta, queis de loquitur etiam Lapis alius apud Gruterum p. 317. n. 1. *Barbillea*, quae feſta in *Barbilli* celebris Aſtrologi, ſibique apprime cari Epheſi celebrari *Veſpaſianus* indulſiſſe legitur in Marmore Oxon., & apud Dionem in Excerpt. Valeſ., atque Pridaeo interprete. *Chryſanthina* apud Sardianos quadrienniis ſingulis ex publica pecunia ſolemnia ex indulgentia *Alexandri Severi*, & *Antonini Gordiani*, teſte Martiano Juriſc. *Didymea Apollini Didymeo* Mileti peragi ſolita. *Lycaea* in Arcadia in *Jovis* honorem a *Lycaone* inſtituta, in quibus homo immolari ſolebat, erantque fere qualia apud Romanos *Lupercalia*, queis de Porphyrius in Περὶ Ἀπαχῆς Εμψύχων lib. 2, Pauſanias in Arcad., ſeu lib. 8. cap. 2. p. 600, & Plutarchus in Caeſare. *Haleja* juxta Doricam dialectum, *Soli* apud Rhodios Inſulae patrono Sacra, de quibus Ariſtides in Ῥοδιακῷ, ac Pridaeus in Marm. Oxon. *Letaeia*, ſive *Latonalia*, in *Latonae* honorem; *Palilia* in honorem *Paletis* apud Heſychium; *Severia* in *Severi* honorem, de quibus Gruterus p. 317. n. 1; *Hyomenia* feſtum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtum apud Argos, Heſychio teſte; *Taurochatapſia*, *Taurorum* ideſt pugna a Theſſalis inſtituta, de qua Plinius lib.8. cap.45., ac Marmor Oxon. Par.II. p.266. *Philadelphia*, ideſt Vini natalia ex Longo Sophiſta apud Triſtanum memorata T.III. p.21. Sed ut e diverticulo in lineam modo regrediar, operae jam pretium urget, & impellit praeſtituti operis ratio.

XI. Graecae jam vero *Pentaeteridis* inſtar, atque *Olympiadum*, Romanis perinde Agones *Quinquennales*, *Luſtrum*, *Actiacos* Ludos, *Quinquennalia*, *Neronia*, ſive *Quinquennale* Certamen, Agones *Capitolinos*, ſive *Quinquennales* pro Cyclo quopiam, atque Periodo fuiſſe uſurpatos fidem indubiam abunde faciunt Romanae Hiſtoriae Scriptores. Atque *Olympicorum* utique Agonum aemuli cum primum *Cato*, tum poſtea *Sylla* Olympiade 175. Romam eoſdem, ſeu verius eorumdem ſpeciem tranſtuliſſe feruntur apud Alexandrum ab Alexandro Genial. dier. lib.5. cap.8. Sed enim de *Luſtro* praecipue loquendo, Graecae *Olympiadis* nomine *Luſtrum* aliquando Romanis, dum adhuc Graecis *Olympiades* uſu eſſent, adpellatum fuiſſe liquet ex Ovidio de Ponto lib.4. Epigr.6. v.5, & Faſtor. lib.3. v.131. Quo deceptus loco Scaliger de Emend. temp. lib.5. p.482. falſo putavit, abolitas poſt Olympiades, *Luſtrum* eodem *Olympiadis* nomine nuncupari cepiſſe: quem ideo refellit Petavius Doct. temp. lib.9. cap.43. Accedit & illud, quod *Olympias* anno 4. definiri ſolebat, *Luſtrum* vero annis 5. conſtabat, Tullio de Legib. lib.3, & Apulejo in Apologia teſtibus, liquetque ex L. *Non intelligitur* 3. §. *Cum Quinquennium* ff. *De Jure Fiſci*, communique juncta ſententia. Cenſorinus vero de Die nat. cap.6. *Luſtrum* cum *Olympiade* conferens ita demum accipi debet, ut de Periodo ſimiliter, Graecorum more, Romanis inducta loqui voluerit, non de Periodo ſimili annorum definita numero: quum alioquin *Olympiadem* annis 4, *Luſtrum* annis 5. conſtitiſſe ipſemet explicitiſſime adfirmet. A prima vero origine ita dictum *Luſtrum* vel ab *Urbe luſtranda*, quod, cenſu per quinquennium in Republica redacto, fiebat, ut ait S. Iſidorus; vel a *Luendo*, ideſt ſolvendo, quod quinto quoque anno tributa per Cenſores ſolvi deberent, uti ſcribit Varro de Re Ruſt. lib.2. cap.2; atque a *Servio Tullio* inſti-

inſtitutum tradit Lilius Gyraldus de Annis,& Menſ.Oper.T.II. p.749. Ad haec ad indicium ternae Luſtrationis, & Cenſus, *Indictiones* fuiſſe inſtitutas quidam memorant apud cit. Gyraldum p.755. ſq., atque ita quidem, ut primo *Luſtro* pro Cenſu ferrum, ſecundo argentum, & tertio aurum deferre ſinguli tenerentur. Qua de re infra, ubi de *Indictionibus*. Feſtus vero tradit Praedia tot in annos locari olim ſolita fuiſſe, quod Ulpianus lib.4. ff. *De Rebus Cred.* etiam ſignificat, ac videndus Hottomannus de *Verbis Juriſ.* Itaque *Luſtrum* cum a *Cenſu*, qui ſingulis Quinquenniis ex *Servii Tullii* inſtitutione ſolvi debebat, juxta cujuſque numerum Urbis, profeſſionem, ſtirpem, & facultates, juxta quas Cives ſex in Claſſes pro Cenſus modo diſtributos exhibet Blanchinius Opuſc. II. Acad. 6. p.175; tum a *Luſtratione*, quae Cenſus occaſione fieri quinto quoque anno ſolebat, (atque peragi ſacrificio *Tauri*, *Ovis*, & *Suis*: quod uno *Suovetaurilia* vocabulo deinceps adpellari conſuevit, de quo Gutherius de Vet. Jure Pontif.lib.4.cap.18. Antiq. Rom. T.V. edit. Ven. p.209.ſqq., & Joſeph Laurentius de Var. Sacris Gentil. cap. 17. Antiq. Graec. T. VII. p.218. ſqq.), denominatum eſt. Quod perinde *Luſtrum* in Faſtis Capitolinis paſſim deſcriptum legitur; ab *Auguſto* ſaepe repetitum memorat Tertullianus adverſ. Marcion. lib.4. cap.19, ſequioribus aevis ab Imperatoribus ſaepe peractum ignorat nemo.

XII. Atque primum quidem *Cenſum*, ſive *Luſtrum* a *Servio Tullio* conditum fuiſſe anno 10. ipſius *Tullii* Regni, U. C. 188. cenſuit Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.183.ſq.: quod utrumque oppido falſum oſtendit Petavius Doct. temp. lib.2. cap.76. Namque *Tullii* annus 10. incidit in U.C. annum 185; quibus videlicet additi *Tullii* reliqui 34, & *Tarquinii* 25. conficient annos 244, quot dumtaxat Romanis Regibus adſignari ſolent. Ante *Tullii* vero annum 10. *Luſtrum* inſtitutum, anno ideſt 4, vel 5, vel 6, ipſe Petavius contendit teſtimonio Cenſorini cap.13, ubi refert inter primum *Luſtrum* a *Tullio* conditum, & *Luſtrum* 75. a *Veſpaſiano* V, ac *Tito* III. Coſs. peractum, annos 640. plus minus interceſſiſſe. Igitur ab anno U. C. 826, quo a *Veſpaſiano*, ac *Tito Luſtrum* habi-

habitum eſt, detractis annis 640, remanent 186, quo a *Tullio* inſtitutum *Luſtrum* oportet. Quo perinde argumento Onuphrium quoque in Faſtor. Comment. lib. 1. refellit primum a *Tullio Luſtrum* peractum anno 11, aut 12. ejuſdem *Tullii* exiſtimantem. Mitto cetera apud ipſum videnda, quibus Petavius Scaligerum, & Onuphrium perſtringit. Contra Taffinus de Veter. Rom. Anno Seculari Par. II. cap. 4. Antiq. Rom. T. VIII. p. 585. ſq. primum a *Servio Tullio* peractum *Luſtrum* anno U. C. 205. Varroniano, *Tullii* 30. pugnat Valerii M. lib. 3. cap. 4. auctoritate, ubi refert T*ullio* quater *Luſtrum* condere contigiſſe, nempe annis 30, 34, 39, 44. paullo ante obitum: quippe *Tullium* annis 44. regnaſse teſtes accedunt liquidi Solinus lib. 1. cap. 2, Livius lib. 1. cap. 18, Dionyſius Halic. lib. 1. &c. Corruptum vero Cenſorini locum cap. 13. edit. Aldi, ſive cap. 18. edit. Carrionis contendit Taffinus, ac ita legendum: *Inter primum a Servio Rege conditum Luſtrum, & id quod a Veſpaſiano 5, & Tito 3. Coſ. factum eſt, anni interfuerint paullo minus ſexcentis triginta* (non ſexcentis quinquaginta), *Luſtra tamen per ea tempora non plura, quam 75. facta ſunt, & poſtea plane fieri deſierunt*. Ubi nempe ſi pro τό *Paullo minus ſexcentis triginta*, Anni 620. ponantur, fiet inde, Taffinus inquit, ut ab anno U. C. 827, quo a *Veſpaſiano*, & *Tito* habitum *Luſtrum* eſt, demptis annis 620, reliqui U. C. 205. indicent *Tullii* annum 30, quo primum conditum *Luſtrum* fuerit: indeque colligit ab eo primo *Luſtro* ad ſecundos Ludos Seculares editos anno U.C. 305. centum praeciſe annos interfluxiſse. Conferendus ipſe met, qui Petavium etiam late refellendum eodem loci ſuſcepit, qui meliora tamen ipſe nobis haud ſuppeditavit, eòque apertiſſime invitum traxit Cenſorinum, ut ſuo de Seculari Anno centenario ſyſtemati non noceret, quum tamen Seculares Ludos fixa lege centenario quolibet haud celebratos infra oſtendemus; idcoque non erat, cur Cenſorini calculo annorum 30. circiter ſummam ullo abſque documento detraheret.

XIII. Poſtquam *Luſtra* non plura 75. peracta fuiſsent, eadem fieri deſiiſse, ideſt poſt ultimum peractum a *Veſpaſiano*, ac *Tito* U.C. anno 827, locupleti ex Cenſorini teſtimonio modo

do didicimus. *Luſtrorum* itaque loco, eodem temporis ſpatio tum continuatos fuiſſe *Actiacos* Ludos, tum *Capitolinos* inſtitutos Agones, tum ſubrogata *Quinquennalia* Imperatorum non dubium eſt. Atque quod primo ad Ludos pertinet *Actiacos*, Svetonium in *Auguſto* cap. 18. praeſtat audire, quo loci ſic habet de *Auguſto* loquens: *Quò Actiacae victoriae memoria celebratior impoſterum eſſet, Urbem Neapolim*, (ſive Nicopolim), *apud Actium condidit, Ludoſque illic Quinquennales conſtituit*. Itaque *Neapoli*, (quo ipſo Urbis nomine pleraeque aliae memorantur apud Geographos, quales in Thebaide, juxta Euphratem, in Caria, juxta Hippum fluvium in Colchide, inter Ptolemaidem, & Arſinoem, in Jonia, in finibus Galatiae, in Samaria, juxta Cinyphum fluvium in Syrtide, in Zeugitana Africae, in Macedonia ad Mare, in Sardinia ſupra Oriſtanum, in Campania, de quibus Cellarius Geograph. Antiq. lib. 4. cap. 1. §. 14. p. 824, lib. 3. cap. 16. §. 15. p. 639, lib. 3. cap. 3. §. 138. p. 88, lib. 3. cap. 9. §. 18. p. 307, lib. 4. cap. 2. §. 31. p. 851, lib. 3. cap. 3. §. 99. p. 72, lib. 3. cap. 4. §. 137. p. 164, lib. 3. cap. 13. §. 84. p. 433, lib. 4. cap. 3. §. 7. p. 857, lib. 4. cap. 4. §. 42. p. 880, lib. 2. cap. 13. §. 82. p. 849, lib. 2. cap. 11. §. 20. p. 773, & cap. 9. § 466. p. 675.), *Neapoli*, inquam, ſive *Nicopoli*, (quo etiam Nicopolis nomine Urbes aliae plures Epiri, ad Haemum, ad Iſtrum, ad Neſtum, in Aegypto, in Armenia Minori, in Bithynia, in Cilicia, in Lydia, in Palaeſtina, in Phrygia, ſub Tauro Monte Geograhis paſſim recenſentur apud Cellarium Geogr. Antiq. T. I. p. 879, 1083, 466, 1080, & T. II. p. 333, 261, 212, 119, 472, 146, 220.), *Nicopoli*, inquam, ſive *Neapoli* in ora Acarnaniae, de qua, praeter Svetonium, etiam Dio lib. 50. p. 487, ac Cellarius Geog. T. I. lib. 2. cap. 13. ſect. 6. §. 197. p. 888. ſq., Agones iſti ab *Auguſto* primum ſunt inſtituti, quos deinde certatim ſuas in Provincias transferre ſollicitiſſimos praebuiſſe ſe ſe Populos *Auguſti* ſubjectos imperio Svetonius cap. 59. ſubjungit, atque celebratos Alexandriae, Romae, Antiochiae, Neapoli in Campania &c. ex Marmoribus edocemur. Atque ita quidem, ut Agones iſti *Actiaci*, qui Romae *Auguſtales*, *Italici*, *Romani*, Caeſareae, Pergami, Smyrnae &c. *Sebaſtonici* a Caeſaris nomine, & *Iſelaſtici*, quod

ipſorum Victores, diruta Moenium parte, triumphantium inſtar, Urbem ingredi ſolerent, vocati leguntur paſſim in Lapidibus apud Gruterum p. 316. n.2, & Gudium p. 217. n.1, ac praeſertim in Neapolitano Marmore apud Rheineſium Claſs. 5. n.22., ac Sponium in Miſcellan. Erud. Antiq. ſect.10. n.110. Antiq. Graec. Supplem. Poleni T.IV. edit.Ven. p.1373, in quo primo viciſſe fertur *Artemidorus* Antiochenus: quod Marmor ad Neapolim, non in Campania, ſed in Acarnania prope Actium referendum puto, & ad Ludos ab *Auguſto* indictos, *Actiacos* ideſt, non ad Agones *Capitolinos* a *Domitiano* conditos, uti cenſuit Corſinius differt. Agon.4. §.13. p. 101. ſq. Quos perinde ad Ludos *Actiacos* referendum puto Marmor aliud Neapoli in Campania repertum, ubi Ludi hi *Auguſtales*, *Italici*, *Romani*, *Sebaſtici*, *Iſelaſtici* vocati leguntur, de quo idem Corſinius p.102. ſqq. Atque hiſce de *Actiacis* Ludis in Judaeam potius inlatis,quam primum inſtitutis accipiendum opinor Joſephi Antiq. Jud. lib.15.cap.11. locum, quo ab *Herode* etiam Rege *Quinquennale* certamen in honorem, & gratiam *Auguſti* conditum refert. Quo vero tempore *Actiaci* Ludi hi ab *Auguſto* fuerint iſtituti, oſtendit idem Corſinius ibid. p.109. Marmoris iſtiuſmodi Neapolitani ope. Nempe eo in Marmore ſiquidem *Olympias Italica* 43. celebrata memoretur, ideſt *Auguſtalis* ille Ludus *Actiacus* U. C. anno 923. peractus fuerit, inde fit, ut prima Ludorum *Auguſtalium*, ſive harum *Olimpiadum* inſtitutio, primumque *Luſtrum*, ſive *Quinquiennium* in annum U. C. 755, Aerae Chriſtianae 2. inciderit.

XIV. Haud abſimilis generis Agones ſimili quinque annorum ſpatio definiti, ideo *Quinquennalia* inde denominata, Romanis inſtituti ſaepe memorantur. Enim vero Romanis vetuſtiſſimo more Vota pro Reipublicae, ac deinde pro Imperatorum incolumitate, cum in *Quinquiennium*, tum poſtea in *Decennium* nuncupari conſueviſſe Latinae Hiſtoriae conditor Livius non uno tradit luculentur, ac diſerte in loco. Namque cum a *Cajo Attilio Serano*, tum a *Flaminio* Vota hujuſmodi fuiſſe ſuſcepta ſcribit lib.1. Dec.3, & lib.2. Dec. 3. More quoque antiquo Provincias, ac belli pondus mox ad *Quin-*

Digitized by Google

Quinquiennium, mox ad *Decennium* Viris de Republica optime meritis qua adminiſtrandas, qua gerundum, Senatus, Populique Romani decreto adtribui conſueviſſe auctor eſt locuples Dio. Ac *Julio* ſane Caeſari Illyricum, & Gallia Ciſalpina in *Quinquiennium* decretae anno U. C. 693, anno 1. Olymp. 180, eidemque rurſus in aliud *Quinquiennium* Provinciae cum belli pondere, *Craſſi*, atque *Pompeji* conſenſu, prorogatae traduntur a Plutarcho in *Julio* Caeſare. *Cn. Pompejo* quoque Hiſpania Provincia in *Quinquiennium* aſſignata; & *M. Craſſo* itidem Syria legitur apud Dionem lib. 39. Inde profectum igitur, ut paſſim Imperatores ad *Quinquiennium* Imperium, deferente Senatu, ſibi adſumerent. Itaque *Octaviano*, cum *Auguſti* cognomine, Imperium ad *Quinquiennium* anno Juliano 19, non ante diem 16. Kalend. Februarii, ut habet Cenſorinus de Die nat. cap. 21, cui adhaeret Petavius Doct. temp. lib. 10. cap. 2, nec Idibus Januariis, ut Ovidius Faſt. lib. 1. ſcribit, ſed 7. Idus Januarii, veluti legitur in vetuſtiſſima Inſcriptione Narbonenſi *Auguſto* dicata apud Gruterum p. 229, fuiſſe collatum liquet cum ex praefat. Inſcriptione, tum ex Dione lib. 53: qua de prima Imperii Romani Epocha plura Uſſerius ad Annum M. 3977, Noriſius de Votis Decennal. cap. 1, & Pagius in Diſſert. Hypatica cap. 2. Completo vero Quinquiennio, rurſus in aliud *Quinquiennium* Imperium prorogari inde ſolebat, indeque conflata *Decennalia*, *Quindecennalia*, *Vicennalia*, *Tricennalia* ſunt, juxta nempe atque Imperii anni explebantur, atque ita ut dicerentur *Quinquiennalia* prima, ſecunda, tertia, quae Imperii anno 5. 10. 15, *Decennalia* prima, ſecunda, tertia, quae Imperii anno 10. 20. 30. celebrari ſolebant; celebrarique cum Sacrificiis, Votis ſolemnibus, Ludis Circenſibus, Scenicis, Gladiatoriis: Votorum formulam vero, qua ad *Jovis Capitolini* aram nuncupari conſuebant, videre licet apud Onuphrium in Faſtis, Briſſonium de Formul. lib. 1. cap. 164, Noriſium, & Pagium loc. cit. Sed & hiſce in *Quinquienniis*, *Decenniis &c.* aedificata Templa, vel dedicata, nova extructa Oppida, Filios in Imperii conſortium adſcitos, Criminum Indulgentias collatas, Edicta pro Religione, vel bo-

no publico emiſſa, Apologias pro Religione oblatas, Inſcriptiones paſſim elucubratas &c. obſervat Pagius: unde plurimam Chronologiae, & Hiſtoriae lucem accerſit, inſignemque veluti Periodum, atque temporum Epocham obſervandam pluribus oſtendere pergit: qua ideo de re plures ſcitu valdequam dignos pró rei intelligentia Canones Vir doctiſſ. cit. cap. 2. ſqq. ſtatuit. Qui demum ex hacce *Quinquennalium*, ac *Decennalium* Feſtorum Epocha cum Scaligero de Emend. Temp. lib. 5. p.501. *Indictionum* originem arceſſere non dubitat, de quibus infra §.xxii. ſqq. Caeterum *Quinquennalia*, *Decennalia*, &c. reliqua id genus, non ineunte, ſed peracto ultimi anni circulo peragi conſueviſſe opportune advertit Sirmondus in Not. ad Sidonii Carmen 13. Oper. T.I. edit. Ven. p. 753. cum ex ipſo Sidonio, qui loc. cit. Imperii Luſtro peracto *Quinquennalia* celebrari ſolita fuiſſe ſcribit, tum ex Marcellino, qui lib.15. a *Conſtantio* Imperii anno 30. finiente Ludos tum *Circenſes*, cum *Theatrales* ambitioſo editos adparatu, *Tricennalia* ideſt, fuiſſe peracta refert.

XV. Graecarum item *Olympiadum* more poſt Auguſtum *Quinquiennale* certamen Romae primum a *Claudio Nerone* triplex fuiſſe inſtitutum, *Muſicum*, *Gymnicum*, & *Equeſtre*, ſuoque de nomine adpellatum *Neronia*, tradit Svetonius in *Claudio* cap. 12. Primo videlicet Imperii evoluto Quinquiennio, alteroque inchoato anno, ideſt U. C. 813, Aerae Chriſtianae 60, Ludos *Quinquennales* a *Nerone* conditos, & ad morem utique Graeci certaminis, explicitiſſime ſcribit etiam Tacitus Annal. lib.14: *Nerone IV, Cornelio Coſſo Coſſ.*, inquiens, *Quinquennale Ludicrum Romae inſtitutum eſt ad morem Graeci certaminis*. Iſtud vero Certamen anno *Luſtri* a *Nerone* inſtitutum, a *Gordiano* auctum fuiſſe, atque firmatum auctor eſt Victor Schotti. Quo loco Scaliger de Emend. Temp. lib. 5. p. 469. ſq. opinatus *Olympicorum* more Ludos iſtos anno ineunte quinto, non vero quinto exeunte, veluti ſcribunt Tacitus, & Victor, fuiſſe celebratos, refellitur a Lipſio in Not. ad Tacitum edit. Antuerp. p.207, & a Noriſio de Votis Decennal. cap.1. Oper. T.II. edit. Veron. p.1179. Poſt haec Graecarum itidem *Olympiadum* inſtar, a *Domitiano* Agones

Digitized by Google

Agones *Capitolinos*, Quinquienniis ſingulis agendos, fuiſſe inſtitutos auctor eſt locuples Cenſorinus de Die Nat. cap. 5: *Annus Magnus*, inquiens, *apud Graecos ex quadriennio commodior viſus eſt, ut Annus Solis conſtaret ex diebus trecentis ſexaginta quinque, & diei parte circiter quarta; quae unam in quadriennio diem conficeret. Quare Agon & in Elide Jovi Olympio, & Romae Capitolino quincto quoque anno redeunte celebratur.* Non fruſtra ſane *Olympico* Agoni Elidenſi a Cenſorino Romanus Agon *Capitolinus* adjungitur: quippe ad illius imitationem Romae a *Domitiano* hic inſtitutus diſtinctiſſime legitur apud Svetonium in *Domitiano* cap. 4. *Inſtituit Quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, Muſicum, Equeſtre, Gymnicum*: quo de Petavius Doct. temp. lib. 11. cap. 21. ſq., *Quinquennale*, inquam, quia anno quoque quinto repetitum, quemadmodum *Olympicum*, *Jovi Capitolino* ſacrum, quemadmodum & illud Elidenſe *Olympio*: de quo Gravius in Not. ad Panvinium de Ludis Circenſ. lib. 2. cap. 1. p. 288. Quin *Annum Magnum* apud Romanos, hoc eſt *Luſtrum*, in deſuetudinem, uti videtur, delapſum per Agones iſtos *Capitolinos* a *Domitiano* conſtitutos fuiſſe inſtauratum, ac diligentius obſervari deinceps cepiſſe ſubdit Cenſorinus: *Quorum*, inquiens, *Agonum primus a Diocletiano inſtitutus fuit duodecimo ejus, & Ser. Cornelii Dolabellae Conſulatu*: qui fuit U. C. annus 839. Varron., Aerae Chriſtianae 86, Olymp. 216. annus 1, non vero Olymp. 221. annus 2, veluti perperam habet Erycius Puteanus de Olymp. cap. 10. Antiq. Graec. T. IX. p. 1518. In primo *Capitolino* Agone porro Victoriae palmam retuliſſe *Artemidorus* quidam Adanenſis, & Antiochenus legitur in eximio Marmore Neapoli reperto, quod exhibent Rheineſius, ac Sponius locis ſupra §. XIII. citatis, Corſinius etiam Agon. diſſert. 4. §. 13. p. 501: quod ego Marmor referendum aeſtimo magis ad Agones *Quinquennales* ab *Auguſto* conditos, de quibus paullo ſuperius actum eſt, non ſecus atque Marmor aliud Neapoli nuper defoſſum, de quo ibid. Sicuti vero *Olympicis* Ludis, ſic & Agonibus *Capitolinis* ſuus & Menſis, ac dies adſignati ſunt, de quibus Puteanus loc. cit. Eos vero celebrari nedum certamine, ſed etiam proſa Ora-

Oratione, Graece, Latineque, Citharaedia quoque; Pſallocithariſtia, & Chorocitharaedia teſtatur cit. cap. 4. Svetonius. Idcirco autem *Olympiadum* inſtar celebrati Agones *Capitolini* dicuntur, quod quarto completo, anno quinto ineunte agi ſolerent, quibus etiam Imperatores ipſos praeſidere ſolitos fuiſſe refert Herodianus lib. 1. Ab eodem *Domitiano Albanus* etiam inſtitutus Agon fertur: ſed prae iſto longe nobilior habitus ſemper eſt *Capitolinus*, adeo ut inde Romae non amplius per *Luſtra*, velut antea, ſive per *Annum Magnum*, uti *Luſtrum* vocabant, ſed per Agones *Capitolinos* tempora deinceps ſupputari ad ſua uſque tempora conſueviſſe auctor ſit Cenſorinus nobis paullo ſuperius memoratus. Sed & in his mos obtinuerat, ut Poetae, itidemque Rhetores, aliique Profeſſores Artium corona, & ramo, & torque decorarentur: unde profectum coronandi Poetas morem obſervat Dempſterus ad Roſini Antiq. Rom. lib.5. cap. 18. poſt Scaligerum Auſon. Lect. lib.1. cap. 10. Ab hiſce denique Ludis a *Domitiano* inſtitutis longe diverſi erant *Capitolini* olim a *Camillo* pro ſervato ab obſidione Gallorum Senonum Capitolio, de quibus Livius lib.5.cap.29,& Plutarchus Quaeſt. Rom. q.53. De Ludis aliis qui adhuc plura deſideret, adeundus Dempſterus Antiq. Rom. lib.5. cap. 12. ſqq., nam de hiſce diſſerere inſtituti heic noſtri haud intereſt.

XVI. Chaldaeis, ac Babyloniis propria fuit, Beroſo referente apud Syncellum, Periodus annorum 5. dicta *Sarus*, conflata ex Periodo dierum 9. *Neros* denominata, quae ipſa pariter ex altera Periodo horarum 3. nuncupata *Soſſus* concinnata videtur. Sed hacce de triplici apud Chaldaeos, atque Babylonios uſurpata Periodo abunde, opinor, diſputatum eſt Volum.I. Art.II. de Menſ., & Annis Chaldaeorum &c. §. XII. ſqq. p.428. ſqq., videndus tamen, ſi libet, Fourmontius Reflex. Critic. T.II. lib. 3. cap.23. p. 475. ſq. Hebraeis quoque, omniumque fortaſſe Gentium primis, ſua, eaque Divina quidem inſtitutione, juſſuque, Periodus fuit, atque primo quidem annorum 7, ideo *Sabbathica* denominata: quo anno 7. decurrente, Hebraeis duo religioſe obſervari debebant, 1.° Ἀγεωργησία, *Agriculturae Ceſſatio*, unde vocabatur

tur שְׁבַּת הָאָרֶץ *Sabbathum Terrae*; 2.° *Remiſſio debitorum* facta a Creditoribus, unde שְׁמִטָּה לַיהוָה *Remiſſio Jehovae* nuncupabatur, lege Divina lata Exodi xxiii, Deut.xxxi, & Levit. xxv. Hinc anſam fertur arripuiſſe R. Elias comminiſcendi Mundum ſtaturum ſex mille annos, Annoque milleſimo ſeptimo futurum *Magnum Annum Sabbathi*, ſive duo millia *Inanitatis*, duo millia *Legis*, duo millia dierum *Meſſiae*, in Thalmud Babylon.Cod.*Sanhedrin* cap. *Helec*.11. fol.97. col.1, & Cod. *Avoda Sara* cap.1. fol.9. col.1. *Meſſiae* tamen adventum ob iniquitates Populi dilatum ſubjungunt R. Gedalias Ben-Jechajae in שלשלת הקבלה fol. 24, col. 2, & R. Raſchi in Tract. *Sanhedrin* fol.92. col. 3. Quos tamen, eoſque turmatim ſequutos Judaeos ceteros domeſtico iſto R. Eliae teſtimonio oppugnandos egregie ſuſcepit Hoornbeeckius de Convinc. Judaeis lib.2. cap.1. p. 180. ſqq., *Meſſiam* jamdiu adveniſſe demonſtrans. Videndi & Goodvvinus Antiq. Sac. Codic. lib.3. cap.9. p. 81, & Carpzovius in Annot. ad hunc locum p.466. ſq. Etſi vero traditionem Eliae iſtam ſuffragio munire ſuo viſi ſint nonnulli Eccleſiae Patres S. Irenaeus, S. Juſtinus, Victorinus, Lactantius, Origenes, & S. Auguſtinus apud Cornelium a Lapide in Apocalyp: xx. p.299, abſque fundamento tamen eam ſuperſtructam oſtendere nititur Pezronius Antiq. Temp. cap.2. §. 4. p. 83. ſqq.: quo de argumento fuſius alibi, ſi Superis arridebit. Jam vero incipiebat *Sabbathici* Anni ſupputatio a die 10. Menſis 7. *Thiſri*, qui erat dies *Expiationis*, uſque ad diem 8. ſequentis anni, veluti cenſent Biermannus de Moyſe, & Chriſto lib. 4. cap. 7. p. 679, & Carpzovius in Annot. ad Goodvvini Antiq. Sac. Cod. lib.3. cap. 9. p. 446; tametſi Maimonides in *Schemitta*, & *Jobel* cap. 4. §. 6, & cap. 10. §.3, & cum ipſo Meyerus de Temp. Sacr., & Feſtis Hebr. lib.2. cap. 6. §.8, a die 1. *Thiſri* Anni *Sabbathici* initium repetendum duxerint. A quo autem tempore, poſt Ingreſſum in Palaeſtinam, numerari Anni, & obſervari שמטה *Schemittae*, Anni *Sabbathici* ceperint, non adeo conſtat. Poſt annos 14. ab Ingreſſu, ideſt poſt annos 7. ſubjugationi Terrae, alioſque 7. Terrae diſtributioni impenſos, *Schemittam* 1. cepiſſe ſcribit Maimonides loc. cit. cap. 10; cui adſtipulari non dubi-

Digitized by Google

dubitarunt Meyerus cit. loc. cap. 6. §.4. ſqq., & in Annot. ad *Seder Olam* cap. 7. p. 372. ſq., & Carpzovius in Annot. ad Goodvvinum loc. cit. Contra tamen exactis primis ſeptem poſt Ingreſſum annis, *Schemittam* obſervari cepiſſe opinantur R. Abarbanel, Ralbag, R. Azarias, & alii apud Meyerum de Temp. Sac., & Feſt. Hebr. lib. 2. cap. 6. §.4. ſqq. An vero *Sabbathici* unquam interrupti fuerint Anni, lis eſt inter Eruditos, e quibus Torniellus ad Annum M. 2584. interruptos ſaepe cenſet; contra Ricciolius Chronolog. lib. 1. cap. 16. nunquam intermiſſos ſuadere conatur, cui adhaeret Cherubinus a S. Joſepho Bibl. Criticae Sac. T.II. diſput. 4. Art. 1. Sect. 3. p. 364. ſqq., apud quem videſis argumenta in utramque partem.

XVII. A Joſue itaque Palaeſtina occupata, eaque in duodecim Iſraelitarum Tribus diſtributa, annoque ab Ingreſſu, non primo, uti Torniello ad An. M. 2590. n. 5, Saliano ad eumdem An. n. 4. ſqq., ac Tirino in Chron. cap. 25. viſum eſt, ſed anno 7, uti verius docent Vatablus in Hierem., Scaliger de Emend. temp. lib. 5. p. 374. ſq., Petavius Doct. temp. lib. 9. cap. 26, Cornelius a Lapide in Levit. 25, Ubbo Emmius in Chronolog., Langius de Annis Chriſti lib. 1. cap. 11, Ricciolius in Chronol. lib. 1. p. 29, Genebrardus Chronolog. in Joſue, Bonfrerius in Levit. 25, Menochius de Repub. Hebr. lib. 3. cap. 10. &c., queis in ſententia praeivere Judaeorum Doctiores ſupra recenſiti, *Sabbathicus* celebrari Annus cepit. Iterum *Sabbathum* 1, juxta Gerardi Mercatoris computum in Chronolog. anno M. 2506, ab *Exitu* 53. actum eſt. *Sabbathum* 7. an. M. 2549, quo etiam *Jubilaeum* 1. celebratum aeſtimat. *Sabbathum* 20. an. M. 2680. *Sabbathum* 70. an. M. 3020, qui fuit *Jubilaeus* itidem. *Sabbathum* 118. an. M. 3360, quo anno capta Urbs eſt a *Nabuchodonozore*, & Captivitas inde Babylonica ſucceſſit. Poſt reditum e Babylone, *Sabbathum* 1. anno M. 3439. celebratum arbitratur, indeque *Jubilaeum* 2. incidiſſe in *Sabbathum* 14. *Sabbathum* 42. fuiſſe *Jubilaeum* 6. *Sabbathum* 49. *Jubilaeum* 7. *Sabbathum* 81. anno M. 4000, quo *Chriſtus* D. Cruci adfixus fuerit, atque *Sabbathi* 86. ultimi anno 3, Mundi 4036, Olympiadis 212. an. 1. Hieroſolymam everſam fuiſſe. Quae tamen Gerardi Mercatoris ſupputatio ex Uſſerio

rio Chronolog. Sac. cap. 13. p. 72, & in Annal. ad ſeq. annos ita dirigenda videtur, ut Annus 1. *Sabbathicus* in annum 47. ab *Exitu*, & Mundi annum 2560. conferendus ſit; a quo perinde anno *Jubilaeorum* Epocha quoque deducenda eſt, atque ita quidem, ut *Sabbathicus* 7. anno M. 2609. contigerit, quo etiam *Jubilaeus* 1. actus fuerit. *Sabbathicus* 14, & *Jubilaeus* 2. an. M. 2658. *Sabbathicus* 21, & *Jubilaeus* 3. an. M. 2707. *Sabbathicus* 28, & *Jubilaeus* 4. an. M. 2756. *Sabbathicus* 35, & *Jubilaeus* 5. an. M. 2805. *Sabbathicus* 42, & *Jubilaeus* 6. an. M. 2854. *Sabbathicus* 49, & *Jubilaeus* 7. an. M. 2903. *Sabbathicus* 56, & *Jubilaeus* 8. an. M. 2952. *Sabbathicus* 63, & *Jubilaeus* 9. an. M. 3001. *Sabbathicus* 70, & *Jubilaeus* 10. an. M. 3050. *Sabbathicus* 77, & *Jubilaeus* 11. an. M. 3099. *Sabbathicus* 84, & *Jubilaeus* 12. an. M. 3148. *Sabbathicus* 91, & *Jubilaeus* 13. an. M. 3197. *Sabbathicus* 98, & *Jubilaeus* 14. an. M. 3246. *Sabbathicus* 105, & *Jubilaeus* 15. an. M. 3295. *Sabbathicus* 112, & *Jubilaeus* 16. an. M. 3344. *Sabbathicus* 119, & *Jubilaeus* 17. an. M. 3393. *Sabbathicus* 126, & *Jubilaeus* 18. an. M. 3442. Atque *Sabbathici* quidem ante Captivitatem anni 130. ita numerati profecto ſunt uſque ad annum M. 3470: *Jubilaeus* quoque 18, ut *Sabbathicus* 1. poſt Captivitatem, ordine vero ſuo 131, actus ſit eodem anno M. 3470, indeque *Sabbathicus* 133, & *Jubilaeus* 19. contigerit anno M. 3491. *Sabbathicus* 140, & *Jubilaeus* 20. an. M. 3540. *Sabbathicus* 147, & *Jubilaeus* 21. an. M. 3589. *Sabbathicus* 154, & *Jubilaeus* 22. an. M. 3638. *Sabbathicus* 161, & *Jubilaeus* 23. an. M. 3687. *Sabbathicus* 168, & *Jubilaeus* 24. an. M. 4736. *Sabbathicus* 175, & *Jubilaeus* 25. an. M. 3785. *Sabbathicus* 182, & *Jubilaeus* 26. an. M. 3834. *Sabbathicus* 189, & *Jubilaeus* 27. an. M. 3883. *Sabbathicus* 196, & *Jubilaeus* 28. an. M. 3932. *Sabbathicus* 203, & *Jubilaeus* 29. an. M. 3981. *Sabbathicus* 210, & *Jubilaeus* 30. anno Mundi 4030; qui ultimus fuit, atque in annum 30. Chriſti D. incurrit: quo promulgari *Evangelium* cepit, Annuſque *Domini* acceptus. Atqui de *Jubilaeo* fuſius infra ſermo rurſus recurret, paucis, quoad operae feret pretium, expediendus,

XVIII. Ex hacce porro Hebraeis receptiſſima Periodo

annorum 7. geminata conflatam eiſdem perinde fuiſſe, pro deſignando *Paſchatis* die, Periodum annorum 14, atque poſtrema ex iſta ſexies repetita Periodum annorum 84. alteram denique fuiſſe compoſitam, qua ſub Chriſti D. aetate uſi Judaei ſint, auctor eſt S.Epiphanius Haer. LI. *Alogorum*. Quo vero tempore, quave ratione totum id factum Judaeis fuerit, in obſcuro valdequam latet; quod utrumque tamen bono in lumine, quoad ejus fieri poterit, collocandum eſt. Principio itaque praetermiſſis heic, quae multis T.I.Art.I. de Menſ., & Anno Judaeorum diſputata jam ſunt, unde lucem ſane haud modicam dicendis modo haurire liceret, Judaeos uſque ad *Julii Caeſaris* aetatem certa Periodo, Cycloque *Paſchati* celebrando uſos negat Baſnagius Hiſt. Jud. T. VI. Par. I. cap. 13. §.14. ſq. edit. Hag. Com. p.249. ſqq., ea ductus ratione, quod tum adhuc temporis Aſtronomici calculi Judaeis prorſus ignoti eſſent, unaque *Phaſi Lunae* Paſcha definiri ſolerct. Contra Scaligerum etiam a Judaeis *Calippi* Periodum annorum 76. adhibitam inficiatur Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 25. ſq., quem ſequitur eodem loci Baſnagius, & laudat. Publici deinde juris facto Kalendario *Juliano* anno 37. poſt *Julii* obitum, anno 49. ab ejuſdem Imperatoris fato, ante Chriſti D. natalem anno 5, a Judaeis Kalendarium illud receptum demum autumat idem Baſnagius. Quin exinde Cyclum a Judaeis annorum 8, in quibus intercalares Menſes annis 3. 4. 8. adgregarentur, elaboratum fuiſſe anno M. 3914. arguit Petitus Eclog. Chron. lib. 1. cap. 8. p.28. ſqq. Verum ab *Herode Magno*, anno poſt captam Urbem inſequenti, Kalendarii *Juliani* uſum tum demum apud Judaeos inductum fuiſſe veri deinde ſimilius habet idem Petitus: cui repugnat Dodvvellus de Cyclis diſſert. 9, nihil de Anni forma apud Judaeos, niſi profligato bello, fuiſſe immutatum, neque, niſi ſub *Caracalla*, Judaeos demum Cyclo uti cepiſſe pugnans. Contra Baſnagius §.20. ſq. p.256. ſeq. in ea opinione verſatur, ut tum Judaeis tandem Cyclum adhibitum putet, poſtquam exciſa Urbe in Aegyptum, Provinciaſque alias diſperſim ſecedere compulſi ſunt. Veri tamen longe reputari ſimilior S.Epiphanii ſententia debet, ut cui Judaicus Cyclus ignotus eſſe nequivit, qua ſcribit Judaeis ſub Chri-

ſti

ſti D. paſſione geminum uſu Cyclum veniſſe, atque unum quidem, ex Annis *Sabbatbicis* bis repetitum, annorum 14. ideſt, alterumque ex Cyclo iſto annorum 14. ſexies ducto, ideſt annorum 84. conflatum: quo poſtremo Cyclo *Paſchati* celebrando veteres etiam Chriſtifideles diu uſos infra videbimus. Difficilem ſane S. Epiphanii locum videre multi, explanareque adgreſſi ſunt: in quibus Aegidius Bucherius de Cyclo Jud. cap. 5. p. 377. perſuaſum habuit a *Jaſone* Periodum *Calippicam* an. 76. in Judaeam fuiſse delatam anno Aerae Seleucidarum 151, Periodi Julianae 4552, U. Romae C. 592, ante Chriſtianam Aeram 162. *Calippicae* vero Periodo additos a Judaeis fuiſse annos 8, ita ut inde Periodus fieret annorum 84, quae ſpatio annorum 7. ſucceſſive decurreret, eoque ſexies repetito compleretur; atque Periodo utraque ſane *Minori* annorum 14, & *Majori* annorum 84. Chriſti D. tempore uſos Judaeos locupleti S. Epiphanii teſtimonio conſtare. Qua tamen Periodo, vitio utpote non vacante, factum putat cap. 6. p. 383, ut *Paſcha* Judaeis uno, vel altero die antegrederetur, ideoque errori iſti cavendo Judaeos duobus continuo diebus *Paſcha* celebrare deinceps conſueviſse, quo demum pacto Vir doctiſs. nodum ſolvit difficilem inde ſubortum, quod a Chriſto D. *Paſcha* poſtremum die pridem, quam a Judaeis, celebratum memorent SS. Evangeliſtae.

XIX. Parum hinc abfuere Keplerus in Eclog. Chron., & Petavius in Animad. ad S. Epiphanium Haer. 51. Oper. T. II. edit. Pariſ. p. 159. ſqq., quos ambos ſalebroſo huic admodum S. Epiphanii loco illuſtrando diſtento incubuiſse prae aliis nervo perſpectum eſt. Ille prior nempe Judaeis *Lunarem* Annum fuiſse judicat dierum 354. cum horis 8; ex quibus horis 8. ſingulis trienniis fieret dies 1. Ad haec ſpatio annorum 14. Menſes 5. intercalari conſueviſse Judaeis cenſet, ac Menſem 1. item quolibet anno 84; adeout annorum 84. ſpatio Menſes 31. inſeri ſolerent: quum alioquin ultra Menſes 31, dies 24. cum horis 3, S. Epiphanii ſententia, intercalandi eſsent. Juxta haec itaque poſt *Teſſaradecaeterides* 6, ſive poſt annos 84, *Lunarem* Annum *Solari* aequatum ire perſuaſum fuiſse Judaeis ex S. Epiphanio arguit Keplerus; qui perinde hancce Cycli apud Judaeos

formam ita ſtatuere conatur. Videlicet diebus 354. cum horis 8, quot *Lunaris* conſtabat Judaicus Annus, quater & decies, ideſt per Cyclum 14, repetitis dies fiebant 4956, horae 112, ſive dies 4, horae 16: quibus additi Menſes 5. dierum 29. cum horis 12. ſinguli, ideſt dies 147. cum horis 12, efficiebant dies 5103. horas 12: quibus item adjectis horis 112, ſive diebus 4. horis 16. fiebant dies 5108. horae 4. Jam vero inde detractis *Julianis* annis 13, qui faciunt dies 4748. horas 6, relinquebantur dies 359. horae 22: e quibus fiebat annus *Julianus* 14, ita tamen, ut poſt annos 84, *Lunam* cum *Sole* paria facere Judaeis perſuaſum eſſet. Falſo tamen, ac perperam: namque *Lunares* anni 84, hoc eſt Cycli *Decemnovennales* 4. cum *Octaeteride* dies exigunt 30682. cum horis 6. minutis 51.' fere, qui differunt a *Julianis* 84. die 1. horis 6. min. 51.', ideoque biduo fere *Neomeniae* in Cyclo Judaico antegrediebantur. Nonnulla in Kepleri ſupputatione reprehenſione digna Petavius deprehendit: qui duplici perinde modo Cyclum hunc ipſum Judaicum diſponere adnixus eſt. Ita nempe in *Teſſaradecaeteride* dies ineſſe 4956. obſervat, quibus additae *Syzygiae Embolimeae* 5. plenae, hoc eſt dies 150, efficiunt dies 5106, atque his adjecti dies 2. horae 4, ex horis 8. relictis collecti, dant dies 5108. horas 4. Sed enim *Juliani* anni 14. dies 5113. horas 12. exigunt, qui proinde *Lunarem Teſſaradecaeteridem* ſuperant diebus 5. horis 8; quos dies, horaſque ad finem Cycli 84. reſervari apud Judaeos conſueviſſe S. Epiphanius indicat, ut inde Menſis intercalaris extra ordinem fieret. Verum Cyclus hic annorum 84. aberrat a *Solari* diebus 2, a *Lunari* diebus 3: *Juliani* namque anni 84. dies conficiunt, (non 40681, ut ibi perperam ſcripſit Petavius), ſed 30681, ut recte emendandum admonuit Beveregius Annot. in Canon. Apoſt. VII. apud Coteierium PP. Apoſtol. edit. Amſt. T.I. p.464; *Lunares* vero totidem anni 84. dies colligunt, (non 40679, ut eodem loci p.162. falſo denuo habet Petavius), ſed 30679, ideoque *Ogdoecontateſſaraetidi Lunari* biduum deeſt ad *Solis* rationes adipiſcendas. A *Lunari* vero plus triduo abeſt Periodus haec annorum 84, juxta Petavium ibid. p. 163: nam *Juliani* 84. dies, (non 40681, ut iterato ſcribit), ſed 30681. efficiunt, *Lunares* vero

ro totidem 84. anni ſecundum medios motus dies colligunt, (non 40582, velut & heic Petavius habet), ſed 30682. hor. 6. min. 51.', deſunt itaque *Ogodoecontateſſaraeteridi* Judaicae dies 3. hor. 7; indeque fiebat, ut *Neomeniae* diebus 3, vel 4, *Aequinoctia* vero biduo anteverterent. Altero modo eamdem Periodum annorum 14, & 84. ex S. Epiphanii mente exponere tentat Petavius ibid. p. 164. ſq. Nempe Judaica *Teſſaradecaeteris* dies habebat 5108. horas 12, *Ogdoecontateſſaraeteris* vero Juliana dies 40681, quibus ſane vertentibus *Luna* cum *Sole* in concordiam redire credebatur, bidui tamen differentia intercedente. Quae tamen concordia ita ſtatuitur, ut Cycli alternatim ſint dierum 5108, & 5109, unde Cyclus 1. conficiatur ex diebus 5109, ex *Syzygiis Plenis* 92, *Cavis* 81; Cyclus 2. ex diebus 5108; Cyclus 3. ex diebus 5109; Cyclus 4. ex diebus 5108, Cyclus 5. ex diebus 5109, Cyclus 6. ex diebus 5108: quibus additi dies 30. ex *Epuctis* Solaribus *Teſſaradecaeteridum* ſingularum relicti efficient dies 30681, ſive Menſes 1039, ideſt *Plenos* 550, *Cavos* 489. Porro ex *Julianis* annis 14, ſive diebus 5113. horis 12. detracti Judaici anni 14, ſive dies 5108. cum horis 12, relinquentur dies 5, qui in Cyclum 84. ultimum differuntur: quum in priori methodo dies 4. cum horis 16. reliqui dumtaxat eſſent, in Cyclum etiam ultimum differendi. Itaque in ſingulis *Ogdoecon tateſſaraeteribus*, ſive poſt annos 84, *Aequinoctia* diebus 2. anticipaſſe, *Neomenias* vero antevertiſſe die 1. horis 7. Petavius inde concludit, videndus plane, qui plura de Cyclis hiſce Judaicis *Minori*, ac *Majori*, ſive annorum 14, & 84, ſcire deſideret; nobis enim ad Periodos alias, ſive Cyclos properandum jam eſt: qui caeteroqui de Cyclo altero *Decemnovennali* Judaeis etiam adhibito Volum. I. Art. I, ubi de Menſ., & An. Judaeorum tractatus inſtitutus eſt, verba jam fecimus, quantum noſtrae ferebat operae pretium.

XX. Judaeis poſthac itidem *Noviluniis*, ac *Pleniluniis* figendis Cyclum tergeminum cum *Solarem*, tum *Lunarem* adinveniſſe primus fertur R. Eliezer Haggadol Aerae Chriſtianae anno 73. in *Perakim* cap. 6. ſqq., Gantzio teſte in *Zemach David*; cui tamen contradicit Zacutus in *Juchazin* p. 52. capita

pita illa R. Eliezeri a Recentioribus ſuppoſita fuiſſe adfirmans. *Solis* itaque Cyclus, *Magnus* diebus, *Machàzor Gadol*, annis 28, ex Cyclis minoribus annorum 4. ſepties repetitis confectus, & Cyclus *Lunaris* annis 21, ex Cyclis minoribus annorum 3. ſepties item multiplicatis, compoſitus; ac Cyclus deinde annis 19, ex Cyclis minoribus annorum viciſſim 3, & 2. ſepties invicem ductis, conflatus *Lunae* rationibus *Solis* curſui exaequandis a R. Eliezere apud Judaeos legitur inductus: quos deinde Cyclos emendaſſe, captuque faciliores, atque uſu effeciſſe fertur R. Samuel *Lunaticus* cognominatus anno Chriſti 240. in libro *Inſtitutionum de quatuor punctis cardinalibus*. Sed enim Cyclum 19. a R. Samuele concinnatum meliorem in formam deinde redegiſſe traditur R. Adda Bar-Ahaba eadem ferme ſub aetate, cujuſce, R. Addae nempe, veſtigiis adhaerens R. Hillel Hannaſſi circa annum Chriſti D. 320. tam Cyclum XIX. *Lunarem*, quam *Solarem* Cyclum XXVIII. *Paſchati* rite peragendo rectius accommodaſſe legitur apud Gantzium, & Zacutum loc. cit. Itaque Cyclus uterque ita a RR. Adda, & Hillel attemperatus ultrocitroque Judaeis univerſim admiſſus traditur, uſuque adhibitus, donec anni emendatio a Copernico, & Tychone peracta ſuum etiam in Kalendarium a Judaeis eſt derivata: quin etiam *Gregoriana* Kalendarii Correctio ipſis perinde acceptiſſima evenit. Sed enim hiſce de Judaeorum Cyclis qui ſcire plura deſideret, recolenda, quae fuſius, atque diſtinctius tradita ſunt Volum.I. Art.I. de Menſ., & Anno Hebraeorum &c. §.XXI. ſqq. p.363. ſqq.

XXI. Ad Graecos modo gradum reflectendo, *Pentaeteridis* demum imperfectae admodum, (quippe anni quatuor *Lunares* a totidem *Solaribus* ſuperantur diebus 43. cum dimidio, qui profecto exceſſusMenſis 1. intercalaris additione non ſuppletur), deprehenſae loco, veluti *Lunari* cum *Solari* conjungendo anno longe aptior, ab *Endymione* primum excogitata, poſtmodum a *Cleoſtrato* emendatior facta, ab *Eudoxio* demum eſt ſubrogata Ὀκταετηρὶς, Cyclus hoc eſt annorum 8, e duabus Olympiadibus geminatis conflatus, deque *Eudoxi* nomine *Eudoxius* aliquando nuncupatus: qua de Laertius lib. 8. cap. 87, Cenſorinus cap.18, Suidas &c. Graeci nempe, Macrobio teſte

Sa-

Digitized by Google

Saturn. lib. 1. cap. 13, quum animadvertiſſent tandem Annum ſe temere diebus 354. definiviſſe, atque *Solem* diebus 365. cum quadrante curſum abſolvere ſuum, ne quotannis dies 11. cum quadrante, quod operoſum erat, faſtidioſumque, intercalare cogerentur, anno quolibet octavo dies 90, ex iis diebus 11. horiſque 6. circiter reſiduis octies multiplicatis collectos, ac tres in Menſes dierum 30. diſtinctos octennio exacto intercalandos duxere. Verum *Endymionis*, ſive *Cleoſtrati*, ſeu *Eudoxii Octaeteride* vitio haud vacare cognita, (quatenus anni *Solaris* a *Lunari* diſcrimen octennii ſpatio diei unius cum dimidio erat), eamdem *Harpalus* emendare ſtuduit, interpolatione adhibita, Cyclumque conficiendo dierum 2925. In eo enim anni 5. diebus 354. ſinguli compoſiti, ſunt, ac reliqui anni 2. 4. 5. Menſibus *Cavis* quinque ſinguli, diebus 355. conflati, adjectis Menſibus 3. dierum 30. ſingulis: qua ratione Menſium *Neomenia* diebus 3. poſterior fit, quam ab *Endymione*, aut diebus 2, quam a *Cleoſtrato* fuerat conſtituta; adeo ut, qui ex *Octaeteride Endymionis*, aut *Cleoſtrati* diem in *Harpali Octaeteride* adſequi velit, triduo promovendae ſint *Neomeniae* in *Endymionis*, aut biduo in *Cleoſtrati Octaeteride*. Videndus Petitus in Eclog. Chronolog. de Anno Attico cap. 9. Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 1132. ſqq. Tam vero *Tetraeteride*, quam *Octaeteride* iſta egregie uſos Elidenſes, (antequam inſtituta deinde a *Metone Enneadecaeteride*, hanc in illius locum ſufficerent, quam deinde ſuffectam oſtendit Dodvvellus de Cyclis diſſert. 4. ſect. 10.), in *Olympicis* agendis Ludis, ex Pindari Scholiaſte ad Olymp. 3. v. 35, & 90. demonſtrare Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 36. ſq., & Dodvvellus cit. diſſert. ſect. 13. ſq. conantur. Scholiaſtes ille ſcilicet auctor eſt *Olympicos* Agones modo poſt Menſes 49, modo poſt 50, ideoque Menſe interdum *Apollonio*, interdumque *Parthenio* celebrari conſueviſſe. Inde vero ii Duumviri Elidenſes volunt eam olim adhibuiſſe *Octaeteridem*, geminata ex *Tetraeteride* contextam, in qua *Tetraeteris* I, ſive pars 1. *Octaeteridis*, *Embolimaeo* Menſe 1. dumtaxat conſtaret, ideoque *Olympici* Ludi poſt Menſes 49. in orbem redirent; *Tetraeteris* II. vero, ſive pars 2. *Octaeteridis*, Menſes 2. *Embolimaeos* haberet,

ret; ideoque Ludi illi poſt Menſes 50. peragendi forent, atque ita modo in *Apollonium*, modoque in *Parthenium* incurrerent; qui duo perinde Menſes alternatim poſtremi Anni Elidenſis Menſes eſſe debebant, ita ut in priori *Octaeteridis* parte, ſive in *Tetraeteride* I, *Embolimaeus* Menſis, qui unicus erat, atque in tertium ejuſdem *Tetraeteridis* annum incidebat, is *Apollonius* eſſet; in altera vero parte *Octaeteridis*, ſeu in *Tetraeteride* II, quae duos habebat *Embolimaeos*, poſtremus anni Menſis, iſque *Embolimaeus*, *Parthenius* evaderet. Verum Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 13. ſqq., & lib. 9. cap. 48, ac Corſinio Agon. diſsert. 1. §. 5. p. 6. ſqq., & Faſt. Attic. T II. diſsert. 14. §. 17. p. 445. ſq. ingenioſa quidem hypotheſis iſta viſa eſt, quia parum ſolida tamen, proinde exploſa fuit, eam nimirum ob cauſsam, uti jam Volum. II. Art. IX. de Menſ., & An. Graecorum &c. §. v. ſqq. p. 335. ſqq. inſinuatum eſt, quod, hac admiſsa hypotheſi, inde fieret, ut Civilis Elidenſium Anni exordium, ſeu Anni Elidenſis Menſis primus non ab *Olympicis* ipſis Ludis, vel a *Novilunio*, quod proxime Ludos illos praeceſſiſset, ſed potius a *Novilunio* poſt *Olympicos* Ludos ipſos proximiori duxiſset initium: *Olympici* hoc eſt ipſi Ludi non Anni Elidenſis Menſe 1, ſed Menſe 12, imo Menſe aliquando *Embolimaeo* celebrati eſſent. Inſuper factum inde fuiſſet, quod *Octaeteris* ipſa, atque *Tetraeteris* ab Elidenſibus inſtituta, adhibitaque, non ab *Olympico* Menſe, non ab *Olympicorum* initio Ludorum, ſed a proximo magis poſt *Olympicos* ipſos Menſe, aut inſequente procedere debuiſſet: quod utrumque abſonum valdequam, abſurdumque Duumviris hiſce recte videtur; tum etiam quod duos Menſes illos ad Elidenſes haud pertinuiſſe Corſinio perſuaſum eſt; tum vero maxime quod, (quod ſane gravius eſt, ac potius), Attici, & Elidenſis Anni principium ab ipſis *Olympicis* profecto Ludis, ſive a *Novilunio* poſt, ſeu ante *Solſtitium* proximo repetendum fuiſſe invicte Petavius oſtendit; quin etiam, ſibi met ſane parum conſentientes, ipſimet Scaliger p. 37, & Dodvvellus ſect. 3. ita repetendum faſſi ultrocitroque fuerant. *Metonis Enneadecaeteride* igitur Elidenſes iis in Ludis agendis uſos cenſet verius Corſinius, qua de ſuperiori §. iv. abunde, aut ego fallor, diſputatum eſt.

Octae-

Octaeteride denique, ſive Periodo annorum 8, diebus 310. additis, uti quoque Siamenſes hodiedum, in Anno *Lunari Anomaliſtico* definiendo, non ſecus atque *Solarem Aſtralem* Annum Periodo annorum 800. ab ipſis comprehendi abunde diximus Volum. II. de Menſ., & Annis Indorum &c. Art. II. §. xxix. p.406. ſq.

XXII. Hanc juxta Graecorum Periodum, *Lunarem* quoque Annum dirigere ſuum, atque ad *Solis* motum adaptare *Numam Pompilium* decreviſſe tandem memoriae prodiderunt Livius lib. 1. cap. 8, & Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 13. *Octavo* nempe quoque anno dierum 90, Graecorum inſtar, adhibendam intercalationem duxit, ita tamen, veluti Gaſſendo in Kalend. Rom. cap.2, & Puteano de Biſſexto cap.3. Antiq. Rom. T.VIII. edit. Ven. p.152. ſq., & 427. ſq. perſuaſum eſt, ut Romanis intercalandum poſtea videretur, non ad *Octennii* finem, uti mos erat Graecorum, ſed biennio potius quolibet; ac ita quidem, ut anno 2. intercalarentur dies 22, anno 4. dies 23, anno 6. dies 22, & anno 8. dies 23. Niſi quia a *Numa*, Imparis numeri, cujus ipſe ſuperſtitione tenebatur, gratia, die 1. anno ſuperaddito, Januario hoc eſt, diebus 8. proinde ad *Octennii* finem ſupra *Octennium* Atticum Romano abundare *Octennio* deprehenſo, ut errori huic occurreretur, *Octennio* 1, & 2. intercalari dies 90. utique decretum eſt, *Octennio* 3. vero dies 66. dumtaxat. Quod Decemviris factum adſcribit Ovidius in Faſtis. Inde *Numae Pompilii*, ſeu verius Romanorum emerſit Periodus annorum 24, in qua, juxta *Octaeteridem* Atticam, anni 23. intercalaribus diebus 90. adcreſcunt, ſed annus 24. diebus 66. dumtaxat adaugetur, ſive Romanus Annus 24. quilibet Attico 24. quolibet diebus 24. diminuitur. Adeundi, ſi placet, qui de Periodo hacce multis diſputant, Joh. Lalamantius de Anno Attico Antiq. Graec. T.IX. edit. Ven. p.1074. ſqq., & Petrus Caſtellanus de Menſ., & Anno Graecor. ibid. p.1092.ſqq. Sed enim longe, antequam Romanis *Octaeteris* haec accepta evaſiſſet, eamdem uſu Siculis, e quibus ipſi Romani bello Punico primo Παραπήγματα *Parapegmata*, in quibus deſcriptae Syderum obſervationes erant, accepiſſe indicari videntur Plinio lib. 7. cap. ult., ac

Ptolemaeo apud Petitum in Eclog. cap. 2. p. 379, Siculis, inquam, veniſſe, eamdemque ab iis, ut puto, emendatam, a *Julio Caeſare* poſtea Romanis uſurpandam demandatam, ex S. Hieronymo in Chron. arguit Petitus de Anno, & Periodo Veter. Rom. cap. 2. Antiq. Rom. T. VIII. p. 384. ſq. Ita emendatam quin etiam a Romanis *Octaeteridem* hanc accepiſſe deinceps Judaeos ab Herode juſſos anno Orbis conditi 3914. obſervat idem Petitus ibidem: quo loci triplex exhibet Laterculum *Octaeteridis* ejuſdem *Siculae*, *Romanae*, & *Judaicae*, in eo inter ſe diſcrepantium, ut *Siculae Octaeteridis* annus 1. cum anno Mundi 3537, Littera *Dominicali* AG, Cyclo *Solis* 17, *Lunae* 7, ac *Julii* die 14. concurrat; *Romanae* annus 1. cum anno M. 3905, Littera *Dominicali* CB, Cyclo *Solis* 21, *Lunae* 14, & *Martii* die 18; *Judaicae* annus 1. cum anno M. 3914, Littera *Dominicali* E, Cyclo *Solis* 2, *Lunae* 6, & die 6. *Aprilis*. Ex hacce denique Lunari *Octaeteride* rationem profluxiſſe numerandi orbes *Nundinarum*, ſive Litteras octo intra annos 32. variantes, (unde nobis deinde Litterae ſeptem uſurpatae ſunt, intra annos 28. abſolvendae, undeque *Nundinales Ogdoade*, *Dominicales Heptade* annum explent,) apud Romanos, quae numerari ſolebant Ἀπό τῆς Φάσεος, ideſt a prima *Novilunii* adparitione Menſis Martii, hoc eſt biduo poſt *Novilunium* Martii medium, idem Petitus arbitratur, ita nempe, ut Cyclus *Nundinalis*, confecta *Ogdoade* annorum 32, per octo Biſsexta *Nundinas* in ordinem revolveret: qua de re Puteanus item de Biſsexto cap. 14. Antiq. Rom. T. VIII. p. 452. ſq.

XXIII. Atqui Periodi ejuſmodi Romanis olim adhibitae, Livioque lib. 1. cap. 8, alias cap. 19. memoratae ſpatium, non annis 24. utique, ſed annis 22. dumtaxat fuiſſe definitum, multis contendit Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 179. ſqq., uti fuſius Volum. III. Artic. XII. de Menſ., & An. Rom. §. XVI. p. 475. ſq. expoſitum eſt. Contra annis 20. tantummodo Periodum hancce conſtitiſſe pugnat Samuel Petitus in Eclog. de Anno, & Periodo Rom. cap. 1. Antiq. Rom. T. VIII. p. 373. ſqq., indeque profectam opinatur, quod anno *Lunari* intercalares a *Numa* Menſes interpoſitos referat Livius, adeoque ut, inde fieret, ut an-

no

no 20. quoque, (atque ita legendum ſane Livium cit. loco contendit, non 24, uti paſſim legitur aliis), *Solis* metae *Lunae* motus exaequari Romani crederent. Hancce vero Periodum annorum 20. in Minores duas alias Periodos annorum 10. ſingulas ſecandam fore cenſet idem Petitus, ita nempe ex *Minore* Periodo annorum 5, ſive *Luſtro*, *Majorem* annorum 10. bis repetita, ſive e *Luſtris* 2, fuiſſe conflatam; ex *Majori* vero hac annorum 10. bis in ſe ducta, ſive ex *Minori* annorum 5. quater ſumpta, Livianam *Maximam* annorum 20. contextam arbitratus. Ea vero totius rei iſtius ratio eſt Viro erudito, quod ſingulis bienniis *Merkedonius*, diei 7. ante Kalendas Martias inſeri ſolitus, intercalari ſoleret dierum alternatim 22, & 23; unde in Periodo annorum 10. quinquies intercalatio adhiberetur, ter dierum 22, ac bis dierum 23. Aſt enim quum inde fieret, ut intra decennium ſupra rationes *Solis* dies 10. ſuccreſcerent, proinde ex anno 9. dies 10. iſti eximi conſueverunt Macrobio teſte. Qua ratione demum *Lunares* anni 10. *Solaribus* 10. totidem fiebant aequales, horis 12. minus. In annis enim *Lunaribus* 10. collecti dies 3652. numerabantur, ex diebus 355. decies nempe collecti; ac totidem in annis 10. *Solaribus* dies 3652. cum horis 12. erant. Itaque ſupra *Lunaris* Anni rationes decennii ſpatio Anni *Solaris* horae 12. ſuperabundabant, quae ſequenti decennio compenſandae ita erant, ut Periodo annorum 20. expleta, uterque exaequaretur annus; ideoque Periodo iſta *Lunarem* ad *Solis* metam congruere demum Annum recte Livius admonuerit. Denique Periodum hancce documentis ex Hiſtoria petitis confirmare, illuſtrareque Petitus ibidem pergit. Atque lectionem hancce quidem annorum 20. apud Livium comprobat etiam Langius de Annis Chriſti lib. 1. cap. 15. de Anno Rom. antiquo Antiq. Rom. T. VIII. p. 403, ſqq., tum ex Cod. Mſ. Buslidiano, editiſque Belgicis contra Leonem Allatium, & Petavium, qui ex Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 13. Periodum Livio memoratam apud Romanos fuiſſe annorum 24. contendunt. Cum Petito igitur ex Livio eamdem Periodum annorum 20. dumtaxat adſtruere conatur, contra Petitum tamen ex Varrone commentitiam eſſe Periodum annorum 10. idem Langius oſtendit.

XXIV. Verum neque Petito, neque Langio *Romanam* Periodum annorum 20, neque Scaligero eamdem annorum 22. ſtatuentibus adhaerendum, bene vero Petavio, & Allatio rectius eam ad annos 24. extendentibus jam vidimus T.II. Art.XII. de Menſ., & Ann.Rom.§.XVI.p.475.ſq. Atque Langius quidem poſtea Macrobio ita Livium conciliare ſategit, ut a Livio *Numae* tempore Periodum annorum 20.inductam adfirmare pergat, ſub Macrobio tamen longe poſt *Numam* Periodum an.24. inſtitutam denique non neget. Aſt enim Leo Allatius de Menſ. Temp. p. 219. ſcite animadvertit *Romanum* Annum diebus 355. conſtitiſſe, ideoque in annis 24. reddidiſſe dies 8520; Annum vero *Graecorum* diebus 365. contextum in annis totidem reddidiſſe dies 8496, ideoque a *Romano* ſuperatum fuiſſe diebus 24. *Romanos* rurſus Annos 24. cum intercalaribus ſuis collegiſſe dies 8790, totidem vero Annos *Solares* dies 8766, qui ideo diebus 24. exceduntur a *Romanis* annis 24: qui exceſſus dierum 24. eſt ipſe met *Merkedonius* dierum 23. cum die 1. anno quolibet vigeſimo quarto omiſſus, quo proinde Anno plenis annorum ſpatiis, veluti loquitur Livius, ad *Solis* metam dies redibant. Et Livium certe eo loci, ideſt Decadis I.lib.1.cap.19, praeſeferre annos 24. ex praeſtantiſſimis Exemplaribus adnotarunt Liviani editores Oxonienſes anno 1708, Leone Allatio ideo laudato, quod Livii mentem rite aſſequutus, *Romanam* ex eodem Periodum recte explicuerit. Ad haec autem Petavius Doct. temp. lib.2.cap.74.ſq.fide cum Livii cit. lib 1. cap.8. poſt annos 24. *Lunae* motus *Solis* aequari metae referentis, tum Macrobii Satur.lib.1.cap.13. adfirmantis tertio quoque *Octennio* dies 24. fuiſse detractos, ſeu exemptos, quot nempe ſuperfluus ille quotannis inſertus dies ſpatio illo annorum 24.cumulaverat, Periodum hanc annorum 24. fuiſſe & ipſe pugnat, eamque calculo iſto plane recto, atque perſpicuo comprobat. Nempe Anni *Romani* 24, *Merkedonio* non omiſſo, dies colligunt 8790, totidem *Juliani* anni 24. dies habent 8766: differentia eſt dierum 24, quibus omiſſis praeciſa fit aequatio. Itaque quum Macrobio teſte anno quolibet 24. omitteretur *Merkedonius* dierum 23, inde liquido patet annorum 24. ſpatio cum *Juliano Solari* aptiſſime *Romanum* Annum concilia-

liatum fuiſſe, ideoque *Romanam* Periodum annis 24. conſtitiſſe, quo ſpatio dumtaxat aequatio illa fieri poterat. Namque Periodo annorum 12. expleta, horae 12. ſupererant, quas in ſequenti Periodo totidem annorum 12. ſuppleri oportebat, ideoque Periodum integram annis 24. conſtare oportuit. Poſtremo ex Periodo annorum 22, ac *Luſtro* Romano annorum 5. deductam a Scaligero Ludorum *Secularium* originem, atque *Seculi* annorum 110. ſpatium inde ſuperſtructum ſeqq. capp. 76. ſq. Petavius explodit. Sed de *Luſtro* dictum abunde ſuperius eſt §. XI. p. 22. ſq., de *Seculo* dicendum erit ſeq. Art. II. de Periodis §. XI. ſq., ubi Scaligeri opinio funditus evertetur, veriorque de *Seculi* origine, ſpatioque ſententia loco ſtabilietur. Conferendi quoque, qui Allatium, Petaviumque ſequuti *Romanam* Periodum annorum 24. definiendam ſtatuunt Joh. Fridericus Gronovius Obſervat. lib. 2. cap. 18, & Joh. Georg. Graevius in Praef. ad Rom. Antiq. T. VIII. edit. Ven. p. 8.

XXV. *Octaeteridis* ſane occaſione, de Periodo Annorum 20. 22. 24, prout diverſimode ab Eruditis diverſis contextam modo dicebamus, ut diſputaremus, rectus orationis poſtulavit ordo, & contextus: non ſecus atque diſputantes de Graecorum *Pentaeteride*, Romanorumque *Quinquennalibus* eò nos quoque ſermonis pertraxit filum, ut de *Decennalibus*, *Vicennalibus*, ac *Tricennalibus*, ſive de Periodis Annorum 10. 15. 30. ageremus; differenteſque de Judaeorum Anno *Sabbathico*, illò nos itidem duxit orationis ſeries, ut de Periodis etiam *Minori* annorum 14, ac *Majori* annorum 84. illis adhibitis tractatus inſtitueretur. Retro nunc flectendo veſtigia, eadem quoque *Octaeteride*, Paſchati quammaxime rite peragendo, uſus aliquando S. Dionyſius Alex. parum feliciter tamen, legitur apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 15. Eamdem geminatam, *Heccaedecaeteridem* ideſt ex annis 16. conſtructam, (quam contra Veterum teſtimonia perperam *Harpalo* omnium primo tribui a Dodvvello de Cyclis diſſert. 3. ſect. 30, initio capto a die 6. Februarii Olymp. 71. anno 1, U. C. 258, ante Chriſti natalem 496. obſervat Fabricius Bibl. Graecae T. II. lib. 3. cap. 5. §. 6. p. 83.), conſtructam, inquam, adhibuiſse legitur omnium primus apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 22. *S. Hippoly-*

polytus Portuenſis cum anno 22. Aerae Chriſtianae eamdem abſolvens, teſte S. Hieronymo de Script. Eccleſ. in *S. Hippolyto*; cujus adhuc inſigne Fragmentum in Lapidea proſtat ejuſdem S.Martyris ſimulacro ſuppoſita, baſi,ex Agro Verano haud longe ab Aede S.Laurentii anno 1551.in Bibliothecam Vaticanam inlatum: quod etiam deſcriptum S. Iſidoro Hiſpal. Orig. lib.6. cap.17, illuſtratum eſt poſt Scaligerum de Emend.temp. lib.7. p.721. ſqq., Bucherium Comment. in Victorii Canon. Paſch., Gruterum Theſ.Inſcrip.p.140.ſq. quammaxime a Cl. Blanchinio De Kalendario, & Cyclo Caeſaris, diſsert.2. de Canone Paſch. S. Hippolyti p.91.ſqq. Atque ipſe porro cap.2.ſqq. p.93.ſqq.obſervat poſt Bucherium hoc in *Hippolyteo* Cyclo xvi. ſeptem litteras *Dominicales* A B C D E F G per totidem Columnas 7, ſingulas ex annis 16. conſtitutas, (ubi *Heccaedecaeteridibus* in ſingulis *Embolimaei* 1. 4. 7. 9. 12. 14. notantur), ita fuiſse diſtributas, ut 1.° ex ſumma totali Cyclus *Minor* annorum cxii. exſurgat, ex *Ogdoadibus* 14. nempe conſtitutus: ut 2.° ex hocce Cyclo 112. ſepties iterato Cyclus *Major* annorum dcclxxxiv. conflетur: ut 3.° ex Cyclo iſto annorum 784. quater repetito, atque Cyclo annorum 112. adjuncto, Cyclus *Maximus* fiat annorum mmmccxlviii. Porro Cyclo *Minori* 112. evoluto, *Novilunia* diebus 8. anticipari, ac in Feriam antecedentem retrahi; expleto Cyclo *Majori* 784, *Novilunia* anticipare cum Feriis 2, tum diebus 2; abſoluto vero Cyclo *Maximo* 3248, *Novilunia* ad eamdem diem, ac Feriam reſtitui obſervat, niſi *Aequinoctiorum* obſtaret praeceſſio, quae S. *Hippolyti* ſub aetate nondum perſpecta erat. Quo patet elegantia quidem ſua Cyclum hunc haud caruiſse, vitio tamen & ſuo laboraſſe, ideoque *Paſchati* rite dirigendo imparem fuiſſe, Nihilotamen minus Cyclum hunc xvi, a S *Hippolyto* elaboratum,primum fuiſse Cyclum *Paſchati* celebrando in Eccleſia uſurpatum ſcripſit S. Iſidorus Orig. loc. indic. Sed enim a *Clemente*, (an Romano, ac Alexandrino non conſtat, etſi de Romano magis loquutus videatur), celebrando *Paſchati* Cyclum pridem elaboratum fuiſse indicare videtur S. Anatolius Laodicenus apud Bucherium p. 439: a quo tamen Bucherio haud genuina S. Anatolii, quae apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib.7.

lib.7. cap.32. extant, fuiſſe evulgata rite advertit Vander Haagen de Cyclis Paſchal. p. 115. ſqq. Quamquam S. Hieronymus de Viris illuſt. cap.61. quandoquidem auctor ſit ex S. *Hippolyti* Cyclo XVI. argumentum deſumpſiſſe Euſebium Cyclum annorum XIX. confingendi, (an tamen ab Euſebio revera Cyclus XIX. confictus fuerit, valdequam dubitat Vander Haagen p.157. ſqq.), arguere inde fas eſt, huncce S. *Hippolyti* Cyclum XVI. primum revera in Eccleſia obtinuiſſe. A S. *Hippolyto* jam vero *Paſchalem* Epocham ab Anno Vulgaris Aerae 222, *Alexandri Severi* I. fuiſſe inſtitutam, exindeque Cyclum 16. annorum digeſtum obſervavit Joh. Dom. Caſſinus in Animad. ad Canonem S. *Hippolyti*, quas compendio refert Joh. Bapt. Du-Hamelius in Hiſt.Reg.Scient. Acad. lib.4.ſect.8. cap.1, adnotans ejus anni 222. diem 1. *Novilunio* fuiſſe notatum, ſive *Lunae* poſt mediam cum *Sole* conjunctionem diem primum cum die primo Anni concurriſſe. Quo pariter modo a *Julio Caeſare* primus ab ipſo reformatus Annus, qui fuit U. C. 709, ante Chriſtum 45, a primo die poſt *Lunae* mediam cum *Sole* conjunctionem, Kalend. Januarias antecedentem, primo ideſt die Januarii, ductus eſt, unde celebris *Juliani* anni Epocha inchoata. Obſervat autem eodem loci Caſſinus ab hac *Juliana* Epocha ad Epocham Cycli a S. *Hippolyto* inſtitutam Periodum annorum 266. ex Periodis *Metonicis* 14. conſtantem interfluxiſſe: ex quo infert Periodum etiam annorum 19. S. *Hippolyto* haud fuiſſe ignoratam. Tam haecce vero S. *Hippolyti Heccaedecaeteris*, quam S. *Dionyſii* Alex. *Octaeteris* illa enormibus utpote laborare erroribus utraque deprehenſa, velut ex dictis liquido conſtat, demonſtratumque eſt Bettazzio Operis Paſchal. n. 520, & Epitome p.180. ſq., brevi ab Eccleſia dimiſſa eſt. Et certe S. *Hippolyti* Cyclus annorum 16. a Caeleſtibus *Lunae* rationibus enormiter diſcrepare brevi deprehenſus, adeo videlicet, ut una vix revolutione, ideſt ſpatio annorum 16, *Novilunia* diebus 3. hora 1. min.22.' 26." praeverterent, veluti *Paſchati* dirigendo ineptus, in oblivionem traditus eſt. Conferendus Bucherius in Not. ad Canonem *S. Hippolyti* p.307. ſq., ubi Cyclum huncce tamen Seculo adhuc Eccleſiae IV. *Paſchati* celebrando non

pau-

paucis uſu retentum oſtendit: ut ut Bettazzius Oper. Paſch. num.236. Epitom. p.109. contra Noriſium contendat S. Hippolyti Cyclum ab Eccleſia Romana numquam fuiſſe uſurpatum, bene vero Novatianis uſu olim veniſſe.

XXVI. Et certe in Eccleſia Carthaginenſi, Africanaque reliqua diu obtinuiſſe augurari fas eſſet, ſi veritate conſtaret, quod de S. *Cypriano* fertur. Fertur ejuſdem nempe nomine *Computus de Paſchate*, ſive Paſchalis Cyclus annorum 16, Cyclo S. *Hippolyti* prorſus affinis, ex geminata nempe *Octaeteride* ab eo elucubratus. Cycli iſtius duplex exemplar repertum eſt, in Bibliotheca Remenſi a Sirmondo unum, cujus apographum cum a Sirmondo Bucherio, tum a Mabillonio Fello communicatum eſt, in Bibliotheca Cottoniana alterum ab Uſſerio, & Galeo. Germanum S. *Cypriani* foetum fuiſſe perſuaſum habuere Sirmondus, Bucherius, Mabillonius, Uſſerius, Galaeus, Wallis, & Fellus, a quibus notis illuſtratum opus Operibus S. Cypriani edit. Oxon., Brem., Amſt. &c. inſertum eſt, atque Chronicon illud aeſtimatur, quod a S. Cypriano elucubratum in vita S. Cypriani Paulus Diaconus perhibet. Etſi vero de eo valde dubitent Seneſchallus, Dupinius Hiſt. Eccl. T.I. p.141, Tillemontius Mon. Eccleſ. T.IV. Par.I.edit. Bruxell. Art.65.p.318.ſq., Baluzius in edit.Recent.Oper.S.Cypriani, Anonymus Maurinus in Praefat. edit. Ven. p.x, Ceillierius Hiſt. gen. Auct. Sacr. T.III. Art.4. p.162.ſq., Cavaeus Hiſt. litter. ad Seculum Novat. T. I. edit. Nup. Baſil. p.128, &c. Convenit tamen antiquiſſimum Opus eſſe, Auctoriſque ſane S. *Cypriano* aetate ſupparis. Itaque Cycli S. *Hippolyti* inſtar, *Cyprianicus* iſte Cyclus ex annis 16. conflatus ideo videtur, quod annis 16. exactis *Luna* 14. ad eamdem Kalendarii diem, & ad Feriam proxime antecedentem regredi crederetur. Eumdem vero ab *Exitu* de Aegypto exorſus cum *Arriani*, & *Pappi* Conſulatu, ideſt cum Aerae Chriſtianae anno 243. ita concludit, ut a primo in Aegypto *Paſchate* celebrato Fer.1. pridie Idus April., poſt annos 41. a *Joſue* ſecundum *Paſcha* in Sabbatho Kalend. April. obſervatum fuiſſe putet; inde poſt annos ab *Exodo* 867. ab *Ezechia* anno 1. regni *Paſcha* vi, (nempe poſt integrum Cyclum annorum 112. ſepties tranſactum, ſive

poſt

poſt 784, Cycli octavi anno 83, hoc eſt Sedecennii 6. anno 3.), *Paſcha* VI, inquam, Fer.4. Idibus Aprilis; a *Joſia* anno regni 18. poſt annos 870. *Paſcha* XII, (nempe poſt Cyclos 8, anno 74: ſequentis Sedecennii 5. anno 10.), Kal. April. Fer.2; ab *Eſdra* poſt annos 1114. *Paſcha* XII, (nempe poſt Cyclos 9, anno 106. ſequentis ultimi Sedecennii anno 10.) Sabbatho Kal. April.; (ab *Exodo* nempe ad Captivitatem *Jechoniae* annos 995, inde ad ſolutam ſub *Cyro* Captivitatem annos 70, indeque ad finem Hebdomadum VII. annos 49. numerat, qui efficiunt annos 1114.) a *Chriſto D.* poſt annos 1879. *Paſcha* VI. (nempe poſt Cyclos 14. anno 11. ſequentis Cycli) Idib. April. Feria 5. celebratum ponit; a *Chriſti D.* obitu poſt annos 243. *Arriano*, & *Pappo* Coſs., *Gordiani* anno 5, quo Cyclum finit, *Paſcha* celebratum Judaeis 9. Kal. April. Fer.6., a Chriſtianis 7. Kal. April. die Dominica fuiſſe obſervatum. Conferendus Johannes Wallis in Not. ad hunc Computum edit. Amſt. p. 212. ſqq., ubi Pinacem ipſum, qui perierat, ad S. *Cypriani* mentem reſtitutum exhibet, nec non Chronologiae Laterculum ab eo deductae ab Egreſſu ex Aegypto uſque ad annum 243. Aerae Chriſtianae, per annos ideſt 1794, quot ejus ex mente inde elapſi ſunt, ac demum cum loco S. Cypriani locum S. *Hippolyti* confert, ac utriuſque cum diſcrimina, tum errores adnotat, & emendat.

XXVII. Nunc nobis de Periodis annorum 9.12.13.14.15.18. 19. 23.28.30, ut ordine agamus, in Periodi annorum IX. cenſum referenda procul dubio ſunt *Daphnephoria*, feſta plane, quae ſolemni apud Boeotios pompa Novennio quolibet, in *Apollinis* honorem, agitari ſolebant. Nempe in excelſo Olivae Ramo Aereus globus pro *Solis* ſymbolo collocari ſolebat, infra eum globus alter *Lunae* effigiem exhibens, atque hinc illinc minores globi plures alii Syderum imagines referentes. Eidem praeterea Ramo florum Coronae 365, quibus totidem Anni dies deſignabantur, appendi ſolebant; atque ita Ramus inſtructus ſolemni circumferebatur ritu, Choro gemino Puerorum, ac Puellarum, manibus Lauri ramos geſtantium, comitante. Qui Feſto praeerat Sacerdos, is Δάφνηφορος, ita a *Lauro* Δάφνη hauſto nomine, *Daphnephorus* adpellabatur,

ideſt *Laurum ferens*, quo redimitus erat, finiebaturque feſtum hymnis, quibus *Apollini Iſmenio* Pueri, ac Puellae ipſius in fano plaudebant. Priſco nempe, receptoque ubique gentium more, variae tam *Solis*, ac *Lunae* Periodi, quam Anni tempeſtates variae, Annorumque rationes variis deſignari ſymbolis ſolebant. Ita in Nummis apud Pergamenos, Ambraciotas, Tenedios, Delios, Rhodios, Opontios, Locros, Theſſalos, Thraces, Corcyraeos, Cydoniatas, Carpatios, Idalios, Cholchos, Sinoponſes, Harpanos, Tianeos, Ancyranos, Hadrianotheritas, Pandoſianos, Maſſilienſes, Neapolitas &c. aſtro, diſco, meniſco *Sol*, ac *Luna*, ceu Annum efficientes, exprimi ſolebant apud Goltzium, Morellium, Harduinum, Vaillantium, Froelichium &c. Ita deſignando Anni circulo tum *Solis*, ac *Lunae* imaginibus duodecim ſaepe Zodiaci ſigna expreſſa conſpiciuntur in Nummis Auguſti, Trajani, Hadriani, Antonini, Elagabali, Valeriani &c. in Aegypto, ac Syria percuſſis apud Patinum, Triſtanum, Friſium, Vaillantium &c. Quò faciunt & Nummi Niſibi cum *Arietis*, Heracleae cum *Tauri*, Tripolis cum *Geminorum*, cum *Cancri* in Aegypto, cum *Leonis* Beryti, cum *Sagittarii* Boſtris, & Rheſene, cum *Scorpii* in Africa, & Commagene iconiſmo ſcalpti. Ita variae Annorum Periodi variis adumbratae figuris occurrunt paſſim in Nummis, uti *Dieterides* in Mercurii Caduceo, ac Proſerpinae curru; *Tetraeterides* in Apollinis Lyra, & Iſidis ſiſtro; *Heptaeterides* in Herculis Hydra, ac Meduſae capite, aliaeque aliis in Nummis, quos obſignaſſe Actii, Calydonii, Phocenſes, Delphii, Meſſenii, Cranii, Macedones, Biſaltii, Ageſii, Corcyrenſes, Mytileni, Coii, Amyſeni, Siculi &c. leguntur apud Goltzium, & Blanchinium de Kalendario, & Cyclo Caeſaris p.49. ſqq.

XXVIII. De aliis modo loquendo Periodis, celebris ſe nobis offert Periodus annorum XII, quae dici *Chaldaica* ſolet, dicta ideo Δωδεχαετηρὶς, quaeque etiam Menſis unus Chaldaeorum *Magnus* Periodi *Magnae* annorum 1440. putatur. Verum Perſarum magis proprium fuiſſe Annum *Magnum*, ipſis *Salcbodai* denominatum, Cyclum hoc eſt annorum 1440, ex Menſibus 12. *Magnis* itidem annorum 120. ſingulis compoſi-

poſitum, obſervat Fourmontius Reflex. Crit. T. II. p. 473. Nempe per annos 120. libere Feſta per omnes anni dies pervagari Perſae permittebant: quibus annis 120. elapſis, Menſis integer dierum 30. ex horis praetermiſſis in annis 120. collectus adjungi ſolebat, iſque Annus ideo Menſium 13. efficiebatur. Ita tamen intercalatio Perſis fieri conſuebat, ut a Menſe in Menſem promoveretur, adeoque ut Menſis ille intercalaris, qui uni Menſi additus fuerat, nonniſi poſt annos 1440. eidem Menſi denuo adjungendus rediret. Inde fiebat igitur, ut Anni principium, ipſis Feſtum, ab *Aequinoctio* Verno inceptum, Feſtaque perinde alia apud Perſas nonniſi poſt annos 120. ad priſtinam ſedem regrederentur; atque fiebat itidem, ut nonniſi poſt annos 1440. idem Menſis iterum eſſet intercalaris, bis ideſt numeraretur iterum, ſive in orbem eodem rediret ordine. Atque Periodus haec equidem annorum 1440, Perſis *Dourat*, & *Kabiſa* dicta, ſub *Gemſcide* Perſarum Rege inſtituta Periodi Julianae anno 4386, ſub *Gelalleddino* demum deſiit: qua de Periodo recolenda, ſi placet, quae fuſius perſequuti ſumus Volum. I. Art. 2. de Menſ., & An. Perſarum §. XVI. ſqq. p. 434. ſqq. *Chaldaica* porrò illa Periodus annorum 12. Indis, Sinenſibus, Japoniis, Tartaris, Arabibus, Turcis &c. uſu perinde venit, velut ex Actis Miſſionis Danicae a Niecampio compendifactis T. I. p. 96. ſq. liquet; quae *Mamangan* Indis dicitur, atque quinquies repetita Periodum alteram efficit *Aandu* denominatam, quae annis 60. conſtat. Singulis porro *Dodecaeteridis* annis ſingulare diverſis ex Animalibus deſumptum, nomen inditum fuiſſe ſaepius alibi obſervatum eſt. Ideo vero a Chaldaeis certis Animalium nominibus ſingulos *Dodecaeteridis* annos fuiſſe inſignitos refert Cenſorinus, quod annis illis fertilitates, aut ſterilitates, peſtilentias, aut felicitates &c., Animalium nominibus indicatas, regredi perſuaſum, ſuo pro ſuperſtitioſo ingenio, haberent. Obſervat autem Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 100. ſq. etſi Nationes illas in Annis XII, & Animalium XII. nominibus conveniant, non convenire tamen in ordine eodem, ac numero: nam in Chaldaica *Draco* eſt nota anni 5, in Tartarica anni 3; in Chaldaica *Canis* eſt nota 11, in Tartarica 4; in Chaldaica *Leo* non

habet locum, in Tartarica eſt nota anni 1. &c. Periodus Chaldaeis alia ex annis 18. concinnata, (ut uno heic abſolvam contextu univerſa, quae de Minoribus Periodis Chaldaeis veteri frequentatis uſu feruntur), putandis temporibus adhibita fertur: ex qua geminata Periodus altera annorum 36. effecta fuerit. Neutram vero Periodum rite ad Paſcha dirigendum transferri, redigique potuiſſe recte demonſtravit Bettazzius Oper. Paſch. n.323, & Epitom. p.175. ſq. Americanis etiam Periodum annorum 13. *Hebdomadicam* adhiberi conſueviſſe, eademque quater in ſe ducta *Seculum* annorum 52. illis effici, ex Huetio demonſtratum jam eſt Volum. II. Art. v. de Menſ., & An. Indorum, American. &c. §. x. ſq. p. 525. ſqq. De Periodo quoque annorum 14, in qua poſtremus Sacer erat, ac feſtus, Thibetanis adhibita, vide dicta Volum. II. Art. 11. de Menſ., & An. Indorum &c. §. xx 11. p. 395.

XXIX. Apud Romanos celeberrima prae ceteris audit Periodus annorum 15, cui *Indictionis* nomen adhaeſit, hanc uſque in diem Epochis deſignandis cum Civilibus, tum etiam Sacris adhibita. Id vero nominis unde manaverit, hactenus ignoratum eſt, & ignotum: quod ultro fateri malim, quam inanibus indulgendo conjecturis, divinandoque falli. Illud inter Doctos alioqui convenit, inquit Petavius Ration. temp. Par. I. lib. 6. cap. 1, *Indictiones* nihil aliud eſſe, quam praeſtationes, & tributa, quorum Canon, ſeu modus quotannis indicebatur. Sed cur ſpatio quindecim annorum finiri placuerit, qua de cauſſa, quove tempore primum id uſurpari ceperit, nulla ſatis probabilis conjectura adfertur. *Indictionum* originem, ita pergit ibidem Petavius, vulgo *Conſtantini* ſub aetate prodiiſſe putant, ejuſque anno 6, Chriſti 312. Sed ego, qui ſic ſentiunt, divinare eos arbitror: nam nullum idoneum teſtem citant. Apud S. Ambroſium in Epiſt. 83. ad Epiſcopos Aemiliae fit ejus mentio his verbis: *Indictio Septembri incipit*; & in Codice Theod. L. 9, & 10. *De Indulgentiis Debitorum* Valentiaca *Indictio* nominatur: antiquiorem his auctorem non facile, concludit Petavius, reperias. Atque ex hacce profecto Valentiaca *Indictione* 11, quae in *Valentis* Imp. annum 5. incidit, opportune Gothofredus Cod. Theod.

Theod. lib.11. Tit. 28. *De Indulg. Debit*. edit. Lipſ. 1740. T.IV. p. 215. contra Baronium, & Scaligerum arguit Imperatorum nominibus *Indictiones* olim deſignari conſueviſſe, in quorum ideſt tempora incidiſſent, quamvis non inchoatae ipſorum temporibus. Qui praeterea Vir doctiſs. in Chronologia Legum Cod. Theod. T.I. p. 6. ſub *Conſtantini* M., ac *Licinii* Coſſ. 2. *Indictionum* fieri mentionem ab Auctore Chronici Alex. loco infra citando obſervat. Et Cod. Theod. lib.12. Tit.12. *De Legatis, & Decretis* T.IV. p.262. admonet *Indictionis* 14. *Marcellino*, ac *Probino* Coſſ. anno Chriſti 341. mentionem occurrere in Actis Conciliabuli Antiocheni apud S. Athanaſium lib. de Synodis: cujus *Indictionis* ope, *Indictionum* memoriam ad annum 327, aut inſequentem eidem retrotrahere licuit. Idoneorum defectu ideo teſtium, veri conjecturis ſimilioribus *Indictiones* meliori, quoad ejus fieri poterit, in luce ponere conandum nobis eſt, deque illarum denominatione prius inveſtigandum. *Indictio* porro Ciceroni Collecta, Symbola, Collatio, Polluci Onom. T. I. lib.3. cap. 27. ſegm. 129. p.334, & T.II. lib. 8. cap. 15. ſegm. 157. p.973. Ἔρανον, Συμβολή *Corrogatio*, *Contributum*, inde denominata videtur, quod *Indictione* Subditi admonerentur, ut ſe ſe ad ſolutionem ante compararent, quam Collecta ipſa exigeretur L. ult. Cod. *De Indict.*; quae admonitio ſane Poteſtate fieri publica ſolebat L.1. Cod. *De Superind.*, L.1. Cod. *De Vacat. Mun.* Unde Graecis *Indictiones* dictae ſunt etiam Ἐπινεμήσεις *Largitiones*, ſive *Diſtributiones*. Erant vero *Indictiones* aliae *Canonicae* a Lege factae, quae proprie *Indictiones* erant; aliae *Extraordinariae* a Magiſtratu ex improviſo decretae L.1. Cod. *De Indictione*, quae verius *Superindictiones* dici ſolebant L.3. *De Annonis. & Tributis*; videndique Bulengerus de Vectigal. cap.18. Antiq. Rom. Tom.VIII. edit. Ven. p.864. ſq., & Gothofredus Cod. Theod. lib.11. Tit. 5. *De Indictionibus* T.IV. p.62, ubi Valeſii in Marcellini lib. 3. cap.17. errorem detegit adnotantis *Indictionem* eſſe *Quidquid praeter Canonem indicitur*. Aliae itidem *Indictiones* primae, ſecundae, & tertiae, quarum mentio fit Caſſiodoro Variar. lib.3. Epiſt. 25., inde dictae, quod primo, ſecundo,

Digitized by Google

do, & tertio ex auro, argento, & ferro perſolvi deberent.

XXX. Ad *Indictionum* quod nunc originem, cauſſam, ac tempus attinet, ad indicium trinae *Luſtrationis*, & *Cenſus* inſtitutas fuiſſe *Indictiones*, & quidem ab *Auguſto* Olympiadis 193. anno 1. incipiente 8. Kalendas Octobris, ideſt die 24. Septembris, quidam adfirmant apud Gyraldum de Annis, & Menſ. Oper. T.II. p. 754. ſq., inter quos Anonymus Scriptor Antiq. Conſtantinopolit. lib. 1. n. 21. apud Bandurium Antiq. Conſtantinopol. Hiſt. Byzant. edit. Ven. T.XXII. p.9, Dionyſius Exiguus, ac V. Beda de Nat. Rer. cap. 47; atque ita quidem, ut primo *Luſtro* pro Cenſu ferrum, ſecundo argentum, tertio aurum adferre ſinguli tenerentur. A *Quinquennalibus* originem *Indictiones* duxiſſe ſentit Joſephus Scaliger de Emend. temp. lib. 5. p. 501, ſqq., quem pone ſequi, cum Chriſtmanno de Connexione Annorum, contra Petavium Doct. temp. lib. 11. cap. 40. non dubitat Pagius in Diſſert. Hypatica cap. 2. §. 20, quatenus Imperatores *Quinquennalia* celebraturi penſiones, tributa, reſiduaque debitorum tollere, aut laxare ſolerent. Inde factum putat ſane Pagius, ut a Graecis *Auguſto Indictionum* origo tribueretur, velut a S. Maximo in Tract. de Paſchate, ſive Computo, ubi *Indictiones* anno 2. *Auguſti*, ipſi Mundi anno 5460, *Indictionem* 1. occepiſſe ſcribit; a Syncello in Chronog. p. 305. edit. Pariſ., Ven. p. 243, ubi S. Maximi hacce de re laudat ſententiam; a Conſtantino Porphyrogeneta; a Codino apud Bandurium loc. cit. p. 362; a Cedreno, qui ab *Auguſti* tamen anno mox 15, mox. 2. *Indictionum* originem repetit p. 142, & 178, Graeciſque aliis: quibus ideo vox *Indictio* dicta videtur ab Ἰνκτιῶν, ab *Actio* Promontorio, *Auguſti* victoria anno 15. Imperii ad Actium relata celebri. Atque Graecis utique hac in opinione adſtipulari non ambegere Paulus Petavius in Tractatu de Annorum Incarnationis Epocha, & Indictionibus, Juliani, & Paulli teſtimonio in L. 1. 3. §. 6. *De Action. Empt.*, & 28. *De Uſu, & Uſufr.* ſuffultus, ubi de Fundis *Indictioni* obligatis aperte loquuntur, eumque pone ſequutus Johannes Lydus in libro de *Menſibus*. Ab anno 1. *Julii Caeſaris* viciſſim, U. C. 712. die 1. *Gorpiaei*, ſive Septembris *Indictio*-

num

num initium repetit Auctor Chronici Alex., ſive Paſchalis edit. Ducangii Pariſ. p.187, Ven. p.150, qui rurſus p.280. ſq., ſive p.223. ſq. *Indictionum* ſub *Conſtantino M.* principium in ejuſdem Imperii annum 7. confert, anno 1. Olymp. 273, Chriſti 312, die 27. Septembris. Cui adſtipulatus Georgius Hamartolus in Chron. Mſ. *Indictionum* uſum a *Julio Caeſare* inventum & ipſe ſcribit. Olympiadum vero loco temporibus deſignandis, atque putandis *Indictiones* ſub *Theodoſio Seniore* inductas fuiſſe Cedrenus comminiſcitur; qui a Petavio Doct. temp. lib. 11. cap. 40. eo refellitur argumento, quod ſub *Conſtantino M. Indictiones* uſu jam pridem veniſſe liquido conſtet ex praecit. Chronici Alex., ſive Paſchalis Auctore. Olympiades autem a *Conſtantino* abolitas fuiſſe, locoque ſuffectas *Indictiones* opinatus Panvinius Faſt. lib.2. p.265. inde falſi redarguitur, quod ſub *Theodoſio Seniore* Olympiades adhuc obtinuiſſe ex Theophane, & Cedreno ſuperiori §. VI. p. 12. ſq. docuimus.

XXXI. Plauſibilior jam vero, & communis Eruditorum obtinet opinio *Indictiones* a *Conſtantino M.*, devicto Aerae Chriſtianae anno 312. *Maxentio*, non anno 313, ut non recte viſum Scaligero Iſag. Canon. lib.3. cap.11, & Pitiſco in Lex. T.II. edit. Ven. p. 324, in victoriae memoriam inſtitutas fuiſſe, inductumque hoc eſt morem, ut per tria *Quinquennalia*, per *Indictiones* nempe, Tempora deinceps putarentur. Qua de re Spanhemius de Uſu, & Praeſt. Numiſ. p.811, alias 291. ſqq. de Remiſſione onerum, & Tributorum agens Scaligerum refellit, qui in Not. ad Euſebii Chron. p.209. ex Dione, Xiphilino, & Auctore Chron. Alex. p.256. edit. Pariſ., Ven. p.205. ab *Antonino Pio* tabulas Fiſcales gratis exuſtas fuiſſe referentibus, arguit Remiſſiones illas Fiſcales debitorum per *Indictiones* fieri conſueviſſe, ſive per annos 15, indeque *Indictionum* originem fore arceſſendam, refellit, inquam, atque Indulgentias hujuſmodi Provinciis, & Civitatibus jam diu, ſaepeque impertitas a *Tiberio*, *Nerone*, *Galba*, *Nerva*, & *Hadriano*, qui poſtremus ejuſmodi ſyngraphas eorum, qui Reipublicae debebant, comburendi exemplum ab *Auguſto*, de quo Dio lib. 53, & Appianus de Bello Civ. lib.4, mutuatus fuiſ-

fuiſſe ipſi videtur, indeque *Hadriani* exemplum fuiſſe aemulatos *M. Aurelium*, *Aurelianum &c.* obſervat, de quibus Dio lib. 70, & Vopiſcus, Indulgentias haſce, inquam, nihil cum *Indictionibus* habuiſſe commune demonſtrans; quibus etiam de Indulgentiis, ac Tributorum remiſſionibus plura, qui deſideret, ſuppeditabit Bulengerus de Vectigalibus Populi Rom. cap. 19. Antiq. Rom. T. VIII. p. 866. ſq., cui jungendus Sirmondus in Not. ad Sidonii Carmen 13. Oper. T. I. edit. Ven. p. 751. ſq., quo loci tria ſuorum nomine a *Sidonio* petita adnotat remittenda a *Majoriano* Imperatore Tributorum Capita, quae tamen eo loci non explicat. Conferendi denique, qui & hanc *Indictionum* Epocham ad *Conſtantinum* Imp. referendam cenſent Du Cangius in Not. ad Chron. Paſchale edit. Ven. p. 431. ſq., & 481., ubi *Indictiones* veluti ſatis recentes S. Ambroſio de Noe, & Arca memorari obſervat, Herwartus in Chronolog. cap. 339., Petavius Doct. temp. lib. 11. cap. 40. ſqq., Grandamicus in Chronolog. Chriſt. Par. III. p. 104, aliique paſſim infra laudandi.

XXXII. Jam vero *Indictionum* triplex eſt ratio, nec inutilis ſane uſus. Alia namque *Conſtantinopolitana*, ſive Graeca dicitur, atque a Kalendis Septembribus incipit; alia *Caeſarea*, ſive Imperatoria, quae ab 8. Kalend. Octobris initium ducit; alia demum *Pontificia*, ſive Romana nuncupatur, quae ſola nunc adhibetur, & a Kalendis Januariis exordium auſpicatur. *Antiochenam* praetereo, quae a Kalendis Maji, ſive *Artemiſii* die 12. Antiochenis iniviſſe, ita ut annos inde ſuos illi putare conſueverint, fertur apud Auctorem Chron. Alex. edit. Pariſ. p. 187, Ven. p. 150, quo ex loco Scaliger de Emend. temp. lib. 5. p. 504. ſq., Canon. Iſag. lib. 3. p. 301, ſq., & in Not. ad Euſebium p. 152. jam tum Antiochenis *Indictionis* Cyclum, velut a *Pompejo* inſtitutum, ab anno U. C. 705. uſurpatum fuiſſe arguens, ideo quod publicorum Fiſco debitorum remiſſio Antiochenis facta a *Julio Caeſare* fuerit ad annos 15, non ſecus atque perinde ab *Hadriano*, & a *M. Aurelio* factam ad annos 16. aeſtimat, indeque ab Antiochena hac *Indictiones* derivatas fuiſſe omnes, refellitur cum a Norilio de Epochis Syro-Maced. diſsert. 3. cap. 5. Oper. T. II. edit. Veron.

Veron. p.207. ſqq., & a Ludovico Du Four Longuerue de Var. Epoch. cap. 3. §. 2. ſq. p. 80. ſqq. oſtendentibus apud Romanos olim Tributa, & locationes non per *Indictiones* utique, ſed per *Luſtra*, hoc eſt per annos 5, non per annos 15, diſponi conſueviſſe, teſtibus vocatis Plinio lib. 9. Epiſt. 37, Varrone de ling. Lat. lib. 5, & Cicerone in Verrina 4, & ad Atticum lib. 6. Epiſt. 2. Ad haec Indictio Tributorum tum Provinciis imponi ſolebat, quum primum in Romanae poteſtatem Reipublicae obveniſſent, ideoque Tributa perſolvere tum primum juſſae ſunt *Aſia* Proconſularis anno U. C. 670, *Cilicia* Maritima anno 687, *Antiochia* anno 690, *Palaeſtina* anno 691. Quo fit proinde, ut Cycli *Indictionum* ab anno U. C. 690. pro *Syria* Antiochena dumtaxat repeti poſſint, non etiam pro *Aſia* Proconſulari, *Cilicia*, & *Palaeſtina*, deceptumque propterea fuiſſe Scaligerum, dum *Indictiones* primum apud Antiochiam U. C. anno 705. inſtitutas opinatur, quod inde uſque ad reliquorum debitorum remiſſionem ab *Hadriano* anno U. C. 870. indultum decurrerint *Indictiones* XI. Falſum denique, quod Antiochenis a *Julio Caeſare* indulta fuiſſe *Indictionis* integrae, ſive per tria priora *Luſtra*, debita ſupponit Scaliger, unde *Indictiones* apud Antiochenos ideo ab hoc anno incepiſſe autumat, videlicet ab Indulgentia debitorum unius *Indictionis*: auctor eſt enim *Caeſar* ipſemet de Bello Civili lib. 3. cap. 32. a *Scipione* in Syria debitam biennii pecuniam, quae nempe penſitanda fuerat anno U. C. 704, & 705, exacte a Publicanis ſuae Provinciae exactam fuiſſe: quò patet ante debitis Antiochenos erga Rempublicam obligatos haud extitiſſe. Commentitia hac itaque *Antiochena Indictione* praetermiſſa, ut quae praeterea nullius fuit unquam momenti, uſuſque, non ſecus atque *Caeſarea*, utpote quae jamdiu in deſuetudinem abjit, cujuſque vix, ac ne vix quidem apud Scriptores veſtigium deprehendere fas eſt, ad *Graecam*, ac *Romanam* noſtra convertatur oratio.

XXXIII. Graecae itaque *Indictionis* frequentem, atque priſcum admodum fuiſſe uſum paſſim adparet ex Imperatorum Legibus, Actiſque Conciliorum, atque Scriptorum Epochis: de qua nunc loquendo, deque *Romana* perinde,

quae longe prae *Graeca* potiori jam ubique obtinet uſu, obſervandum eſt porro a Gothofredo, cui adſtipulari Bandunius in Comment. Antiq. Conſtantinopolit. lib. I. Hiſt. Byzant. edit. Ven. T.XXII. p. 362. non dubitavit, in Laterculo *Indictionum* 24, quarum mentio diſerte in Codice Theod. occurrit, ejuſdem Codicis T.I. edit. Lipſ. 1736. p. ccv. praefixo, illud de I*ndictionum* computatione animadverſum eſſe p. ccvii. uſque ad *Valentinianum*, ac *Valentem* Impp. in Oriente, & Occidente eamdem fuiſſe I*ndictionum* Computationem. Poſt inde vero quadruplicem I*ndictionum* varietatem induci cepiſſe, ita ut 1.ª fuerit I*talica*, quae ab Aerae Chriſtianae anno 312. inciperet. 2.ª *Orientalis*, atque haec ab anno 313. initium auſpicaretur. 3.ª *Proconſularis Africae*, quae ab anno 314. injret. 4.ª demum *Africanae Dioeceſeos*, atque iſthaec ab anno 315. exordium ſumeret. Ita nempe Gothofredi opinione I*ndictiones* ab Imperio *Valentiniani*, ac *Valentis* in Oriente uno tardius anno, quam in Occidente dinumeratae ſunt: quam opinionem perinde ſuam L. ult. *De Conlatione Donatarum* Theodoſii Jun., quae ordine 6. eſt Cod. Theod. lib. 11. Tit. 20. *de Conlat Donat*. T.IV. p. 163. ſq., die ult. anni 430. confirmare ſatagit; ubi I*ndictio* 14. futura, ideſt pro anno 431, memorata legitur. Aſt enim Gothofredi, ideoque & Bandurii, opinionem hancce, proculdubio commentitiam, non uno elevat argumento, exploditque Emin. Noriſius de Epochis Syro-Maced. diſſert. 4. cap. 4. Oper. T.II. edit. Veron. p. 425. ſqq., eodem anno, eodemque die, tam in Oriente, quam in Occidente I*ndictiones* numerari conſueviſſe diſertis oſtendendo teſtimoniis. Nempe *Theodoſii Jun.* Lege 9. *de* I*ndulgentiis Debit*. 5. Idus Aprilis data, *Conſtante*, & *Conſtantino* Coſs., an. Chr. 414, I*ndictione* 12: quo plane anno die 9. Aprilis in Occidente quoque I*ndictio* 12. decurrebat. Ejuſdem *Theodoſii* Divali contra *Irenaeum* Tyri Epiſcopum *Neſtorii* partibus addictum *Pharmuthi* die 23, *Diocletiani* anno 164, I*ndictione* 1. lata: qui annus Aerae Chriſtianae 448. fuit, eoque anno dies 23. *Pharmuthi* cum die 18. Aprilis concurrit, atque I*ndictio* 1. in Aprili cum in Occidente, tum etiam in Aegypto putabatur. *S. Epiphanii* teſtimo-

ſtimonio in *Anchorato* §. 60. edit. Petavii T. II. p.64, ubi liber hic ad quoſdam Syedrae in Pamphylia Urbis Presbyteros ſcriptus legitur *Diocletiani* anno 90, *Valentiniani*, ac *Valentis* 10, *Gratiani* 6, (lege 7.), ejuſdem *Gratiani*, & *Equitii* Coſs. 3, *Indictione* 2. Qui annus ſane fuit Aerae Chriſtianae 374, eodemque anno in Occidente *Indictio* 2. etiam currebat. Synodi *Tyriae*, quae in Actis dicitur habita die 28. *Loi*, ſive Septembris die 16, anno 643, ideſt Chriſti 518, *Indictione* 12: quo certe anno etiam in Occidente a Kalendis Septembris eadem inceperat *Indictio* 12. Synodi *Hieroſolymitanae* anno Chriſti D. 536, quae initio celebrata legitur 13. Kalend. Octobris, *Indictione* 15; Synodus vero *Conſtantinopoli* eodem anno ſub *Menna* coacta Act. 1. dicitur 6. Nonas Majas, *Indictione* 14. Quo patet in Phoenicia, & Palaeſtina *Indictiones* a Kalendis Septembribus iniviſſe; eo ſiquidem anno 536. die 16. Septembris *Indictio* 15. numeraretur. Ante *Juſtinianum* autem Romae *Indictiones* quoque a Kalendis Septembris inchoatas fuiſſe, praeterquam liquido patet ex Epiſtolis *S. Gregorii M.*, *Johannis* VIII, & *S. Gregorii* VII. quin etiam, indicio eſse docet Vir doctiſſ. veterem Inſcriptionem Romae in S. Pancratii Templo ſcalptam apud Sirmondum in Not. ad Epiſtolas S. Ennodii Ticin. lib. 8. Epiſt. 1. Oper. T.I. edit. Ven. p. 922, & apud Rheineſium p.978, in qua *Symmacho*, & *Boetio* Coſs., ideſt anno 522, Idus Auguſti finis indicantur *Indictionis* 15. Conferendus eodem loci Vir Clariſs., ubi aliena, poſteriorique manu falſas plerumque *Indictiones* in Acta Conciliorum fuiſse protruſas, velut in Synodi *Chalcedonenſis* Actiones 1, & 10, oſtendere pergit: quod perſequi nobis inſtituti operis noſtri ratio non patitur. Conferendi tamen, ſi placet, qui pluribus de hiſce diſputant, Baronius ad an. 312, Chifflitius in Trenorchio p. 253, Bandurius Comment. in Antiq. Conſtantinopolit. lib. 1. T.II. Hiſt. Byzant. T.XXII. p. 362, edit Pariſ. 473. ſq., aliique ſupra laudati.

XXXIV. Romanae poſtea *Indictiones*, ſive Pontificiae, ut ex Actis *Alexandri* III. apud Baronium ad an. 1158. adparet, a Kalendis Januariis exordium ducere ceperunt,

dum interea Graecae *Indictiones* a Kalendis Septembribus incipere haud deſtitere . Quapropter ut Graeca *Indictio* in quolibet anno Mundi reperiatur , Annus Mundi propoſitus , juxta computum Graecorum , dividendus eſt per 15: ſiquid relinquitur , erit *Indictio* anno propoſito reſpondens , ſi nihil , ipſe numerus 15. erit ipſamet *Indictio* . Sic v. g. Annus Mundi 5509, qui a Mundi exordio, juxta Periodum *Conſtantinopolitanam* , uſque ad annum 1. Aerae Chriſtianae effluxit , ſi dividatur per 15, reliquus 4. erit *Indictio* Graeca, quae praefato anno Periodi *Conſtantinopolitanae* 5509, Aerae Chriſtianae 1. dinumerata eſt a Kalendis Septembris . Ut vero Romana *Indictio* in quolibet anno quoque reperiatur Aerae Chriſtianae, ſupponi primo debet in Anno 1. vulgaris Chriſti Natalis *Indictionem* 4. decurriſſe . Cuilibet igitur Aerae Chriſtianae anno numerus 3. addendus eſt, ac ſumma inde conflata dividenda per 15, reliquum *Indictionem* anno propoſito congruentem indicabit . Sic E. g. Praeſenti anno 1767. additis 3. fient 1770, qui diviſi per 15. dabunt 15, qui eſt *Indictio* Romana a Kalendis Januariis decurrens . Atque hancce ſane *Indictiones* Romanas reperiendi haud difficilem alioqui Methodum brevi tradunt hi duo Verſiculi , memoriae juvandae gratia elaborati .

Si tribus adjunctis , Domini diviſeris Annos
Ter tibi per quinos , Indictio certa patebit .

DE

Digitized by Google

DE PERIODIS, SIVE CYCLIS

ANNORUM

33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 50. 52. 59. 60. 70. 76. 80. 82. 84. 95. 100.

Articulus II.

I. AD praecedentis Articuli finem, pro Colophone diſputandum ſuperfuiſſet utique de Periodis, ſive Cyclis tam *Lunari* annorum 19, quam *Solari* annorum 28, quae frequentiſſimo in re quam Eccleſiaſtica, tam Civili uſu Periodus utraque venit. Atque Cyclum 19. quidem jam diu ab anno 2330. ante Chriſtianam Aeram ſe habuiſſe, ſuiſque in deſcribendis Annalibus praeclare uſos Sinenſes, falſo tamen, ac perperam oppido, gloriari ex Harduino, & Seldeno adnotavimus ſuper Volum. II. Art. III. de Menſ., & Annis Indorum, Sinenſium &c. §.xxxix. ſqq. p.473. ſqq.; nonniſi vero ab anno 1900. uſu demum Sinenſibus eumdem veniſſe Cyclum 19. ex P. Gaubilio advertemus infra hoc ipſo de Periodis Art. II. §. v. Cyclum 28. quoque Judaeis adhibitum aliquando fuiſſe ex Gantzio, & Zacuto obſervavimus hoc ipſo Proleg. ſuper. Art. I. de Cyclis §. xx. p. 37. ſq. Agendum praeterea nobis eſſet de Periodo annorum 23, quam Japonibus *Nengo* vocatam, uſuque ita frequentatam, ut annis 23. evolutis, *Nengo* altera, ſive Periodus totidem annorum 23. novo cum anno apud ipſos inchoari conſueſcat, atque tum primum eam adhiberi Periodum anno 645. Aerae Chriſtianae occepiſſe ſcite advertit P. Charlevoix Soc. J. Hiſt. Japon. lib. I. cap. 6. p. 104. ſqq. Pertractandum nobis perinde foret de Periodo altera duplici, cum annorum 30, quae Hagarenis Periodus *Minor* dicta eſt, ſi Scaligero fides adhibenda ſit, quam tamen detrahere non ambegit Petavius, cuique perſimilis annorum 30. Periodus etiam Romanis olim, Imperii anno 30. quoque recurrente, Imperatoribus feſtiva admodum obtingebat; tum anno-

annnorum 36, quam ex *Minori* Periodo annorum 18. bis repetita exſurgebat, atque Chaldaeis, Aſſyriiſque uſu pridem frequentata fertur. Quia tamen de Periodis tam *Lunari* 19, quam *Solari* 28. copioſe, niſi meus me fallit amor, Volum. III. Proleg. IV. Art. IV. de Lunae, Soliſque Cyclis p. 77. ſqq. dilucideque actum eſt; tum vero de Periodo *Japonica*, quanti oportebat, abunde dictum eſt Volum. II. Art. IV. de Menſ., & An. Japoniorum &c. §. IX. ſq. p. 503. ſqq.; tum etiam de *Hagarena* Periodo actum eſt ſatis, opinor, Volum. II. Art. I. de Menſ., & Annis Arabum &c. §. III. p. 112. ſq.; id unum ad Periodum *Hagarenam*, Turcis dein uſurpatam, illuſtrandam addidiſſe ſatius habebo: Mohammedanis annum *Lunarem* adhiberi diebus 354. horis 8. minutis 48. conſtantem; quibus ex horis 8, & minutis 48. ſiquidem annorum 30. ſpatio dies 11. fiant, ſingulis ideo annis undecim dies una adjungi ſolet, qui Annus idcirco dierum 355. evadit. In Cyclo itaque *Mohammedano* annorum 30. anni intercalares, quibus ideſt diei 1. fit additio, ſunt 2. 7. 10. 13. 15. 18. 24. 26. 29. Mohammedanorum Annus igitur *Lunaris Solari* diebus 11. brevior eſt, diebuſque 11. ideo tardius incipit, quam anterior, ita ut annorum 538. ſpatio, *Hegirae* anni principium libere per anni totius tempeſtates pervagetur, nec ad eamdem Feriam, ejuſdemque Menſis diem redi queat: quamvis alterutram diem ideſt, aut Feriam poſt expletos annos vel *Islemicos* 235, vel *Julianos* 228. adſequi poſſit.

II. Indos porro apud Siamenſes Periodum annorum XIX, eamque tam *Metonica*, quam *Calippica*, noſtroque *Aureo Numero* longe perfectiorem, obtinuiſſe putat Cl. Caſſinus in Not. ad Regulas Aſtronomiae Indicae ex Codice MS. Siamenſi, a Domino de la Loubiere Regis Galliar. ad Siamenſem Regem Oratore adlato, erutas Monum. Acad. Scient. Pariſ. T. VIII. p. 222. ſq., 251, 259. ſqq., & 268. ſqq. In Periodo namque *Metonica* dies 6940. inſunt, ideoque ſupra *Indicam* Periodum exceſſus fit horarum 7, minut. 30.′ 38.″ 25.‴, in *Calippica*, ſive *Aureo Numero* Menſes *Lunares* 235. comprehenſi dies 6939, horas 18. efficiunt, quos tamen Anni *Juliani* 19. excedunt hora 1, minut. 47.′ 33.″, e quibus annorum

rum 1563. ſpatio dies 5. exſurgunt, annorumque 312. intervallo *Novilunia* die 1. retardantur; ideoque Periodum *Indicam* ſuperat hora 1, minutis 30.′ 38.″. 25.‴ Aſt Periodus XIX. *Indica* ex Menſibus *Solaribus* 228, aequalibus *Lunaribus* 235, conflata legitur, qui dies 6939, horas 16, minuta 29.′ 21.″ 35.‴ efficiunt; quae minor ideo eſt minutis 3.′ 5.″, aut 6.″ dumtaxat Periodo *Lunari* Menſium 235, quae recentioribus ab Aſtronomis fit dierum 6939, horarum 16, minut. 32.′ 27.″ Quò fit, ut annorum 800. ſpatio diei 1. vix defectus intercedat. *Liliana* quoque perfectiorem Indis Siamenſibus, *Solari* cum *Lunari* aequando Anno, *Epactam* adhiberi Vir doctiſs. obſervat. Ea nempe differentia eſt temporis inter *Novilunium*, ac finem *Solaris* Menſis, qui in curſu eſt; quumque *Lunares* Menſes 228, & amplius 7, (Menſes 235. ideſt), aequales ſint *Solaribus* Menſibus 228, inde ſequitur, quod, diviſione facta totius per 228, Menſis *Lunaris* 1. plus $\frac{7}{228}$ aequalis ſit Menſi 1. *Solari*; ideoque *Lunaris Epacta* Menſis primi ſit $\frac{7}{228}$. Menſis *Lunaris*, ideſt horarum 21, minutorum 45.′ 33.″ 46.‴; (quippe *Lunaris* apud Indos Siamenſes Menſis fiat dierum 29, horarum 12. minut. 44.′ 3.″); *Epacta* Menſis II. ſit $\frac{14}{228}$, ac ita deinceps, & *Epacta* Menſis XII. ſit $\frac{84}{228}$, ideſt dierum 10, horarum 21, minut. 6.′ 45.″ Quo ſit, ut Anni 3. 6. 9. 12. 15. 18. 19. apud ipſos *Embolimaei* ſint, Annique 19. *Epacta* ſit O. Ex hac jam vero Periodo XIX. *Indica* geminam aliam conflari Periodum idem Vir doctiſs. obſervat, quarum altera conſtat annis 11, altera ex Periodis 61, ſingulis annorum 19. Atque ita Periodo hac ex Periodis 61, quarum quaelibet annis 19. conſtat, compoſita, ac Periodo gemina, quarum unaquaeque annis 11. componitur, intervallum comprehendi annorum 1181, qui geminas inter Siamenſium Epochas interfluxere: qua Periodo annorum 1181. *Luni-Solari* abſoluta, *Novilunia Aequinoctii* Verni ad eamdem regredi diem advertit. *Noviluniis* vero ad eamdem horam, idemque minutum ſub eodem Meridiano reducendis, Periodum aliam Siamenſibus, Indiſque aliis uſurpari obſervat Caſſinus annorum 13357, conflatam ex Menſibus *Lunaribus* 165205, qui dies 4878600. comprehendunt: qua Periodo evoluta, apud Indos *Novilunia* ad eamdem horam, idemque momentum regredi

gredi perſuaſum habent. Verum Periodum hanc *Indicam* breviorem eſſe die 1. horis 14. Periodo ſimili Menſium *Lunarium* totidem 165205, prout a nuperis Aſtronomis conficitur, eodem loci p. 277. obſervat Caſſinus, ejuſque loco Periodum alteram ſufficit annorum 13346, ſive *Lunarium* Menſium 165069, ſive dierum 4874564, quam nuperis hypotheſibus magis eſſe conformem exiſtimat. Minorem hac aliam ſufficit etiam Periodum annorum 1040. *Synodicorum* Indorum, qua comprehenduntur dies 379856, horae 13, minuta 28.′25.″: qui Anni *Synodici* Annos totidem 1040. *Tropicos* excedunt diebus 4, horis 13, minutis 28.′25.″: quo exceſſu detracto, reliqui erunt dies 379851; horae 23, minuta 48.′28.″; queis de, aliiſque Periodis apud Indos plura eo loci Caſſinus perſequitur; a quibus levioris utpote momenti retrahendam manum ducimus, eadem recolenda iis, qui abundant otio, relinquendo, conferenduſque demum Caſſinus p. 283. ſq., ubi Annis *Synodicis* Indorum comparatis cum Cyclo annorum 60. Sinenſi, inde conficit Annos Sinenſes 1140. breviores totidem *Indicis* Annis 1140. eſſe Menſibus duobus.

III. Quoniam vero ſermo eò noſter evaſit, ut de Imperatorum *Tricennalibus* inſtitutus quoque jam fuerit ſuperiori de Periodis Art. I. §. x. ſqq. p. 22. ſqq.; atque demum de Chaldaica Periodo tam *Minori*, quam *Majori*, noſtri prout inſtituti ratio ferebat, hoc ipſo diſceptatum eſt Proleg. de Cyclis Art. I. §. xxviii. p. 50. ſq., ad Periodos alias propterea ut transferatur oratio, properetque, noſtrae jam pretium eſt operae. Atque principio quae nobis ſe offerunt pertractandae Periodi annorum 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. a Viro doctiſs. Jacobo Bettazzio adinventae, & ad alium eas dimittere locum cogimur, ad Articuli iv. nempe calcem, ubi prolixior inſtituendus ſermo erit de Periodis aliis ab eodem Viro eximio propoſitis, quarum ope Anni *Solaris*, atque *Epactarum* aequationes ſe praeſtitiſſe, *Aequinoctia* ſuis perpetuo locis reſtituiſſe, Canoneſque ſuppeditaſſe Paſchalibus *Noviluniis*, & *Pleniluniis* diebus ſuis impoſterum definiendis confidit. Hujuſce ratio rei Lectori reddenda videbatur, ne inani titulo ei fucum facere putaremur, antequam ad Perio-

riodos alias, juxta propoſitum in Articuli fronte ordinem, pedem referremus.

IV. Graecis imprimis itaque Periodum annorum 40. pariandis *Lunae*, ac *Solis* rationibus adhibitam fuiſſe, nec infeliciter utique, imaginatus eſt Petitus in Eclog. Chronolog. de Anno Attico cap. 2. ſqq. Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 1115. ſqq. Videlicet Anno Graecis utpote *Lunari* dierum 347. dumtaxat olim utentibus, *Lunae* rationibus aequandis, ſingulis idcirco bienniis intercalaris Menſis dierum alternatim 29, & 28. adjungi ſolebat. Sed inde ſequebatur, ut in bienniis ſingulis ſupra *Lunae* rationes dies 15. ſupereſſent, quos proinde in ſequenti biennio erogatos exiſtimat. Itaque ſingulis *Tetraeteridis* annis diem 1, unique *Tetraeteridis* anno dies 2. adpenſos fuiſſe putat, ita tamen, ut dies 1. pariter e ſingulis Annis *Solaribus*, ac dies 1. *Solari* ab anno illo, cui dies 2. inſerti fuerant, itidem detraherentur, ſive eximerentur, ne videlicet Anni excederent numerum dierum 360. Aequationem ſed enim iſtam *Tetraeteridis* non *Lunaris* cum *Lunaribus* annis, non niſi intra *Tetraeterides* 20. cum *Lunaribus* olim dierum 347, ſive intra *Tetraeterides* 30. cum *Lunaribus* deinde dierum 354, peractam fuiſse, peragique reapſe quiviſse putat. Ideoque *Lunaribus* Annis aut dierum 347, aut dierum 354. cum *Tetraeteridibus*, non *Lunaribus* exaequandis, Graecos primum adhibuiſse cenſet Periodum annorum 40, ideſt ex *Tetraeteridibus* 10. conflatam; cujus annum primum ab Olympiadis primae *Novilunio*, quod ipſo die *Solſtitii* Aeſtivi, ac Julii die 8. obtigerit, incepiſſe opinatur. Quia vero intra Periodum annorum 40, ſive intra *Tetraeterides* 10, Anni *Lunares* 40, additis Menſibus *Embolimaeis* 6. dierum 29, ſuperabant Periodum *Solarem* Julianam totidem annorum 40. diebus 14: *Lunares* enim dies 14624. erant, Juliani vero *Solares* dies 14610: proinde ut paria demum facerent, Periodum alteram totidem annorum 40, ſive ex *Tetraeteridibus* 10. conſtructam addidiſſe Graecos autumat, in qua tamen annis *Lunaribus* 40. *Embolimaei* Menſes 5. dumtaxat dierum 29. adjuncti fuerint: quomodo Anni *Lunares* demum aequarentur *Solaribus*. Atque haec eſt, Petiti opinione, Periodus annorum

80, ſive ex *Tetraeteridibus* 20. conflata, in qua *Lunares* 80. antiqui dies colligebant 29219, ac totidem Juliani *Solares* 80. dies 29220, ideſt diem 1. plus, quam *Lunares*. Poſtmodum vero *Lunaribus* dierum 354. ſingulis annis cum Julianis dierum 360, *Solaribus* aequandis Periodum annorum 120, ideſt ex *Tetraeteridibus* 30. contextam, Graecis excogitatam, adhibitamque fuiſſe Petitus imaginatur. Nempe poſtquam *Epagomenarum* ope, dierum ideſt quinque ad finem anni adjectione, dierum 5. exceſſus ſupra dies 360. ſuppletus demum Graecis fuiſſet, compertum eiſdem perinde eſt diei unius quartam fere partem fuiſſe quoque ſupplendam, ut paria tandem Annus cum *Solis* rationibus faceret: qua parte neglecta, in centum viginti annis integro Menſe anni cardo ab Epocha *Solari* recederet. Errori igitur iſtiuſmodi ut obviam irent, ſingulis annis centeſimis viceſimis intercalarem Menſem dierum 30. anno inſerendum duxiſſe Graecos autumat, ita ut Annus 120. quilibet dierum 395. eſſet, ac ita in orbem cum *Solis* Epocha anni caput reduceretur. Iſthaec ergo fuit, opinione Petiti, *Graeca* Periodus annorum 120, ſive *Tetraeteridum* 30, in qua tamen caput anni ab Aeſtivo *Solſtitio* traductum fuerit ad Autumnale *Aequinoctium*, ideſt a die 8. Julii ad diem 7. Octobris, quo *Aequinoctium* committi Graeci crederent, indeque a die 7. Octobris deinceps inceperit Periodus illa annorum 120. Verum hypotheſim Petiti hancce non uno laborare incommodo, vitioque, atque ingenioſe quidem, ſed ullo gravi abſque fundamento, documentoque excogitatam, atque ſuperſtructam oſtendimus ſuper. Volum. III. Art. IX. De Menſ., & Annis Graecorum §. XII. ſqq. p. 344. ſqq., quo dicta loci recolenda, ſi libet, ne actum fruſtra agere, crambemque recoctam obtrudere videamur.

V. Celebris Hebraeis Divino juſſu Levit. XXV. 8. ſqq. adhibita Periodus annorum 49, aut 50. fuit, *Jubilaei* nomine illuſtrior, qua ſicuti Graeci *Olympiadibus*, Romani *Luſtris*, Chriſtiani dein *Indictionibus*, ita Judaei Tempora, *Jubilaeis* nempe, dinumerare ſolemne habuerunt. De *Jubilaeo* itaque acturis duo nobis, ut inſtituti fert ratio noſtri, inveſtiganda, illuſtrandaque occurrunt, *Etymologia*, ac *Tempus*, circa quae in diver-

ſas

ſas admodum opiniones Viros doctos abreptos video. Et quidem ad *Etymologiam* quod primo ſpectat, ludicris poſthabitis, inanibuſque quorumdam interpretationibus, vel qui *Jobel* quaſi a duplicato Jω, ſive *Jao*, *Deo Deo* repetere haud dubitant, *Jao* enim, & *Elva* Deus adpellatur, quaſi *Jubilaeus* nempe *Sanctus Sanctorum* Annus ſit; velut Hottingerus in Analect. diſſert. 3. derivationem hanc in Catena Patrum Graeca Mſ. ſe deprehendiſſe jactans, qui vel eo uno confoditur jaculo, quod Hebraeo *Jebovae* nomini Graecum Jω, ſive *Jao* minime congruat. Qui rurſus *Jobel* voce deſignatum fuiſſe obtrudit certum Tubae laetum ſonum, hoc eſt *Jubilum*, diſtinctum a תְּקִיעָה *Thekia* ſono aequabili, quo Caetus indici ſolitos autumat, & a תְּרוּעָה *Therua* fragore cito, conciſoque, quo in movendis Caſtris Judaeos uſos auguratur. Quam ſane Hottingeri expoſitionem multis exagitat, vexatque Cherubinus a S. Joſepho Bibl. Crit. T. II. diſp. 4. Art. 2. ſect. 1. p. 368. ſq., eo praeſertim, quod Buccinarum diſtinctio, non a ſoni diverſitate, ſed a materia ducenda magis videatur; eadem ſiquidem Buccina tum laetus, tum aequabilis, tum fractus edi ſonus queat. Vel qui *Jubilaeum* a יְבוּל *Jebul*, qua voce *Germen* innuitur, deducere malunt, quaſi *Jubilaeus* nempe Annus *Germinis* eſſet; veluti Cajetanus, quem ideo late refellit Bonfrerius; tum quod ſponte è terra germinantibus utendum erat Anno tam *Sabbathico*, quam *Jubilaeo*; tum quod eo potius Anno cuncti requieſcerent agri, ab eorumque cultura omnino ceſſaretur. Igitur nominis iſtius יוֹבֵל *Jobelaei* triplex origo diverſa traditur a diverſis, ac ut fit in re obſcura, diſpar ſignificatio tergemina. I.ª Eorum eſt, qui *Jubilaeum* ab Hebraea voce יוּבָל *Jubal*, a primo ideſt Muſicorum Inſtrumentorum Inventore *Jubale* derivare non ambegere, indeque profectum Latinorum *Jubilum* imaginantur, quaſi videlicet a Buccinarum clangore rauco, & agreſti *Jubilaeus* Buccinis hujuſmodi indictus nomen acceperit. Ita Maſius Comm. in Joſue VI. 4, Marbachius in Levit. XXV., Bochartus Hierozoici Par. I. lib. 2. cap. 43. p. 426. ſq., Joh. Clericus Comm. in Levit. XXV. 9. p. 678, in eo diſcrepans a Bocharto, quod *Arietinas* hic fuiſſe Buccinas neget; a quibus haud multum abludunt Kircherus in Concord., & For-

ſterus in Lex. a Buccinarum clangore nomen illud derivantes, ac Hottingerus paullo ſupra memoratus. II.ª Eorum eſt, qui *Jubilaeum* a radice derivant Arabica יוֹבֵל *Jobel*, qua *Aries* يبل ſignificari dicitur, unde בְּקֶרֶן הַיּוֹבֵל *Cornu Arietis* fluxit Joſue VI. 5, ubi Chaldaeus habet בְּקֶרֶן יוֹבְלָא item *Cornu Arietis*; Thalmudici in *Roſch Haſchana* cap.3. fol.26. col.1. Arabicam eſſe vocem volunt, & ab Arabibus יוֹבְלָא *Jobelam* يبلم vocari *Arietem*, teſte vocato R.Akiba, referunt; unde *Jubilaeum* denominari putant, quod Cornu Arietino promulgari ſoleret, ideoque Joſue VI.4. שׁוֹפְרוֹת הַיּוֹבְלִים *Scopherot Jobelim*, ideſt *Buccinae Arietum* leguntur, ibique Chaldaeus habet שׁוֹפְרַיָּא דִּכְרַיָּא *Buccinas è Cornu Arietino*. Ita poſt Thalmudicos Joh. Buxtorfius in Synagoga cap.21, & in Lex.edit.Baſil.1735. p.293.ſq., Joh.Coccejus, Goodvvinus Antiq.Codic.Sacr.lib.3. cap.10. p.82, Cherubinus a S.Joſepho Bibl. Crit. T.II.diſp.4. Art. 2. ſect.2. p. 369. ſq., Thalmudicos nempe ſequuti in ראש השנה *Roſch Haſchana*, Chaldaeum etiam Interpretem Jonathanem in Joſue VI. 5.6, ubi poſt *Jobel* ponit דִּכְרָא *Dechra*, qua voce Chaldaica *Aries* deſignatur, Lexicographos Judaeos R. Kimchium in Praefat. ad ספר שרשים, ſive Libro *Radicum*, Interpretes item R. Abarbanelem in Levit.XXV. 9. fol.268. col.4, R. Laniadum in Joſue loc. cit., Davidem de Pomis in Lexico &c. Quam ſane *Jubilaei* a Cornu *Arietis* derivationem valide exagitarunt, ſolideque exploſerunt Joh. Morinus Exercit. Bibl. lib.1, exer.6. cap.4. §.5. p.115. ſq., & Samuel Bochartus loc.cit., Buccinas utique ex *Bubulo* Cornu memorari apud Veteres obſervans, ut apud Dionyſium Halicarn. lib.2, & Varronem de Ling. Lat. lib.4, de Buccinis vero ex Cornu *Arietino* nullam apud Veteres ſive Hebraeos, ſive Graecos, ſive Romanos mentionem occurrere, uno dempto Joſepho Antiq. lib.5. cap.8, quem ideo deceptum arguit inde, quod nullibi in Sacro Textu *Arietis* Cornua pro Buccinis uſurpata legantur: neque vero id commodum eſſe, quum *Arietis* Cornu ſit omnino ſolidum, neque cavum, ideoque flatui recipiendo prorſus impar. Ad haec vero negat Arabibus *Arietem* dictam aliquando *Jobel*, vel *Jobelam*, bene vero dici aut

كبش

حمت *Hamat*, aut خبس *Chebs*, aut سوى *Saphi*, aut, ſi procerior ſit, *Giuchgiuch* جيحجيح, & *Hugbug*. Parum hinc nihilominus abfuere R. Salomon ad Levit.xxv. 10, Avenarius, Schindlerus in Lex., & Carpzovius in Diſput. de Anno *Jubilaeo*, & in Annot. ad Goodvvinum Antiq. Cod. Sacr. lib. 3. cap. 10. p. 449. ſq. arbitrati *Jubilaeum* derivatum a היובל *Jobal*, quod *Sonum longe productum* ſignificat, quo veluti per Metonymiam Annus eodem indictus ſono *Remiſſionis* veniret. Videndus etiam Relandus Antiq. Jud. Par. IV. cap. 8. §. 18. p. 529. ſq.

VI. Aſt enim tertia veri longe ſimilior eorum ſententia eſt, cui utroque ſubſcribendum pollice ducimus, qui *Jubilaeum* ab Hebraea voce יָבַל *Jabal Fluxit* deducere malunt: qua ex voce in Conjugatione 3. tam activa *Hiphil* הוביל *Produxit*, *Fluere fecit*, quam paſſiva *Hophal* הובל *Productus eſt*, *Effluxit*, prognatae ſunt voces יָבָל *Jabal*, יובל *Jubal*, אובל *Ubal*, אֻבַל *Ubal*, & per Aphaereſin בול *Bul*, *Fluctus*, *Fluenta*, *Proventus* Iſaj. xxx. 25, Hierem. xvII. 8. xL. 15, Daniel. vIII. 2. 3. 6, & Jobi xL. 20: quam ad radicem, cui ſane congruit Arabicum verbum *Wabala* وبال, & nomen *Wâblon* وبلان, *Effuſior Pluvia*, ideo revocandum *Jubilaeum* non ambigunt, quaſi videlicet is Annus Ἀναγωγῆς *Reductionis* eſſet, atque in eo rerum Ἀποκατάςασις, uti loquitur Philo, fieret, nempe quod adduceret Agris quietem, Servis libertatem, Debitoribus cum pignore dominium utile, & fundi pignorati poſſeſſionem. Ita veteres tam Judaei, quam Chriſtiani paſſim Interpretes ad rem ipſam potius *Jubilaei* nomine importatam, quam ad ipſum verbi grammaticalem ſenſum reſpicientes, Philo in libro Nominum *Jubilaeum* per *Dimittentem* explicans, Joſephus Antiq. lib. 3. cap. 10. per Ἐλευθερίαν *Libertatem*, R. Abarbanel, quem laudat etiam R. Laniadus Comm. in Joſue vI. 4. per הוביל *Reductionem*, R. Moyſes Gerundenſis in Levit. xxv, 10. per שִׁלּוּחַ *Scilluha Dimiſſionem*, ſic etiam R. Nachman Comm. ad Levit. xxv, Septuaginta, & Aquila per Ἄφεσιν *Remiſſionem*, ſive *Dimiſſionem*, S. Cyprianus de Spiritu S., S. Hieronymus in cap. 3. Iſaj. lib. 2. per *Dimiſſionem*, S. Gregorius Na-

Naziaz. Hom. de Pentec., Theodoretus in Levit. q. 35. ſimiliter exponens. Atque ita plane Vulgata Latina Num. xxxvi. 4. *Remiſſionis* voce utitur, & vetus Graeco-Latinus Lexicographus verbo *Emancipationis* uſus legitur. Ceteris vero enucleatius ſuam de *Jubilaei* etymologia ſententiam expromentes Judaeorum par Doctiſs. Aben Eſra in Levit. xxv. 10. יֹובֵל *Jobel* idem, ac שִׁלּוּחַ *Miſſio*, *Dimiſſio*, *Remiſſio* valere, Chiskuni vero *Jubilaei* nomen לשׁוֹ שׁלרח eamdem *Mittendi*, *Dimittendi*, *Remittendi* notionem obtinere docent. Horum itaque recumbendentes in opinionem Philolologi paſſim in Lexicis, Interpretes in Levit. xxv, & Joſue vi, Polemici quoque, Criticique haud alteram ab hac *Dimiſſionis*, *Remiſſionis* &c. ſignificationem in *Jubilaei* voce quaerendam fore conveniunt; quemadmodum Pagninus, Avenarius, Schindlerus in Lex.; Martinius, Fullerus in Miſcell. Sacr. lib. 4. cap. 8. Critic. Sac. T. VII. edit. Francof. p. 193. ſqq.; Bellarminus de Indulg. lib. 1. cap. 1; Oleaſter, Serrarius, Cornelius a Lap., Marius, Bonfrerius, Menochius &c. in Levit. xxv, in Joſue vi. &c.; Ribera de Templo lib. 5. cap. 24; Joh. Morinus loco ſupra cit.; Clodius item in Lex. Selecto p. 227, Quaſius in Diſput. de voce *Jobal*, Scultenſius ad Harm. conſ. 3. p. 174, Reizius in Not. ad Goodvvinum Antiq. Cod. Sac. lib. 3. cap. 10. p. 301, Varenius Diſput. de Sabbathico, & Jubilaeo p. 461, Meyerus de Temp. Sacr., & Feſt. Hebr. Par. II. cap. 18. §. 3. p. 342, aliique, quos perſequi non vacat. Illud denique Ribera loc. cit. contendit *Jubilaeum* neque Tubis *Argenteis*, ut Abulenſi viſum, Tubae ſiquidem Argenteae Populi Conventui indicendo, duae eſſent dumtaxat Num. x; ac Joſepho etiam teſte Antiq. lib. 3. cap. 11; contra vero *Jubilaeus* Tubis ſeptem indici ſoleret Joſue vi. 6; neque Buccinis *Arietinis*, uti perſuaſum fuit Pagnino, Munſtero, Oleaſtro, Eugubino, aliiſque pro hac opinione laudatis, ſed *Bubulis*, ideſt ex Cornu bubulo paratis, indicere in more Judaeis poſitum fuiſſe: quod poſterius tamen incertum manet. Quin etiam Torniellus ad An. M. 2584. n. 6. in ea opinione verſatur, ut *Argenteis* Tubis ſeptem *Jubilaeum* indici conſueviſſe ex Joſue vi. 6. 13. autumet. R. Bechai quoque ad Levit. xxv. Cornu *Arietino* *Jubilaeum* aliquando indictum negat: quod

quod contra adfirmare non dubitant R. Jehuda, Maimonides in *Hilcoth-Schopbar* cap.1.§.1, & in *Halacoth Schemitta Vejobel*, ideſt *de Remiſſione, & Jubilaeo*, ac R.Obadias de Bartenora in *Miſchna* capp.2, & 5, quos utroque ſequi pede non haeſere Fagius in Levit.xxv.9, Coccejus, Salomon Van-Til de Poeſi, & Muſica Vet. Hebr. Par. III. cap. 6. §.3. p. 486. ſq., Houtingius in cit. *Miſchnae* loc., Carpzovius ad Goodvvini lib.3. cap.10. p.455. ſqq., Campegius Vitringa de Synag. Vet. lib. 1. Par.I. cap.10.p.203, &c. Repugnant vero Bochartus loc. cit., Schindlerus in Lex. Pentagl. V. שרפר, aliique, qui ex Cornu *Bubulo* confectas Buccinas illas contendunt. Sed in re haud neceſſaria, omninoque obſcura non eſt, cur diutius immorer, multuſque ſim, atque Lectori etſi liberali moleſtus.

VII. Nunc de *Jubilaei* tempore, quo is nempe definitus fuerit, quo primus inceperit, quove deſierit poſtremus, ut ordine diſſeramus, fidemque datam liberemus demum noſtram, quam diverſas itidem in ſententias Viri docti abjerint, mirari valdequam ſane nobis ſubit. Enim vero Annorum 49. ſpatio *Jubilaeum* fuiſſe, atque Divina quidem inſtitutione, comprehenſum ſtatuere videntur S. Auguſtinus in Levit.q.92., S.Gregorius M. Moral. lib. 1. cap.4, S.Iſidorus Orig. lib.4. cap.8, R. Adda in Kalendario, Hugo Cardin. in Levit.xxv, Gerardus Mercator in Chronolog., Cunaeus de Repub.Hebr.lib.1.cap.6. Crit. Sac. edit. Francof. T.VI. p.824. ſq., Scaliger de Emend. temp.lib.5.p.375, Emmius, Guldinus in Kalend. lib.5.cap.11, Gerardus Voſſius, Hoſpinianus de Orig. Feſt. Jud. cap.9. p.43, Jacob. Capellus, Reizius in Goodvvini Antiq. Cod. Sac. lib.3. cap.10. p.302, Sethus Calviſius, Petavius Doct. temp. lib.9. cap.28, Buntingus, Moeſtlinus, Codomannus, Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p.24. ſqq., Brietius Annal. M. an. 259, Langius de An. Chr. lib. 1. cap.11, Spanhemius, Helvicus, Thummius, Behmius, Cloppenburgius, Strauchius, Guſſetius, Clericus Comm. in Levit.xxv. §. 10. p. 676. ſqq., DeVignolius Chron. Hiſt. T.I. lib.3. cap.2. p.698. ſqq. &c., hiſce momentis ducti. I.° Quod Levit.xxv.*Jubilaeus* Cyclo per ſeptem annorum Sabbatha definitus legitur, juxta nempe Septennarium numerum Deo in S. Scriptura delectum, ac praecipuis Feſtis celebrandis

dis deſtinatum . Sicut enim Deus ipſe die ſeptimo a Creationis opere requievit, ita ſeptimum diem hominis quieti deſtinavit. Levit.xxiii.3.8, Exod.xii.15; dies ſeptem Feſtis ſolemnibus dicatos voluit Exod.xxxiv.22, Levit.xxiii.15 ſq.; Hebdomades ſeptem inter Paſcha, & Pentecoſtem interfluere juſſit Levit. ibid.24, Num.xix.1; ſeptimum Menſem Feſtum Propitiationis II.Paralip.v.3, ac Tabernaculorum Deuter.xvi.13,xxxi.10, Levit.xxiii. 34. deſtinavit; Annum ſeptimum Agrorum quieti dereliquit Exod.xxiii.10.ſq., Levit. xxv. 8. ſqq. Ita & ſapientiſſime a Deo inſtitutum liquet, ut in Sacrificiis victimae eſſent ſeptem Num. xxiii. 1; ut Aſperſiones ſepties fierent Num.xix. 4, Levit. iv.6, viii. 11, xvii. 7.16.51, xvi. 14; ut dies ſeptem Immundis, ac Leproſis poſt purificationem eſſent praeſcripti Num.xix. 11.14.16, atque Sacerdotibus poſt ipſorum inaugurationem Levit.xiv. 7. 23, viii. 33: quo argumento *Jubilaeum* annorum 49. fuiſſe confirmaſſe S. Hieronymus ipſe quoque legitur Comment. in Amos lib. 2: etſi poſtea alteram ipſe in opinionem abjerit. II.° Quod ex adverſa caeterum opinione de *Jubilaeo* annorum 50. ſpatio definiendo gravia pleraque ſequerentur incommoda: quod nempe Terra ab agricultura duobus continuo quieſcere debuiſſet annis, ideſt *Sabbathico* 49, & *Jubilaeo* 50: quod turbatus fuiſſet ordo *Sabbaticorum* annorum; namque ſi *Jubilaeus* 50. a *Sabbathico* initium haud duxiſſet, tunc ab uno *Sabbathico* ad alterum, non ſeptem, ſed octo interfluxiſsent anni; ſi vero *Jubilaeus* 50. unus è *Sabbathicis* fuiſset, tunc agri ſex annis poſt ultimum *Sabbathicum* coli, & conſeri nequiviſsent, ſed anni quinque tantum, anniſque tantum quinque Servo Hebraeo ſerviendum incubuiſset, contra legem Levit.xxv.3, & Deuter.xv.12. Conferendi, ſi libet, qui copioſe utraque iſta verſant manu, multiſque in utramque utraque de hac opinione partem diſputant, prae aliis Calviſius Iſag. Chronolog. cap.25, Natalis Alex.Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. edit. Lucen.4.T.II. diſſert.14. Prop.II.p.623. ſq., Joh. Clericus loc. cit., Auctor Obſerv. in Chronolog. Veter. Hebraeor. §.21. ſqq. p.17. ſqq., DeVignolius Chron. Hiſt. Sac. T.I. lib.3. cap.2. p.700. ſqq. &c., qui poſtremus eo potiſſime argumento pugnat, quod in Chronico Samaritano, quo de-

de copioſe dictum Volum.I. Art.I. de Menſ., & Annis Hebr., Samarit. &c., Aera *Samaritana* ibi notata Annorum 2794, a *Diluvio* ducta, per 7. diviſa dat Annos *Sabbathicos*, diviſa per 49. dat Annos *Jubilaeos*, velut ante ipſum adnotavit Godefridus Vendelinus in Epiſt.41. ad Joh. Morinum Antiq. Eccl. Orient. p.215. ſq. Qui tamen, De Vignolius ideſt, fateri tandem cogitur p.737. eo in Chronico tam *Joſue* Annum 1, quam ab Aegypto Exitum annis 28. anticipari.

VIII. Pro ſpatio viciſſim annorum 50. *Jubilaeo* definiendo pede ſtant utroque, pugnantque longe plures, veluti pro aris, & focis, Philo lib. de Charit., alibique ſaepe, Joſephus Antiq. Hebr. lib.3. cap.10, Onkeloſus, Julius Africanus, S. Cyprianus, Euſebius in Chron. ad an.51. Abrah., S. Epiphanius, S. Cyrillus Alex. de Adorat. lib.17, S. Hieronymus Epiſt. 127. ad Fabiolam de Manſion. 42. manſ.12, S. Ambroſius in Pſal.50, & Apologiae David cap.8, S. Auguſtinus in Levit. q.92, S. Gregorius M. loc. cit., Caſſiodorus in Pſal.50, S. Iſidorus loc. cit., V. Beda in Feſto Pentec. fer.2, & de Tabern. lib.2. cap.3, quos adfert Serrarius in Joſue XIII, exindeque Salianus ad an. M. 2544. n.696. ſq., atque Henricus Philippi Introd. Chron. cap.14. p.34, & in Levit. XXV. q.6. p.221. Quorum poſt veſtigiis preſſe inhaeſere Scotus, Lyranus, Toſtatus in Levit. XXV. q.6., Cajetanus, Oleaſter, Burgenſis, Pererius, Cornelius a Lap. in Levit. ibid., Sigonius, Eugubinus, Vatablus, Torniellus ad an. M. 2584. n.4, Benzonius de Anno Jubil. lib.1, Ribera de Templo lib.5. cap.24, Mariana apud Ricciolium, Janſenius, Lorinus, Bonfrerius, Tirinus, Menochius in Levit. XXV, Azorius, Pagius, Brougtonus, Funcius, Bucholcerus, Reuſnerus, Krentzemius, Bekerus, Willetus, Juriaeus, aliique in Crit. Sacr. edit. Francof. T.I. p.877. ſqq., & apud Cherubinum a S. Joſepho Bibl. Crit. T.II. diſp. 4. Art.II. ſect.2. p.371. ſqq., quibus jungendi Druſius, Junius, Paraeus, Bailius, Hottingerus, Schindlerus, Beroaldus, Calovius, Pfeiſferus, Dietericus, Hulſius, Leydekerus, Leusdenius, quos memorant, ſequunturque Joh. Meyerus de Temp. Sac., & Feſt. Hebr. Par.II. cap.18. §.4. ſqq., & Joh. Gottlobus Carpzovius in Annot. ad Goodvvini Antiq. Cod. Sac. lib.3. cap.10. §.5. ſq.

p.450. ſqq., Relandus Antiq. Jud. Par. IV. cap. 8. §. 19. p. 529. ſq., ac Thomas Stackhouſe Theolog. T. III. cap. 4. ſect. 4. de Legib. Eccleſ., & Caerem. Hebr. p. 384. ſq. Horum ea ratio eſt 1.° Quod Levit. xxv. 8. ſqq. explicitiſſime jubetur, ut numeratis ſeptem annorum Septimanis, ideſt annis 49, religioſo in honore ſequens Annus 50. haberetur, iſque eſſet *Jubilaeus*; quo ipſo quies agris, debitorum remiſſio, ac manumiſſio Servorum, velut in *Sabbathico*, indicta erat; ſpeciatim vero Servorum Manumiſſio, qui *Sabbathico* Anno fuiſſent detenti Exod. xx1. 6, vel deinceps pretii, quo redimerentur, defectu Levit. xxv. 48. ſq., nec non avitarum poſſeſſionum, quae alienatae fuiſſent, ad Haeredes priſtinos, ac legitimos reditus, idque ſine pretio, & compenſatione prorſus ulla. Domibus tamen intra Civitates exceptis, quae niſi primo venditionis anno redemptae eſſent, ipſo anno *Jubilaei* redimi nequibant, exceptis tamen Levitarum Urbibus: idque totum, ne confunderentur, temporis ſucceſſu, Tribus, atque Familiae, quas manere diſtinctas intererat, ut *Meſſiae* venturi Tribus, & Familia illa ex *Juda*, haec ex *Davide*, ſuo conſtare tempore quiret. 2.° Quod ſicut Judaeis duplex fuit Annus, *Civilis*, qui a Menſe *Thiſri*, & *Eccleſiaſticus*, qui a Menſe *Niſan*, ducebat initium, ſic duplex fuit Annus *Sabbathicus*, & *Jubilaeus*; atque ita quidem, ut *Civilis* uterque fuerit utique, ſed ita tamen, ut *Sabbathicus* a Kalendis *Thiſri*, *Jubilaeus* vero a *Thiſri* die 10. inciperet. Totum id vero tum ex Levit. xxv. liquere contendunt, tum a Judaeorum Megalandris in Thalmud Tract. ראש השנה *Roſch Haſchana* Cap. 1. *Miſchna* 1, ac ex Maimonide quammaxime in הלכות שמטה ויובל *Halacoth Schemittà Vejobel*, de *Remiſſione*, & *Jubilaeo* cap. 10. §. 4, qua de re plura Carpzovius loc. cit., ubi tum Sebaſt. Schmidium in Exod. x11. 2. de Paſchate Par. I. cap. 1. p. 17. ſqq. diſtinctionem hancce Anni *Civilis*, & *Eccleſiaſtici* Judaeis unquam adhibitam inficias euntem liquido Exod. x11. 1. loco exagitat, & refellit, tum Melch. Leydekerum de Repub. Hebr. lib. 5. cap. 13. Obſerv. 1. p. 317. Annum *Jubilaeum* inter Sacros computantem locupleti Levit. xxv. 8. ſqq. loco reprehendit, & explodit. Ea vero nobis inſidet opinio, ut cum Guillelmo Bon-

Bonjour in Diſſert. de Hebd. lxx. §. 2. n. 6, & cum Jacobo Maria Ayrolo in Diſſert. de lxx. Hebdom. cap. 34. exiſtimemus haud difficile ex S. Scriptura ipſa diſſolvi quaeſtionem iſtam poſſe, & utramque componi Eruditorum hac in parte ſententiam, ut nempe *Jubilaeus* anno utroque 49, & 50. definiatur, ac paſſim ad Annum 49, cujus Menſe 7. *Thiſri* die 10. inceperit, & partim ad Annum 50. proximum, cujus itidem Menſe 7. *Thiſri* die 9. deſierit, ſit referendus.

IX. Intereſt nunc, juvatque, ut quo demum Anno *Jubilaeus* primus inceperit, quove poſtremus defecerit, obiter inveſtigemus, ſuoque ſtatuamus loco. Itaque Gerardus Mercator Chronolog. aeſtimat *Jubilaeum* I. anno M. 2549, ab Exitu 95. celebratum, quo *Sabbathicus* terrae ſeptimus inciderat. Poſt *Jubilaeum* 17. autem Judaeos in Babylonem abductos fuiſſe, atque poſt reditum è Captivitate *Jubilaeum* I. cum *Sabbathico* terrae 7. anno M. 3481. ſolemnem habitum fuiſſe. Jovius Lalamantius viceverſa in Comment. de Ann. *Jubilaeum* I. concurriſſe cum anno 1. ingreſſus in Palaeſtinam, *Joſue* 5, Mundi 2493. opinatur. A quo uſque ad praedicationem S. *Johannis Bapt.*, ac Chriſti D. baptiſmum *Jubilaeos* viginti novem annorum 50. ſingulos, cum annis 49. effluxiſse arguit. Uſſerius vero in Chronolog. Sac. cap. 13. p. 72, & in Annal. Vet. Teſt. ad ſqq. annos cenſet cum Anno *Sabbathico* 7. *Jubilaeum* I. incidiſse in annum Periodi Julianae 3318, Mundi 2609, ante Chriſtianam Aeram 1395. Atque *Jubilaeos* 18. utique ante Captivitatem uſque ad annum M. 3470. numeratos arbitratur, ita ut eodem, quo *Sabbathicus* quiſque ſeptimus, ordine, annoque *Jubilaei* pariter inceperint, quorum poſtremus 30. fuerit, conferendus in annum M. 4030, Chriſti D. 30, quo promulgari *Evangelium* occepit, a Judaeis ſolemnis habitus. Vide-ſis ſupra dicta §. xvi. ſq. de Anno *Sabbathico* p. 30. ſqq., quo loci pleraque de *Jubilaeorum* ſerie ex Uſſerio proſequuti ſumus. Ab Anno item Mundi 2609, ab Exitu 96. *Jubilaeum* I ducendum ſtatuunt Imbonatus in Bibl. Latino-Hebr. ad Mundi aetatem IV. Chronolog. Sac. p. 15, & Joh. Franc. Buddaeus Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. T. I. in Indice Chronolog. ad hunc annum, aliique, ita ut *Jubilaeus* 17. ante Captivitatem inciderit in annum M.

 3393.

3393, a Templi fundatione 401; poſt Captivitatem *Jubilaeus* 19. cum anno M. 3491, a deſolatione Templi 75. injerit; ac *Jubilaeus* 30, ultimuſque in annum M. 4030, a Templi deſtructione 614, Chriſti D. 30, incurrerit. Joh. Lightfootus viciſſim Harm. Evang. Par. III. ad Lucae IV. 9. Oper. T. I. p. 484. pro certo habuit Annum mortis Chriſti D. *Jubilaeum* proprie fuiſſe, ſua pro ſententia proferens Broughtonium, qui confeſſionem quoque hacce ſuper re antiqui *Sohar*, ſive R. Simeonis Ben Jochai adducit ita adfirmantis: *Majeſtas Dei erit Iſraeli in Jubilaeo, libertas, Redemptio, finitrixque Sabbathi*. Judaeos vero, ſubdit Lightfootus, conſulto ſuis in ſcriptis *Jubilaeos* confudiſſe, ut eluderent manifeſtam harmoniam Antypi, Typique in morte Chriſti anno *Jubilaei*. Verumtamen poſt Captivitatem annorum quidem *Sabbathicorum* religionem manſiſſe, *Jubilaeorum* vero abolitum fuiſſe morem adfirmare non dubitarunt R. Simeon Ben Eliezer in Gemara Babyl. ad Titul. *Erakim* cap. 7. fol. 29. col. 1, Maimonides in *Halach Iſuri bia* cap. 14, in *Halach Milla* cap. 1, & in *Halach Schemittà Vejobel* cap. 10, ac R. Jom Tobh; eoſdem tamen numerandi conſuetudinem manſiſſe ſubjungit Maimonides apud Petrum Cunaeum de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 6. Crit. Sac. edit. Francof. T. VI. p. 824. ſq.

X. Cujuſmodi intermiſſionis eam ſane rationem adfert, quod una ſiquidem ejuſmodi inſtituti cauſſa fuerit, ut bonorum per *Joſue* facta diſtributio integra maneret, atque impermixtae ſane Tribus, Familiaeque perſiſterent, non erat utique, cur poſt Captivitatem, qua Poſſeſſiones, Tribus, atque Familiae perturbatae fuerant, confuſaeque, *Jubilaeus* adhuc obtineret, ut olim ante Tribuum diſperſionem. Sed enim *Jubilaei* potior, ac prima inſtituendi cauſſa plane fuit *Peccatorum* remiſſio, precibus, poenitentia, piiſque operibus a Deo impetranda, ideoque Levit. XXV. 9. ſq. *Propitiationis* tempus *Jubilaeus* vocatur, atque *Sanctificandus* indicitur; cujuſce ideo a Deo impetrandae *Remiſſionis* exemplar debitorum erga proximum *Remiſſio* a Deo expreſſe praecipitur. Judaici igitur *Jubilaei* inſtar a Bonifacio VIII. *Extra* lib. 5. *Antiquorum* I. de Poenit., & Remiſſ. annus 100; a Clemente VI. an-

annus 50. Conſt. *Unigenitus* apud Raynaldum T. VI. ad an. 1349. n. 11; ab Urbano VI, & Martino V. annus 33. apud Paulum II; & a Paulo II. Conſt. *Ineffabilis* annus 25. pro venia a Deo impetranda Sacramentorum ope, Indulgentiaeque Chriſtifidelibus inſtitutus, non erat ſane cur, niſi pravo ex ingenio maledicendi, peſſimamque in partem Romanorum Pontificum interpretandi geſta, a Franciſco Buddeo in Parergis Hiſtorico-Theolog. Exercit. 2. de Ritibus Eccleſiae Latinae Judaicis §. 3. p. 115. ſqq., unaque Joſephus Voiſinius libro de Jubilaeo ſecundum Hebr., & Chriſt. *Jubilaei* apud utroſque in peccatorum remiſſione fundamentum recte ponens, vellicaretur, dictiſque laceſſeretur. Sed hiſce Proteſtantium commentis, atque calumniis jamdiu a Theologis Noſtratibus, operoſeque obviam itum eſt, oſque duriſſimum Sychophantis illis obſtructum. Adhaec Jacobus Maria Ayrolus de LXX. Hebdom. cap. 34. obſervat Hebdomadibus 70. contineri *Jubilaeum*. Nam Hebdomades LXX. Cyclos *Jubilaeos* 10. conficiunt, ſive annos 490, quot ab annno 7. *Artaxerſis*, unde illos ipſe exorditur, ſeu ante Chriſti natalem anno 458. uſque ad annum 33. Aerae Chriſtianae, quo illos finiiſſe putat, interfluxerunt. Sed de LXX. Danielis Hebdomadibus fuſius Art. ſq. Alphonſus DeVignolius denique Chronolog. Hiſt. Sac. T. I. lib. 3. cap. 2. p. 743. ſq., ab Exodo anno 41, *Joſue* anno 1, Periodi Julianae 3109. *Jubileorum* ducto initio, *Jubilaeos* annorum 49, ſuam juxta hypotheſim, 33. uſque ad Chriſti D. natalem computat; ab Aerae Chriſtianae vero Anno 1. *Jubilaeos* 25. numerat uſque ad Chriſti annum 1189, quo anno ingentem ſub *Richardo* I. Rege Judaeorum in Anglia caedem editam fuiſſe, eoque ipſo anno *Jubilaeum* celebrari a Judaeis cepiſſe refert Matthaeus Pariſius in Annal. p. 108.

XI. Praeclaram *Jubilaei* porro ſpeciem Indis Americanis, atque Mexicanis quammaxime adhibitam, adpoſite advertit Illuſt. Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. cap. 7. §. 6. edit. Ven. T. I. p. 110. Scilicet illi ſicuti Menſibus utuntur dierum 20. dumtaxat, ſic Hebdomades ex diebus 13. efficiunt, ita tamen, ut ſeptimus quiſque dies tanquam feſtus obſervetur.

tur. Qua in obſervatione religioſa ipſis praeceſſiſſe Judaeos non modo, ſed imo Perſas, ſed Graecos etiam, ſed item Romanos, ex Poſtelli, Bolducii, Gothofredi, Heraldi, ac Thalmudiſtarum opinatione Volum. I. cap. 1. Artic. III. de Hebdom. §.vII. p. 291. ſq. retulimus; quem tamen Aegyptiis pro inauſpicato habitum fuiſſe adnotavimus. Pro Cyclo vero, ſive Periodo *Hebdomades* annorum uſurpare Americani ſolent, quamlibet ex annis 13. contextam, quarum ideo quatuor ipſis *Seculum* efficitur annis 52. conſtans; quod veluti *Jubilaeum* quoddam religioſe ipſis quammaxime ſacrificiis, invocationibus, conviviis, ſaltationibus, canticis, aliiſque laetitiae ſignis celebrari conſuevit. Sub Rotae vero cujuſdam egregia ſpecie, diverſis efformatae coloribus, figuriſque hinc illinc variemode diſtinctae, ita *Seculum* in Annis 52. conſtitutum exhiberi ſolet, ut in Rotae Cruce quatuor annorum *Hebdomades* diverſis quatuor coloribus viridi, caeruleo, rubro, & croceo haud inconcinne deſignatae, circa Rotam vero *Hebdomades* ſingulae annis 13. compoſitae, diverſiſque figuris diſtinctae conſpiciantur: quibus veluti Periodis quibuſdam, ſive Cyclis pro dinumerandis annis pulcre utuntur. Quoniam vero ad Seculorum exitum Mundi finem inſtare arcte perſuaſum habent, ita proinde *Seculi* cujuſque interitum clamoribus inconditis, fletibus, aliiſque plenis moeſtitiae officiis peragere ſolent, uſque dum auſpicata inſequens illuceſcat dies, ſecundas aves ſpondeat, fauſtaque Sydera: quo de argumento plura dedere me memini Volum. II. Art. v. de de Menſ., & Annis Americanorum, & Mexicanorum &c. §.x. ſq. p.525. ſqq. Conferre etiam juvabit lectu jucundiſſimum Lafitaeum *Moeurs des Sauvages* &c. T.II. p.228. ſqq. Periodo *Mexicanae* huicce propius abſformis Periodus fuit Annorum 59. tam a *Philolao* Pythagorico, referentibus Cenſorino, & Plutarcho de Placit. Philoſ., quam ab *Oenopide* Chio, Plutarcho ibid., Cenſorino, Aeliano Var. Hiſtor. lib. 10. cap.7, atque Stobaeo in Collectaneis Phyſicis cap. de temp. teſtibus, efformata, diverſa tamen ab utroque Anni ſive *Lunaris*, ſive *Solaris* inita ratione. *Philolao* namque *Lunaris* Menſis dierum $29\frac{1}{2}$, ideoque *Lunaris* Annus dierum 354. praeciſe factus eſt; at-

atque ita Menſes 2. *Lunares* dierum 59. praeciſe conflati ſunt, indeque totidem Annorum 59. effecta Periodus, hoc eſt dierum 21505, horarum 12, quae *Syzygias* 729. efficiunt, ex quibus *Syzygiae* 21. intercalandae erant: atque ita *Solaris* Annus *Philolao* dierum $364\frac{1}{2}$ compoſitus fuit, qui per 59. diviſi dies $21505\frac{1}{2}$ pariter dant. Aſt enim *Oenopides* Annum *Solarem* dierum $365\frac{22}{59}$ definivit, ideoque in Periodo annorum 59. dies 21535. inerant, queis additi dies 22. efficiebant dies 21557: qui annos Arabicos 60, *Syzygias* 10: quumque ea in Perido *Syzygiae* 730. ineſſent, *Syzygiae* 22. ideo erant intercalandae. Itaque *Philolai* Annus *Solaris* dierum $364\frac{1}{2}$ deficiebat a *Juliano* horis 18.; contra *Solaris* Annus *Oenopidis* dierum 365, horarum $8\frac{56}{59}$, *Julianum* ſuperabat horis $2\frac{56}{59}$, ideoque *Oenopidis* Periodi 59. ſupra *Julianos* Annos 59. exceſſus dierum 7, horarum 6. erat. Videndus Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 166. ſqq.

XII. Retro nunc ad Cyclum XIX. flectendo veſtigia, Cycli ejuſmodi apud Judaeos uſum ſub *Herode* quammaxime obtinuiſſe Volum. I. Art. I. de Menſ., & Annis Hebraeorum &c. §. XX. ſqq. p. 367. ſqq. obſervavimus. Ab eo jam vero anno, quo ab *Herode* capta Hieroſolyma eſt, Periodi Julianae anno 4677, Chriſti ante natalem 37, Aerae Judaicae 3724, veteri abolita, qua Mundi a Creatione ad Aerae Chriſtianae annum I. computare annos 3760. ſolemne ipſis erat, Aera, nova, in *Herodis* gratiam, inſtituta a Judaeis Aera eſt, capto ab ipſo Aerae Judaicae veteris anno 3724. exordio, qua de Seder Olam Raba cap. 30. p. 91. Ita nempe, velut obſervatum eſt a Davide Gantzio in Tzemach David an. 3761. p. 178, ac poſt ipſum Jacobo Cappello in Chron. An. M. 239. p. 18, ac De Vignolio Chron. Hiſt. Sac. T. I. lib. 3. cap. 2. p. 741. ſq., ex *Lunae* Cyclo XIX. per *Solis* XXVIII. ducto Periodus, (*Dionyſiana*), annorum 532. effecta eſt, qua ex Periodo multiplicata per 7. producta eſt *Judaica* Periodus annorum 3724, quae perinde computandis temporibus pro Epocha Judaeis adſumpta eſt. Tartaris quoque, atque Sinenſibus *Metonis* Cyclum annorum XIX. uſu jampridem, ideſt ab anno 1900. veniſſe oſtendere nititur P. Gaubilius, Sinenſium Di-

ſci-

ſciplinarum, ſiquis unquam, ad miraculum calentiſſimus, Obſervat. Aſtron., Mathemat., Chronol. &c. Sinenſ. T.I. p.184. Quo ex Cyclo vicibus 81. repetito Periodus *Tong*, ideſt *Prima* annorum 1539. conflata eſt; ex re petito vero vicibus 243, ſive ex triplici *Tong*, compoſita eſt Periodus altera *Iven*, ideſt *Origo* dicta, annorum 4617: quibus evolutis, *Solem*, & *Lunam* ad idem omnino regredi punctum Sinenſibus perſuaſum eſt. Ex Periodo *Iven* rurſus, ſive ex annis 4617. vicibus 31. in ſe ductis concinnata eſt Periodus tertia annorum 143127: quibus expletis *Planetae* omnes ad priorem, quo receſſerant, locum redire putantur: atque Periodis hiſce ſane uſos Sinenſes uſque ad annum 1280. Aerae Chriſtianae idem Vir doctiſſ. obſervat T.II. p.13. ſqq. Ab Anno vero ante Chriſti natalem 85. *Metonici* Cycli loco adhiberi Sinenſibus occepiſſe *Calippicum* ex annis 76. contextum, ideſt ex *Metonico* quater repetito conflatum, *Poü* ipſis denominatum. Ex *Calippico* iterum vigeſies in ſe producto effecta eſt deinde Periodus altera, *Ki* nuncupata, annorum 1520; quibus elapſis, *Solem*, & *Lunam* ad eumdem regredi cardinem, atque Cyclum dierum 60. ad eamdem regredi diem credunt. Ex Periodo denique *Ki* ter in ſe ducta conflata eſt Periodus alia *Iven* etiam dicta annorum 4560: quibus expletis, *Solem*, & *Lunam* ad idem *Zodiaci* punctum, ad eamdem diem Cyclum dierum 60, & ad eumdem annum Cyclum annorum 60. reſtitui pro certo habent, proque conſtanti Sinenſes T.II. p. 20. ſqq. Rurſus circa Aerae Chriſtianae annum 530. ex Cyclo *Metonico* annorum 19. duplex Periodus altera Sinenſibus effiĉta legitur apud laudatum P.Gaubilium T.II. p.56.ſqq., juncto Doctiſſ. P. Soucieto. Eo ex Cyclo nempe vicibus 26. reproducto, anniſque 11. inſuper adjectis, Periodus conflata eſt annorum 505; ex eodemque Cyclo vicibus 29. repetito, anniſque 11. itidem adgregatis, Periodus altera annorum 562. compoſita eſt, uſuque putandis temporibus utraque frequentata, veris tamen temporum rationibus parum accommoda. Hiſce praeterea quatuor Periodos alias *Noviluniis*, ac *Pleniluniis* deſignandis, ſupputandiſque Aerae Chriſtianae Seculis VI, & VII. ſuperaditas, impares attamen omnes, reique pro-

propoſitae minime congruentes, refert idem P. Gaubilius T.II. p.63. ſqq. Quarum prima annorum 619, ſecunda annorum 119, tertia annorum 676, & quarta annorum 410. erat. Verumtamen Cyclis hiſce parum hodie obſervatis, aut potius oblivioni traditis, duo alii potiſſimum adhiberi ſolent, qui & apud Sinenſes antiquiſſimi habentur, *Simplices* alii, aliique *Compoſiti*. Primus Cyclus ſimplex, *Sun* dictus, Characteribus 10, *Kan* vocatis, conſtat: qui decem *Kan* coloribus totidem 10. diverſis exprimi haud injucunde ſolent. Hujuſce Cycli dimidio multiplicato, hoc eſt quinque per 12. productis, efficitur Cyclus compoſitus dierum 60, dictus *Sun-ſu*. Cyclus ſimplex ſecundus e Characteribus 12, *Tchi* denominatis, ſive *Animalium* 12. nominibus inſignitus, componi ſolet: qui deſignandis tum Horis 12. diei, tum ſignis 12. *Zodiaci*, tum Diebus 12. Menſis, tum *Lunis* 12, tum Annis 12. inſervit. Sicut autem nominibus 12. *Animalium* anni 12, ita Menſes 12. *Lunares* nominibus 12. Inſtrumentorum *Muſicorum* indicari ſolent. Ex hocce vero Cyclo ſimplici annorum 12. quinquies repetito conflatur Cyclus alter compoſitus annorum 60, *Ki-ſa* nuncupatus. Tertius denique Cyclus ſimplex Characteribus 28. deſcribi ſolet, quibus totidem *Conſtellationes* deſignantur, quarum cuilibet dies totidem 28. adſcribi conſueſcunt; quilibet vero dies uno ex ſingulis illis Characteribus indicari; ſinguli quoque ſeptem *Planetae* quatuor ex illis Characteribus inſigniri, qui noſtri plane Cycli *Solaris* numeris approbe reſpondent. Qua de re plura dedimus ſuperiori Volum. II de Menſ., & Annis Sinenſium &c. Art.III. §. xv. ſqq. p. 434. ſqq. Apud Thibetanos vero ex eodem Cyclo 12, ac deinde ex Cyclo 12. conjungato cum *Elementis* 5. ter repetitis, ac rurſus ex eodem Cyclo 12. cum *Elementis* 10, ideſt Maſculinis 5, totidemque Foemininis, conjuncto, additoque demum quarta vice Cyclo 12, Periodus annorum 252. effecta eſt, qua de recolenda Volum.II. de Menſ., & Annis Indorum &c. abunde dicta §. xxii. p. 395. ſq.

XIII. Jam vero ex Cyclo Annorum 60. compoſito Indis, Tartaris, Indoſtanis, Thibetanis, Siamenſibus, Japoniis, Sinenſibus &c. frequentato, *Ki-ſa* denominato, ac ter

multiplicato Cyclus alter conficitur annorum 180, ac ita numerari ſolet, ac Sinenſibus nuncupari, ut primus *Shanec-Ven*, ſecundus *Junec-Ven*, tertius *Cha-Ven* adpellentur; aliis *Xam-Ven*, *Chùm-Ven*, & *Hìa-Ven*. Itaque Cycli Sinenſis annorum 60. annus 1. adfigi ſolet anno 2697, juxta Fourmontium, ac DeGuigneſium Hiſt. Gen. Hun. T.I. in Tab. Epocharum Orient., ante Chriſtianam Aeram, ſive anno 2695, juxta Soucietum, ſive anno Mundi 1307, aut 1305, Uſſeriano inhaerendo computo, quo Aera Chriſtiana anno M. 4004. conſignatur, ideoque ante Diluvium, quod Anno M. 1656. contigit, anno 349, aut 347. incepiſſe ſupponitur. Ideo Annus 1. Cycli 46. in annum 4. Aerae Chriſtianae incidere debuit juxta Fourmontium, ac DeGuigneſium; ſive juxta Soucietum, Chriſti annum 1. cum anno 55. Cycli 45. concurrere oportuit, adeo ut decurrens annus Chriſti D. 1767. ſit Cycli 74. Sinenſis annus 30. juxta Fourmontium, & De Guigneſium, aut 24. juxta Soucietum. Inde fit igitur, ut annus 1. Aerae Chriſtianae, anno M. 4004. ab Uſſerio adfixus, qui, ut modo dicebamus, fuit annus 55. Cycli 45. ſimplicis annorum 60, opinione Soucieti, aut fuit annus 57. ejuſdem Cycli ſimplicis 45, Fourmontii, ac De Guigneſii ſententia, fuerit annus 177, juxta Fourmontium, ac De Guigneſium, aut 175. juxta Soucietum, Cycli tertii, ſive *Cha-Ven*, ſive *Hìa-Ven*, compoſiti videlicet ex annis 180; praeſens vero annus Chriſti D. 1767, Mundi 5771, Cycli tertii *Cha-Ven*, ſeu *Hia-Ven* ſit annus 150. juxta Fourmontium, ac DeGuigneſium, aut 148. juxta Soucietum; juxta Gravium vero, qui Aeram Chriſtianam anno Mundi 4000. adſtringit, ſit annus 144, Cycli vero ſimplicis 74, ex annis 60. compoſiti, juxta Gravium ſit annus 24. Videndi Fourmontius Reflex. Crit. T. II. p. 441. ſqq., De Guigneſius loco cit. p. XLIX. ſqq., Gaubilius, & Soucietus Obſervat. Aſtron. &c. T.I. p. 28. ſq., & Gravius in Cyclis Cathajorum, ſive Sinenſium expanſis, atque ex Ulug Beigho de Var. Epochis Vet. deſcriptis apud Du Cangium Gloſſ. T.I. edit. Ven. p. 447. ſqq. Periodus denique, ſeu Epocha annorum decem mille ex tribus hiſce Cyclis annorum 180. ſexies ſupra quinquagies, vicibus ideſt 56, repetitis conflata eſt; atque ita quidem, ut anni ſinguli

guli *Venni* ejuſdem Periodi totidem annos decem mille colligant, initio ducto a *Solis* ingreſſu in gradum 15. *Aquarii*. Juxta Ulug Beighum itaque apud Job. Gravium, ac Du Cangium loc. indic., Periodi *Vennae* annis 10000. conſtantis Annus *Vennus* 8864. in annum 341. ante Chriſtianam Aeram incidit, adeoque Aerae Chriſtianae annus 1. concurrit cum Periodi *Vennae* 8864. anno 8417; Periodi *Vennae* 8865, completis annis 10000, annus 1. incidit in Chriſti annum 1584, adeo ut praeſens annus Aerae Chriſtianae 1767. computetur annus 184. Periodi *Vennae* 8865; indeque totidem annis 10000. evolutis, Periodi *Vennae* 8866. annus 1. incidere debeat in annum 11585. Conferenda, qui plura deſideret, quae haece de Periodo memoriae, praeter Gravium ex Ulug Beigho, prodidit ex Abdalla Perſa Scriptore in Monum. Sinic. p. 10. Mullerus in *Baſilico* Sinenſi, quaeque fuſius diſputata ſunt nobis Volum.II. de Menſ., & An. Sinenſium Art.III. §.XL. ſqq. p.473. ſqq., quae refingere plane non placet, nec praeſtat.

XIV. Tres olim Cyclos, *Eclipſibus* quammaxime deſignandis adaptatos, Babyloniis, Aſſyriis, & Chaldaeis, Chaldaico deſcriptos nomine *Saros*, *Neros*, & *Soſſos*, uſu priſtino veniſſe plurimis ſuper. Volum.I. Art.II. de Menſ., & Ann. Babyl., Aſsyr., Chald. &c. §.XII. ſqq. p.428. ſqq. oſtendimus. Qua in re Doctos varias in opiniones diſciſſos abjiſſe deprehendimus de Annorum ſumma tribus Periodis illis comprehenſa. Nam Euſebio, & Syncello *Sarus* Periodus eſt annorum 3600, *Nerus* annorum 600, & *Soſſus* annorum 60. Plinio, & Suidae, Caſſino, & Goguetio viciſſim *Soſſus* Periodus eſt quidem annorum 60, & *Nerus* annor.600; ſed *Sarus* Periodus eſt Menſium *Lunarium* dumtaxat. Panodoro, & Aniano, quos pone ſequitur De Vignolius, *Sari*, *Neri*, & *Soſſi* Periodi viſae ſunt, non annorum utique, ſed dierum tantum, adeo ut *Sarus* eſſet Cyclus dierum 3600, *Nerus* dierum 600, & *Soſſus* dierum 60; utque proinde *Sarus* eſſet ſpatium annorum 9. Menſium 7, ac dierum 15; *Nerus* Anni 1, Menſium 7, Hebdomadum 3. fere; ac *Soſſus* denique Menſium 2. Adhaec *Sarus* duplex Scaligero diſtinctus eſt, *Periodicus* unus, *Magnus* alter, quorum prior ille *Periodicus* ex annis 120, ſive Lu-

L 2 ſtris

ſtris 30. conflatus ſit, quo duodecies repetito, ſive duodecim Menſibus *Magnis* multiplicatis, annus fieret *Salchodai* dictus, ideſt *Magnus* annorum 1440. Poſterior vero *Magnus* ex *Saris* Periodicis 30. conflatus annorum 3600. ſummam compleſteretur. Goario vice verſa perſuaſum eſt tres Periodos haſce dierum fuiſſe dumtaxat, ideſt *Sarum* dies 360, ſeu annum, *Nerum* dies 180, ſeu Anni dimidium, *Soſſum* dies 60, ſeu dimidii anni trientem, omnes ſimul dies 600. colligere. Fourmontio è converſo *Nerus* eſt Cyclus dierum 9, *Soſſus* Cyclus horarum 3, *Sarus* Cyclus Menſium 60: quibus evolutis, Annus, & Menſes, & Dies ad idem caput redirent. Frereto *Nerus* Periodus erat dierum 109, hor.6, min.19; *Soſſus* dierum 109, hor.18, min.12; *Sarus* Menſ.223. Jaquelotio denique *Sarus* idem viſus eſt, ac *Sothus*, ideſt Cyclus *Sothiacus*, ſive Canicularis annorum 1460, A egyptiis celeberrimus. Sed enim de hiſce omnibus recolenda, ſi libet, quae abunde, opinor, diſputata jam fuere ſuperiori Volum. II. Art.II. de Menſ., & An. Chaldaeorum &c. §.xii.ſqq. p.428.ſqq. De Periodo denique altera Chaldaeis, Aſſyriis, Babyloniis &c. adhibita, quae ex *Minori* annorum 18. geminata conſtabat annis 36, dictum etiam, pro ut oportebat, ſuperiori Art.I. de Period. §.xxviii. p.52. In hunc ipſum Periodorum referendae cenſum *Dedales*, feſti dies ideſt, qui ſingulis Annis 60. in honorem Statuarum e ligno factarum, quae *Dedales* adpellabantur, cremarique quolibet anno 60. ſolebant in Monte Cytheronio. Eis porro Statuis deſignabantur *Jupiter*, atque *Juno* cum eo reconciliata: ad Feſtum illud vero e Graecia Urbes xiv. confluebant, a quarum unaquaque Statua una lignea Foeminae cujuſpiam nobilis brachiis ad eum Montem deferebatur, omneſque xiv. una cum totidem xiv. Tauris in *Jovis* honorem, totidemque Juvencis in honorem *Junonis* ſolemni cremari ritu ſolebant.

XV. De Periodo *Calippica* annorum 76, qualis ex *Metonica* annorum 19. quater in ſe producta conſurgit, noſtrae quantum operae ferebat pretium, egimus Volum.III. de Menſibus, & Annis ad Solis, ac Lunae rationes ſupputandis Art.IV. de Solis, ac Lunae Cyclis §.xiv. p.97. ſq. Quo plane loci Periodum hancce Graecis quammaxime uſu frequentatam oſtendimus,

dimus,nec non hoc ipſo Proleg.de Periodis Art.II.§.xii.p.79. ſqq.; quemadmodum Hebraeis etiam olim acceptam fuiſse, ex opinione Scaligeri,e qua deinceps,addita *Octaeteride*, Cyclum annorum 84. effectum, de quo S. Epiphanius loquutus eſt, indicavimus Volum.I. Art.I. de Menſ., & An. Hebr.§.xx.p.366. ſqq., & hoc ipſo Proleg.de Periodis Art.I. §.xviii. ſq.p.33.ſq. De Periodo annorum 80. dictum eſt etiam, prout orationis exigebat contextus, hoc eodem Proleg. Artic.II. de Periodis §.iv. p.65.ſq., ubi ex opinione Petiti de Cyclo annorum 40. Graecis uſurpato egimus, quo repetito Periodum hancce annorum 80. confectam fuiſse perſuaſum ille habuit. Adhaec Periodus annorum 82. a *Democrito* Abderita conficta, in qua Intercalares eſsent Menſes 28, traditur Cenſorino. Inde vero Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.167. ſq. arguit in *Democriti* hypotheſi Annum *Lunarem* fuiſse dierum 355, ideoque *Syzygiam* ex diebus 29, minutis diurnis 35, ſive horis 14. conſtitiſse, *Solarem* autem dierum 365. $\frac{1}{4}$: qui utpote dies per 82. multiplicati efficiunt dies 29950, ac horas 12; *Syzygiae* vero Τριακοντήμεροι 28, ſive dies 840, de 29950. deducti relinquunt 29110, qui per 82. diviſi dies 355. praeciſe dant. Obſervat tamen Petavius Doct. temp. lib.2. cap. 70. nihil explicite de *Solaris* Anni magnitudine a *Democrito* definita tradi a Cenſorino, ideoque purum eſse, putumque Scaligeri commentum, quod *Democrito* adpingit. Poſt haſce jam vero Periodos longo obtinuit, in rebus praeſertim Eccleſiaſticis, uſu Periodus ex annis 84. conſuta, cujus ope Latina Eccleſia ſub ipſa ferme Nicaenae Synodi aetate Paſchale *Novilunium* indicare olim, diuque conſuevit. Ejus meminit omnium antiquior, ac primus Anatolius Laodicenſis in Prologo ſui Cycli, (niſi quis magis aeſtimet ſimilis Judaici Cycli 84, de quo etiam S. Epiphanium loquentem audivimus, mentionem eo loci ab Anatolio ingeri); quo factum videtur, ut ab Alexandrina Cyclum huncce mutuata Latina videatur Eccleſia. Ejuſmodi vero Cycli rationem unus nobis Anonymus Faſtorum Conſularium Scriptor; quos e Codice Mſ. Bibl. Caeſareae deſcriptos exhibet Noriſius Oper. T.II. edit. Veron. ad calcem de Epochis Syromaced. diſſert.1. p.595. ſqq., declaratam reliquit: inci-

Incipit is vero, Civili uſu, a *Novilunio* inito Kalendis Januariis, ita ut anno 1. Cycli completo die 20. Decembris, ſuperſint dies 11, quibus annus *Lunaris* a *Solari* ſuperatur; qui dies vulgo *Epactae* vocari conſuevere. Diebus 11. hiſce vero, ſeu *Epactis* addita *Regulari* Kalendarum Januarii prodit anno 2. Cycli eiſdem Kalendis Januariis *Lunam* 12; qui annus perinde die 9. Decembris finiens pro *Epactis* relinquit dies 22, qui cum *Regulari* diei 1. Januarii anno 3. Cycli complent *Lunam* 23; qui annus 3. *Embolimaeus* dierum 388. evadit. Hunc porro Cyclum in Cyclos ſex alios minores annorum 14, ſive in *Teſſaradecaeterides* 6. ita diſtribuit Noriſius, ut in quolibet minori Cyclo inſint anni *Communes* 9, *Embolimaei* 5, & in fine cujuslibet Cycli *Epactae* 5. ſupercreſcant; Cyclus vero 6, ſive ultimus *Embolimaeos* 6. habeat cum diebus 5. *Epactalibus*. Inſunt itaque in Cyclo 6. dies 5135; in toto Cyclo 84. dies 30660, quos fuſe Vir doctiſs. cit. loco exponit. Uſu Eccleſiaſtico vero idem Cyclus 84. uſurpatus initium capiebat a *Novilunio* Paſchali, ac Cycli annus 1. *Embolimaeus* erat a die 31. Martii injens; quo die Paſchale *Novilunium* deſignabatur, uti ſcite adnotavit Bucherius, qui Cycli iſtiuſmodi 84. diagramma, ab Aerae Chriſtianae anno 382, juxta Proſperi in Chronico obſervationem, Cycli hujuſce caput exorſus, deſcripſit, eoque anno 382. Cyclo *Lunae* 9, ſeu *Aureo Numero* 3. Paſcha die 31. Martii deſignatum fuiſſe animadvertens.

XVI. In eo tamen erraſſe cum Anonymum in Faſt. Conſul., tum Proſperum in Chron., (quod iterum e Codice Mſ. Vaticano erutum, & Canone Paſchali auctum Baronii Annalium T. I. in Apparatu novae edit. Luc. p. 229. inſeruit Dominicus Georgius, Notiſque illuſtratum dedit,) admonet Noriſius, quod utrique perſuaſum fuerit abſoluta Periodo hacce an. 84, *Novilunia*, ideoque Paſchales in orbem redire dies: quod oppido falſum; ſiquidem in ſingulis Periodi 84. repetitionibus *Novilunia* die 1, horis 7. ferme tardius contingant: qua ipſa perinde de re Periodus haec ab Eccleſia, veluti *Paſchati* rite indicando prorſus impar, demum dimiſſa fuit. Non ante tamen SS. Leonis M., & Hilari aetatem, ſub qua *Victorii* Aquitani Cyclus loco inductus eſt, quo de Cyclo infra.

Quam-

Quamvis & diu poſt quin etiam, quam Romana ubique ab Eccleſia *Victorianus* adhiberi Cyclus cepiſſet, apud Britones tamen, ac Scotos adhuc Cycli 84. abuſus ita manſit, & obtinuit, ut illos ad ſuos imo tuendos detorſerint errores, Paſcha *Lunae* 14. celebrandi, V. Beda teſte Hiſt. Angl. lib.2. cap.2. Quin & apud Gallos diu poſt item Cyclum hunc an.84. obtinuiſſe inde ſuaderi poſſe mihi videtur, quod Anonymus Muratorianus Seculi VIII. Scriptor, genere, ut alibi ex ipſius Chronologia Regum Francorum lib. de Computo §.78. p.149. attexta arguebam, Anecd. T.III. p.204. ſqq. eumdem Cyclum an.84. exponere ſatagit, eumdemque a Kalendis Januariis, & ab anno Aerae Chriſtianae 298. uſque ad annum 382, & iterum ab anno 383. uſque ad annum 467. inceptum perſequitur. Sed & hanc ipſam juxta Periodum 84. Paſchalis Laterculus ab anno Chriſti D. 354. uſque ad annum 437. incipiens, ac deſinens a Gennadio editus eſt: quem e Codice Mſ. Vaticano in lucem protulit, egregiiſque illuſtratum notis Annal.Eccleſ.T.I. edit. Luc. p.237. ſqq. inſeruit, ex illoque Pagii in deſigendis Paſchalibus diebus errores paſſim detegit, & emendat Dominicus Georgius. Quamobrem is ego plane non ſum, qui omni probandam velim ex parte Jacobi Betazzi, Viri alioquin harum rerum peritiſſimi, opinionem, qua Oper. Paſch. n.236. Epitome p.109. contra Noriſium in Diſſert. ad Faſtos Conſul., & de Paſchali Latin. Cyclo contendit Cyclum annorum 84, non ſecus, ac S.*Hippolyti* an.16, Eccleſiae Rom. uſui nunquam veniſſe, ſed Novatianis, & Quartadecimanis. Eam cum Alexandrina in celebratione Paſchatis ſemper conveniſſe, nec ideo Cyclo Victorino an.532.adquieviſſe; niſi poſtquam ad Cycli Alexandrini formam exactus fuit. De diſſidio porro, quod jam pridem, quammaxime vero ſub SS. Leonis, & Hilari Pontificatu, de die Paſchali Latinam inter, & Alexandrinam viguit Eccleſiam, videndus, qui diffuſe agit loco indicato Noriſius, diſſidiique capita recenſet p.682. ſqq., ubi & contra Paulum Foroſemp. in Paulina, Petrum Pitatum in Canon. Paſchal. cap.15, Joh. Stoeffler͏um in Kalend. prop.34. ſq., Petavium Doct. temp. lib 2. cap.68, & lib.6. cap.5, alioſque cum Veteres,tum Nuperos Chronologos Cyclo decemnovennali pro deſi-

deſignanda Paſchali die Latinam Eccleſiam ante Seculum VI. nunquam uſam oſtendere multis poſt Bucherium pergit, ac demum Periodi 84. defectum emendare, ſupplereque pro virili ſatagit.

XVII. Verum & ipſe Noriſius in eo corrigendum ſe praebuit Doctiſs. Fratr. Balleriniis in Not. ad S. Cyrilli fragmentum Epiſtolae, (quam cum altera ejuſdem ad Africanos Epiſcopos confudit Bucherius in Canon. Paſchal. Victorii p.72, Pſeudepigrapham immerito cenſuit Petavius Doct. temp. T.II. in fine, ſcriptam ad quoſdam Monachos arbitratus eſt Pagius an.419.n.28, ſed ad S.Leonem M. exaratam verius, V. Bedae teſtimonio de Temp. Rat. cap.41, Epiſt. ad Wichredam, & de Argumentis Lunae Oper. T.I. edit. Colon. p.151, & T.II. p.230. fretus contendit Johannes Vander Haagen in Obſervat. ad Veter. Patrum, & Pontif. Epiſtolas Paſchales p.97, & cum ipſo pugnant Ballerinii,) Oper. S. Leonis T. I. p.601. ſqq., quod in diſſert.2. de Paſchali Latin. Cyclo 84. p.700, & in Diagram. ejuſdem Cycli p.672. ex falſa perſuaſione, qua ductus putavit ante Chriſti annum 444. nequaquam inductam fuiſſe Cycli 84. emendationem, ad annum 63, qui cum anno Chriſti 444, quo anno maxime Latinos inter, & Alexandrinos de Paſchate diſſidium fuit, concurrit, Cycli 84. in Faſtis Anonymi notatum *Luna* 28. opinatus fuerit *Novilunium* Paſchale eo anno incidiſſe in diem 5. Martii. Siquidem uti ſcite obſervavit, oſtenditque Vander Haagen Obſervat. in Chron. Proſperi p.217. ſqq., & poſt ipſum loc. cit. Ballerinii admonent, ante S. Leonis M. aetatem in Latino Cyclo 84. ſaltus quidem *Lunae* duodecimo quoque anno admitti ſolebat, adeo ut ab initio Cycli uſque ad annum 63. quinque *Lunae* ſaltus adferret; ſed ſub S. Leonis M. aevo Cyclum 84. a Proſpero ita fuiſſe emendatum, ut *Lunae* ſaltus quartodecimo quoque anno admitteretur, ideoque quatuor tantum *Lunae* ſaltus ab initio Cycli uſque ad annum 63. inciderint. Inde factum igitur, ut ſiquidem quilibet ſaltus *Lunae*, ejuſdem *Lunae* aetati diem unam adjungat, ideo in Cyclis, quibus antea quinque ſaltus adſtruebantur, dies una aetati *Lunae* accedebat uſque ad annum 63. ſupra eum Cyclum, qui ex emendatione Proſperi quatuor tantum ſaltus admittebat,

ideo-

ideoque in Cyclis illis, quae in Kalendis Januariis anni 63. erat *Lunae* aetas 28, in Cyclo a Proſpero emendato ſuit aetas *Lunae* 27, atque ideo *Novilunium* Paſchale non in diem 5. Martii, ſed in diem 4. incidit. Conſerendi, ſi libet, iidem Doctiſſ. Fratres in Not. 14. ad S. Leonis M. Epiſt. 121. ad Marcianum Aug. Oper. T.I. p. 1229. ſq., ubi plures a S. Pontifice memorati Paſchales Cyclos 84. obſervant, quos non alios ideo putant, quam veterem Cyclum 84, in quo *Lunae* ſaltus quolibet anno 12. admittebatur, & Cyclum 84. a Proſpero emendatum, in quo ſingulis dumtaxat annis 14. *Lunae* ſaltus adſtruebatur.

XVIII. Hoc ipſo Alexandrinos inter, & Latinos obtinente diſſidio, (quod praeſertim circa *Paſcha* anni cum 444, tum 455. obtinuit, indeque profectum fuerat, quod *Lunae* ſaltus Latini crebriores, Alexandrini rariores admitterent: Alexandrini namque ex Cyclo 19. *Lunae* ſaltus, quibus aetati *Lunae* una dies per ſaltum adjungitur, anno quoque 19. adſtruebant; Latini vero ex Cyclo 84. veteri ſingulis annis 12. ſaltus *Lunae* admittebant, donec ex Cyclo 84. a Proſpero emendato eos *Lunae* ſaltus quolibet anno 14. dumtaxat admittendos duxerunt. Inde fiebat igitur, ut apud Latinos biduo, ut anno 444, aut etiam triduo, velut anno 455. citius, quam apud Alexandrinos, *Lunae* ſaltus creſceret, adeo ut, quae Alexandrinis *Luna* erat 14. non *Paſchalis*, Latinis *Paſchalis* eſſet, ac *Luna* 17: quo de diſſidio praeter Noriſium loc.cit., adeundi Ballerinii Fratres in Admonit. praevia ad Epiſt. 88. S. Leonis M. ad Paſchaſinum Epiſcop. Lylibaetanum Oper. T.I. p. 1055. ſqq.), diſſidio hoc, inquam, adhuc obtinente, ut a Latinis decantato adeo Cyclo an. 84. meliorem, ut ipſe aeſtimabat, Cyclum opponeret, Periodum annorum 95, ex *Enneadecaeteridibus* quinque conflatam, excogitavit, obtrudſitque *S. Cyrillus* Alex. Chriſti anno 437, qua nempe *Feriarum*, atque *Noviluniorum* Ἀποκατάστασιν *Apocataſtaſim* fieri arbitrabatur. Sed enim Cycli iſtiuſmodi 95. inſignem fuiſſe defectum, quod in quinta ſui revolutione nequaquam Ferias eaſdem in orbem reduceret, ideoque ad diverſas Paſcha dies transferret, adnotavit primus Dionyſius Exiguus in Epiſt. ad

Petronium Epiſcopum, atque demonſtrarunt poſtea Scaliger, & Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 67. ſqq. In eo tamen gravi ſe dignum reprehenſione Noriſio de Cyclo Paſchali Ravennate diſſert. 3. cap. 1. Oper. T. II. p. 747. ſq. exhibuit Scaliger, quod de Emend. temp. lib. 2. p. 157. ſqq. tum Cyclum 95. inventum a *S. Cyrillo*, poſtea a *Theophilo* caſtigatum fuiſſe ſcripſerit; tum Cyclum an. 100. ab eodem *Theophilo* elaboratum adfirmarit, (quo ipſi in errore adhaeſit poſtea Queſnellus Diſſert. 1. de Vita, & reb. geſt. S. Leonis M. Oper. S. Leonis T. II. edit. Baller. p. 557.), tum demum vitio *S. Leoni M.* vertere non fuerit veritus, quod in Epiſt. ad *Marcianum* Aug. Cyclum 95. vocarit Cyclum an. 100. Namque *Theophilus* ante *S. Cyrilli* nepotis aetatem floruit; neque Cycli 100. auctor fuit, ſed laterculum dumtaxat annorum 100, quo *Paſchales* dies ab anno Chriſti D. 380. uſque ad 479. diſpoſiti erant, deſignatique, ipſe deſcripſit; veluti fidem indubiam faciunt tum ipſius litterae ad *Theodoſium* Imp. apud V. Bedam de Temp. Rat. cap. 57, Paulum Foroſemp. Paulinae lib. 5, Stoefflerum in Kalend. prop. 34, Bucherium in Cyclum Victor., & Petavium Doct. temp. T. II. in Adpend. edit. Ven. 1757. p. 501. ſq., tum S. Cyrillus in Prologo Paſchali, S. Proterius in epiſt. ad S. Leonem M., Victorius Aquit. SS. Cyrillo, & Proterio ſynchronus in Prologo ſui Canon. Paſchalis, & Dionyſius Exiguus in Epiſt. ad Petronium Epiſc., qui perinde Laterculus *S. Leoni M.* laudatus eſt, non etiam Cyclus annorum 100. A *Theophilo* Alex. tamen practer Laterculum Paſchale an. 100, *Paſchalem* revera Cyclum fuiſſe elucubratum annorum, non utique 100, uti Scaligero viſum, neque 437, veluti Queſnello perſuaſum fuit in Not. ad Epiſt. 94. S. Leonis, ſed annorum 418, qui ab anno Chriſti 475. incipiebat, poſt quinque nempe Cyclos decemnovennales in Laterculo ab eodem *Theophilo* digeſtos, annoque 96. ejuſdem Laterculi abſolutos, ex S. Cyrillo, cui Periodus haec in Prologo Paſch. memorata legitur, optime advertit Johannes Vander Haagen in Diſſert. de Theophili Cyclo Paſchali an. 418. §. 8, cui adhaerere non dubitarunt nobile Balleriniorum Fratrum par in Not. 8. ad laudatam S. Leonis M. Epiſtolam ipſis 121. ad Marcianum Imp. Oper. T. I.

Digitized by Google

T. I. p. 1229. ſq. Atque Cyclum hunc an. 418. a *Theophilo* ab eodem Chriſti anno 380, quo *Paſcale* ipſius Laterculum inceperat, incepiſſe pridem opinatus Vander Haagen in Obſervat. ad Prologum Paſch. S. Cyrilli, opinione poſtea mutata de Cyclis Paſchal. p. 61. ſq., Cyclo huic exordium ab anno Chriſti 485. a *Theophilo* factum oſtendit.

XIX. Eumdem *S. Cyrilli* Alex. Cyclum annorum 95. perinde digeſſit, ſive priori *Cyrilliano* ſuppoſuit, ab anno Chriſti D. 532, quo prior ille *S. Cyrilli* finierat, illum auſpicatus Dionyſius Abbas cognomento Exiguus, ipſemet teſte in Epiſt. ad Petronium Epiſcop., alteraque ad Bonifacium, & Bonum S. R. Eccleſiae Clericos apud Petavium in Append. Doct. Temp. T. II. edit. Ven. 1757. p. 498. ſqq., & Bucherium in Comment. ad Canonem Paſch. Victorii p. 485: quas inde decerptas, & cum Vaticano Codice Reginae Sueciae n. 586. collatas in Annales Eccleſ. T. I. edit. Lucen. p. 247. ſqq. tranſtulit Domin. Georgius: quo ab anno 532. retrocedendo, octiduo poſt Chriſti D. vulgarem Natalem primus *Cyrilliani* Cycli 95. annus deſignandus, ipſo Georgio judice, deprehenditur, non vero biennio ante vulgarem Chriſti Aeram, anno Juliano 44, Cyclo *Lunae* 19, *Solis* 9, veluti viſum Petavio Doct. temp. lib. 12. cap. 2. Sed & ante Georgium Pagius ad an. 527. n. 7. ſqq. Petavii eo loci primum *Dionyſiani Pinacis*, ſive Laterculi annorum 532. annum biennio ante Chriſtianam Aeram incepiſſe, ab anno ideſt Juliano 44, Cyclo *Lunae* 19, *Solis* 9, ideoque Dominicam Incarnationem juxta Dionyſium conveniſſe in annum Julianum 45, Cycli *Lunae* 1, *Solis* 9. opinantis errorem notavit: atque a Dionyſio Aeram vulgarem ab anno Juliano 46. initam, *Pinacis* vero 532. annum 1. ab anno Juliano 45, Cyclo Solis 9, Lunae 1. inceptum ex V. Beda, veteribuſque Computiſtis oſtendit; indeque Papebrochium etiam refellit in Paralip. ad Conatum Chron. perperam arbitratum a Dionyſio Paſchalem Canonem ab anno 533. fuiſſe inchoatum. Siquidem enim *S. Cyrilli* annorum 95. Cyclus anno Chriſti 531. abſolutus fuiſſet, huic Dionyſius ſuum annorum 532. ſubſtituens, ab hoc ipſo anno eumdem auſpicatus eſt. Ex hacce porro, ipſaque Epocha an. 532, a qua Cycli 95.

Cyrilliani laterculum elucubraſſe ſe perhibet Dionyſius Exiguus, occaſionem turpiter errandi plerique, ut advertit Petavius Doct. temp. lib. 12. cap. 3, inter quos Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 159. ſqq., Pagius in diſſert. de Periodo Graeco-Rom. n. 18, aliique deſumpſerunt, atque putandi a Dionyſio Exiguo Cyclum annorum 532. revera fuiſſe compoſitum. Sed eos ad unum omnes invictis refellit argumentis Emin. Noriſius cit. diſſert. 3. cap. 1. p. 750. ſqq., oſtendens Cycli 532. nequaquam Dionyſium auctorem extitiſſe, ſed ab anno Chriſti 532. dumtaxat Cycli 95. *Cyrilliani* explanatorem; Cycli vero 532. promum condum unum fuiſſe, germanumque *Victorium* Aquitanum, quo de Cyclo poſtea Art. ſeq.: qua perinde in ſententia cum Noriſio ſtetit Vander Haagen de Cyclis Paſch. p. 18. ſqq. In eo igitur errare Cyclus 95. *S. Cyrilli* deprehenſus eſt denique, quod 1.° in una Cycli 95. revolutione *Novilunia* horis 7. min. 17.′ 43.″ 25.‴ citius contingerent, ideoque poſt tres Cycli 95. Periodos eadem *Novilunia* anticiparent horis 21. min. 53.′ 9.″ 15.‴, adeo perinde, ut poſt annos 380, ſive poſt Cyclos 95. quater repetitos, *Noviluniorum* anticipatio eſſet diei 1. hor. 5. min. 10.′ 55.″ 40.‴ Quod 2.° in ejuſdem Cycli 95. una repetitione *Feriae* ad eamdem diem reſtitui nequirent: nam Anni Juliani 95. dies 34698. cum horis 18. continent, qui ſepties duci nequeunt, niſi horae 6. inſuper adjungantur. Junge, quod ob *Biſſextum* ita repetito Cyclo 95. *Feriae* in proximum infra deſcendere coguntur diem. Quod 3.° in una Cycli 95. repetitione *Paſcha* non eadem perinde die, qua in praecedenti Cyclo 95, ſed una ferme prius hebdomada, ſive diebus 6. ante celebrandum indiceretur. Ita enim anno Aerae Chriſtianae 448. *Paſcha* die 11. Aprilis eo Cyclo 95. *Cyrilliano* indicatum eſt, poſt vero annos 95, ideſt Chriſti D. anno 543, pro celebrando *Paſchate* dies 5. Aprilis deſignata fuit. Errores porro hoſce Cycli 95. approbe compertos fuiſſe, nedum Dionyſio Exiguo, uti patet ex praecit. ipſius Epiſtolis ad Petronium, ad Bonifacium, & Bonum, ſed etiam ipſius Cycli auctori *S. Cyrillo*, ex ipſius *Heortaſticis*, ideſt Homiliis Paſchalibus, & ex Prologo ejuſdem Paſchali demonſtrat Noriſius cit. diſſert. 3. cap. 2. p. 760. ſqq.

Non

Non obfuiſſe tamen, quin ipſum emendare ſtuderet *S.Cyrillus*, atque ſic emendato uteretur. Quin & ipſum *Concurrentium Epactarum* ope corrigere ſtuduerit perinde *Dionyſius Exiguus*, & ita corrrectum S. Romanae Eccleſiae ſequendum propoſuerit. Quin & poſt Dionyſium *S. Iſidorus Hiſpal.* ejuſdem Cycli 95. laterculum novum ab anno, quo deſierat confectus a *Dionyſio*, elaboraret, earumdemque *Concurrentium Epactarum* adhibita regula, emendatum Hiſpanae tenendum Eccleſiae offerret: quo de copioſe, eruditeque diſſerit Vander Haagen de Cyclis Paſchal. p.35. ſqq. Pro Anglicana, ſive Gallicana Eccleſia *Dionyſiano* Cyclo 95. continuando operam commodaſſe ſuam legitur *S. Felix* Abbas Gillitanus in Cod. Mſ. Digbaeano, & Remigiano, & apud Muratorium Anecd. T.III. lib. de Computo cap.121. ſq., Cyclo ſuo 95. exordio facto ab eo, quo *Dionyſianus* Cyclus 95. deſiit, anno Chriſti 627, quo de agit Vander Haagen de Cyclis Paſch. p.38 ſqq. Quin etiam *Ravennas Eccleſia* eodem Cyclo 95. *Cyrilliano*, prout a *Dionyſio* fuerat emendatus, diu poſt uteretur, velut ex Marmore Ravennate in Camera Eccleſiae Metropolitanae, *Cartilogio* denominata, extante, in quo Cyclus 95. lineis, ac verſibus circumductis deſcriptus legitur, quem cit. diſſert.3.cap.3. p.768. ſqq. Noriſius exponit, & exemplar exhibet p.742, ac poſt ipſum Vander Haagen de Cyclis Paſch. p. 31.ſqq. Verum ob enormes, quibus laborabat Cyclus ille *S. Cyrilli* 95, errores, eodem repudiato, Periodum annorum 532. omnium primus apud Latinos invexit *Victorius Aquitanus*: qua completa *Feriarum* apocataſtaſim fieri, ac *Novilunia* in periodum regredi, ideoque *Paſchata* rite ſuis peragenda temporibus indicari falſo ſibi perſuaſit: qua de Periodo infra proprio in loco.

XX. De Periodo annorum 100, aut 110, prout ordo poſtulat, nunc loquendo *Seculum*, (abſque diphtongo ſcribendum), olim Romanis fuiſſe Annorum 110. ſpatium docet Joſephus Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.182. ſqq., & lib.4. p.298. ſqq. Antiq. Rom. Graevii T.VIII. edit. Ven. p. 318. ſq. Nempe Periodum *Romanam*, (quam Livio teſte fuiſſe annorum 20, aut 24, diverſas juxta lectiones indicavimus), ex an-

annis 22. contextam ipſi conſtituere adlibuit; atque primam incepiſſe putat ab anno 1. *Luſtri*, (quod *Luſtrum* primo conditum ponit anno 10. *Servii Tullii*; quò etiam Ludorum *Secularium* referendam autumat originem); ſecundum ab anno 3. *Luſtri*, tertiam a quinto, quartam a ſecundo, quintam a quarto. In ſexta Periodo *Luſtrum* redire in orbem exiſtimat; atque hocce tempus Romanis extitiſſe *Seculum*, quod eſſet *Luſtrorum* 22, Periodorum 5, Annorum 110; quibus exactis, anno 111. ineunte Ludi *Seculares* haberentur: quo ſcilicet Annus in *Solem*, *Luſtrum* in Annum, Periodus in *Luſtrum* conveniebat. Specioſum hoc utique fuiſſe, ſed inane prorſus, fabuloſomque Scaligeri excogitatum inde ſuadere valdequam nititur Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 76. ſq., quod Livio teſte lib. 1. cap. 8, alias cap. 19, *Romana* Periodus annis conſtarit 24, ideoque nihil omnino cum *Luſtris* commune habuerit: qua ipſa de re confer, quae fuſius ſuper. Art. I. de Periodis §. XXIV. p. 44. ſq. perſequuti ſumus. Peccare quoque Scaligeri hypotheſim in deſigenda primi *Luſtri* Epocha anno 10. *Servii Tullii* pergit oſtendere Petavius: qua de re quoque dictum, opinor, abunde ſuper. Art. I. de Periodis §. XI. ſqq. p. 22. ſqq. Denique *Seculi* Romani ſpatium vix, ac ne vix quidem definiri recte quire concludit Petavius, laboraſſe ideo fruſtra Scaligerum in incerto, qua de re infra. Erroris perinde Scaligerum arguit Pagius in diſſert. Hypatica cap. 10. n. 2. ſqq. Annal. Eccleſ. T. I. edit. Luc. p. 67. ſqq., quod *Seculum* certo definire auſus fuerit annorum 110. integrorum intervallo, atque ita, ut nonniſi ſequenti anno 111. Ludi *Seculares* in orbem celebrandi redirent: nam non aequum temporis ſpatium in Ludis *Secularibus* peragendis Romanis olim ſervatum fuiſſe pluribus oſtendere pergit apud ipſum recolendis: nobis enim impraeſens aliò properandum incumbit.

XXI. Seculum igitur annis 110. equidem circumſcriptum fuiſſe in Quindecimviralibus Commentariis auctor eſt Cenſorinus de Die Nat. cap. 17; cui ſententia adhaeret Horatius in Carmine Seculari poſt librum *Epodon*, faventque Oracula Sibyllina apud Zozimum Hiſt. nov. lib. 2, Opſopaeum in lib. de Sibyll. Orac., alioſque. Quam & ambabus ulnis ample-

plecti non haeſerunt Onuphrius Panvinius de Ludis Secul., Sigonius in libro Emendationum cap.6, Pighius in Annal.Rom., Scaliger loc. cit., Salianus in Annal. Vet. Teſt. ad annum M. 3708, U. C. 407, & Horatii Scholiaſtae ad Carmen Secul. Lambinus, Torrentius, Chabotius, Marſilius, & alii. Alii viciſſim annorum 100. dumtaxat ſpatio comprehenſum *Seculum* contendunt, velut ex Veteribus Valerius Antias, Feſtus Pompejus, Terrentius Varro, Lucius Piſo, Cnaeus Gellius, Caſſius Emina, Titus Livius, aliique Cenſorino memorati; queis in opinione adſtipulati leguntur Claudianus in Panegyrico de Conſulatu 6. Honorii, Acron vetus Horatii Interpres ad Odam 6. lib. 4, & S. Auguſtinus de Civit. lib. 3. cap. 18; adhaerendumque duxerunt e Recentioribus Johannes de Sacroboſco Computi Eccleſ. Par. II, Ludovicus Vives ad S. Auguſtini loc. indic., Volaterranus Philologicae lib. 29, Muretus Var. Lect. lib. 10. cap. 8, Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 5. cap. 26, Joh. Georg. Hervvartus in Chronologia nova cap. 230, Beroaldus ad Svetonium in *Domitiano* cap. 4, Dekerius in Tabula Chronogr., Sidronius Hoſche Imagin. Seculi Soc. lib. 1, Tirinus in Chron. cap. 32, Benzonius de Anno Sancto lib. 3. cap. 5, Marcellus Donatus in Svetonium cap. 31; Briſſonius de Formulis lib. 8. cap. 30. edit. Lipſ. p. 696, aliique, quos refert, ac ſequitur Petrus Taffinus de Vet. Rom. Anno Seculari Par. I. cap. 1. Antiq. Rom. Graevii T. VIII. edit. Ven. p. 480. ſqq. Aſt enim Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 77, & Pagius Annal. T. I. in diſſert. Hypatica cap. 10. in ea opinione verſantur, ut *Seculares* priſcis Romanis Ludos certa nulla lege, definitoque ſpatio indictos fuiſſe putent. A primis enim Ludis, quos, exactis Regibus, a *Valerio Poplicola* U. C. anno 245. inſtitutos ex Valerio Antiate recitat Cenſorinus cit. cap. 17, ad ſecundos intervallum annorum 61. interfluxiſſe obſervant; ab his ad tertios annos 201; hinc ad quartos annos 100, aut 103; inde ad quintos ſub *Auguſto* annos 110, aut 123, aut 130. Sub *Claudio* deinde celebrati Ludi ſexti poſt annos 63. ſunt; ſub *Domitiano* ſeptimi poſt annos 104. ab eo, quo ſub *Auguſto* celebrati fuerant, anno. Sub *Septimio Severo*, & *M. Aurelio Antonino* octavi Ludi poſt annos 220, ab

ab anno videlicet U.C. 737, quo ſub *Auguſto* quinti habiti fuerant, uſque ad annum U. C. 957, quo hos octavos ſub *Severo*, & *M. Aurelio* inſtauratos memorat Cenſorinus cap. 17. Sub duobus *Philippis* Patre, Filioque Ludi noni, ac poſtremi anno U. C. 1000, Aerae Chriſtianae 247. celebrati ſunt, uti veri fert ſimilior opinio Baronii ad an.249. n. 4., Bucherii in Victorii Can. Paſchal. p.255, Bollandi ad diem 20. Januarii §.14. n. 23, Pagii cit. diſſert. Hypat. cap. 10. §. 5, & Taffini de Vet. An. Rom. Secul. Par.II. cap.12; non vero anno U. C. 1001, Chriſti D. 248, veluti perperam viſum eſt Panvinio de Lud.Secul.,Scaligero de Emend.temp. lib.5.p.492.ſq.,Petavio Doct. temp. lib. 11. cap. 27, & Noriſio diſſert. de Votis Decennal. cap.6, nempe poſt annos 263, quam ſub *Auguſto* quinti, & poſt annos 43, quam octavi ſub *Severo*, & *M. Aurelio* habiti fuerant. Confer & Taffinum de Vet. Rom. An. Secul.Par. II. cap.1. ſqq. Antiq. Rom. T.VIII. p.567. ſqq., ubi Ludorum *Secularium* Tabulas exhibet Chronologicas, juxta diverſas Veterum de Anno U. C. opiniones, Marci Varronis, Verrii Flacci, & Fabii Pictoris, ſuamque de *Seculo* annis 100. circumſcripto ſententiam magis confirmare ſatagit. *Seculares* nonos porro Ludos hoſce poſtremos fuiſſe, neque ab *Honorio* decimos, quod Panvinio, Petavio, ac Taffino cap. 14. fuit perſuaſum, anno U. C. 1157, Chriſti 404, a *Diocletiani*, ſub quo Ludi illi praetermiſſi fuere, Conſulatu 9. anno 100, fuiſſe celebratos, pluribus oſtendere Pagius nititur cit. diſſert. Hypat. n. 6. ſqq.

XXII. Quaenam porro celebritas Anno *Seculari*, ideſt *Secularibus* in hiſce Ludis, dictis etiam *Terentinis* a loco, ubi celebrari ſolebant in Campo Martio, qui *Terentus* ad Tiberim vocabatur, (quod ibi curvatus Tiberis ſiniſteriorem ripam attereret, ſive quod Ara *Ditis* Patris ibi occultaretur, ad quam Sacrificia Anno Seculari fiebant, Ovidio Faſt. IV. 501, & Martiali IV. 1. 7, videnduſque inter alios Pitiſcus in Lex. Antiq. Rom. T.III. edit. Ven. p.576.), *Terentinis*, inquam, a loco dictis, velut ex Varrone de Scenicis origin. lib. 1. tradit Cenſorinus, Romae eſſet, copioſe qui prae aliis de ea pertractat, adeundus, ſi placet, Taffinus loc. indic. cap. 2. ſqq.

An-

Anno videlicet illo peculiaria Diis, *Inferis* praeſertim, ex atris bobus, ſive furvis hoſtiis, Sacrificia fieri ſolebant, Ludi genus omnis peragi; Piamina a *QuindecimViris*, ad quos potiſſimum Ludorum cura pertinebat, Populo diſtribui; (*Piamina* erant porro faces, ſulphur, & bitumen, quibus Populus praeparabatur, ante ipſos expiabatur, ac purgabatur; *Purgationis* vero apud Veteres triplex genus Servio ad Aeneid. lib. 6. memoratur per *Faces*, per *Aquam*, per *Aerem*: de quibus fuſe Taſſinus cap. 6.); Pervigilationes agi, Lectiſternia, a ſternendis lectis dicta, non quibuſcumque, ſed illis dumtaxat, in quibus Dii veluti ſtrati coli credebantur, qua item de re plura Taſſinus cap. 11, conſtrui; Supplicationes, & vota perſolvi, Luſtrationes peragi; Populo item Triticum, hordeum, fabaeque impertiri; a Poetis in Deorum laudem, & honorem Carmina, *Secularia* inde nuncupata, de Paeanum genere decantari: de quibus omnibus praeſertim Oracula Sibyllina ex Phlegonte Graece, & ex Opſopaeo Latine a Taſſino eo loci repetita. Sub Meſſis vero tempus Ludos illos *Seculares* exhiberi conſueviſſe XI. Kalend. Maji, ac per Trinoctium, Noctibus ideſt tribus, totidemque diebus indicant Claudianus in Panegyrico de Sexto Honorii Conſulatu, Horatius in Carmine Secul., & Zozimus Hiſt. nov. lib. 2. Sed de hiſce diſerte, qui diſſeruit, fuſeque, adeundus Taſſinus de Vet. Rom. Anno Seculari, ejuſque per Ludos Seculares celebritate Par. I. cap. 8. ſqq. Antiq. Rom. T. VIII. edit. Ven. p. 501. ſqq.

Digitized by Google

DE CYCLIS, SIVE PERIODIS
ANNORUM

119. 120. 152. 180. 210. 228. 243. 252. 304. 365. 400. 410. 418. 448. 480. 487. 490. 500. 505. 532. 562. 600. 619. 676. 800. 960.

Articulus III.

I. De *Minoribus* Cathajorum, ſive Sinenſium Cyclis annorum 119. 180. 243. 410. 505. 562. 619. 676, non ſecus atque de Sinenſium eorumdem Cyclis *Majoribus* annorum 1520. 1539. 4560. 4617. 10000. 143127, qui videlicet ex Cyclis vel *Metonico*, vel *Calippico* diverſis in ſe vicibus ductis conflati fuere, diffuſe ſatis, quanti oportebat, operaeque noſtrae ferebat pretium, diſputatum, opinor, hoc ipſo Proleg. de Periodis Art. II. §. XII. ſq. p. 78. ſqq. Graeca de Periodo quoque annorum 120. ex *Tetraeteridibus* 30. invicem productis, juxta opinionem Petiti, contexta dictum abunde noſtrae pro modulo diſputationis eodem ipſo de Periodis Art. II. §. IV. ſq. p. 65. ſq., occaſione nempe geminae ab eodem Petito confictae Periodi annorum 40, & 80, videlicet ex *Tetraeteride* vicibus 10, aut 20, ſive decies, aut vigeſies in ſe multiplicata, conflatae; cum queis a Petito indivulſe illa connexa fuerat, adeoque, ut abſque his eſſe, intelligique nullo illa quiret modo. Chaldaeis, Babyloniis, & Aſſyriis Periodos *Minores* perinde annorum 60. 120. 600. uſu antiquiſſimo veniſſe, ſicut & Periodos alias longe *Majores* annorum 1440. & 3600. vidimus, & audivimus ſuperiori de Periodis Art. II. §. XIV. p. 85. ſqq., ubi variae hiſce de Periodis Eruditorum opiniones exagitatae ſunt, & in examen vocatae. De Perſarum quoque peculiaribus Cyclis annorum 12. 120. 1440, quanti praeſtituta operi brevitas paſſa eſt, agitatum eſt pariter ſupracitato de Periodis Art. I. §. XXVIII. p. 50. ſqq., rurſuſque obiter Art. II. §. XIV. p. 83. ſq. Arabes, vulgari deinde vocabulo Hagare-

renos, de Protoparentis nomine dictos, tergemina olim Periodo uſos confidentiſſime, ſuo pro more, ingenioque, tradit Scaliger de Emend. Temp. lib. 5. p. 518. ſqq., *Minore* annorum 30. Solarium, *Majore* annorum 210, & *Maxima* annorum 228. Solarium item, ſive Arabicorum 235: qua poſtrema demum expleta Periodo, *Mubarram* primus Arabici Anni Menſis, poſtquam totum per Anni *Solaris* contextum libere fuiſſet vagatus, ad eamdem demum, unde digreſſus fuerat, diem regredi putaretur. Sed enim ſpecioſum hoc fuiſſe, ſed fabellis ſimillimum Joſephi Scaligeri commentum, nullo ſatis veteri ſuffultum Monumento contendit Petavius in Animad. ad S. Epiphanium Haer LI. Oper. T. II. p. 133. ſq., qua etiam de re dicta nobis recolenda, ſi libet, Volum. III. Art. I. de Menſ., & Annis Arabum, ſive Hagaren. &c. §. III. p. 112. ſq.

II. Periodi tam *Metonicae* annorum 19, quam *Calippicae* annorum 76. vitiis, ita nempe ut neque *Aequinoctia* ſuis reſtitui ſedibus, neque *Novilunia* ſuis reddi diebus utriuſque beneficio viſa demum ſunt, deprehenſis ut obviam iret, ac eadem emendaret *Hipparchus*, multas poſt obſervationes, novam denique Periodum annorum 304, ex quatuor *Calippicis* contextam, ſive ex *Enneadecateride* ſexdecim in ſe vicibus ducta contractam excogitavit: qua demum expleta, adjectiſque Menſibus 112. intercalaribus, quorum ſexdecim diebus 29, reliqui nonagintaſex diebus 30. perficerentur, tam *Aequinoctia* ad ſua reddidiſſe principia, quam *Novilunia* priſtinas ad ſedes revocaſſe ſe, ac reſtituiſſe ſibi viſus eſt ſane. Verum non ſic ei e re ſucceſſit, evenitque e ſententia; namque geminus ille, quin in *Julianum* ſubinde irreperet Kalendarium, error praecaveri ſatis non potuit; ne videlicet *Aequinoctia* ſingulis annis horis 0. minutis 11.′ 14.″ 43.‴ anteverterentur, neve *Novilunia* ſingulis 19. annis hora 1. min. 27.′ 32.″ 55.‴ anticiparent. Quo duplici de vitio diffuſe ſuperiori Volum. III. Art. XII. de Menſ., & An. Rom. §. XXI. ſq. p. 482. ſqq. diſceptatum eſt. Sed enim adhaec Dodvvellus de Cyclis diſſert. 1. p. 59. ſq. in ea firmiter opinione fuit, ut pugnet *Metonis* Periodum integram octo *Enneadecaeterides*, ſive annos 152. complexam fuiſſe: quam poſtea *Calippus* duas in partes

N 2 divi-

diviſerit, diemque 1, quem ſuperabundare deprehenderat, ab utraque parte demum ademerit. Sed haec in incerto ſane latent, nec alioqui tanti ſunt, ut ad alia potioris longe momenti properanti froenum injicere orationi poſſint. Aegyptiis duplex olim *Solaris* Cyclus uſu fuit; prior ipſis dictus *Annus Magnus Canicularis* tot annis conſtabat, quot Annus ex diebus componebatur, videlicet 365: quo ex Cyclo 365. quater in ſe ducto poſterior fiebat Cyclus, *Annus Maximus Heliacus* denominatus, annis 1460. conſtans, de quo alibi. Videndus interea Voſſius de Orig., & progr. Idolol. lib. 1. cap. 28. De altera Cycli Aegyptiaci, ſive *Cynici* diviſione, ut ſcilicet alius fuerit *Minor* annorum 70, alter *Major* annorum 487, alter *Maximus* annorum 1183; alter rurſus fuerit *Minor* ex annis 480, alter *Major* ex annis 960, ex duplicato *Minori* 480, confectus, a De Vignolio excogitata, multa oppido tradita ſunt Volum. II. Art. I. de Menſ., & Annis Aegyptiorum &c. §. III. ſqq. p. 231. ſqq., & §. XXXIII. ſqq. p. 293. ſqq., ut eadem heic refingere haud ſit opus. Poſt haec Periodi annorum 400. nomine *Solis* per Secula 4. revolutionem intelligimus, qua demum abſoluta eodem, quo prius ordine *Hebdomadae* dies, eiſdemque deſignati litteris in orbem redeunt, quave *Juliano* reformando Kalendario feliciter uſum *Gregorium* XIII. P. M. perſpectum eſt. Nempe *Julianum* diebus 365. horis 6. conſtantem annum inter, & *Gregorianum* diebus 365. horis 5. minutis 49. dumtaxat conſtare deprehenſum differentia minutorum 11. intercedebat, quibus *Julianus Gregorianum* excedebat, quo fiebat, ut annorum 131. ſpatio annus *Julianus* ſupra *Gregorianum* die 1. min. 1. abundaret, adeoque ut ab anno 325, quo *Nicaena* Synodus habita eſt, uſque ad annum 1582, quo a *Gregorio* XIII. Kalendarii reformatio perfecta eſt, ſpatio ideſt annorum 1257, *Aequinoctium* Vernum a die 21. Martii diebus 10. retroceſſerit. Ne igitur diſcrimen illud minutorum 11. deinceps progrederetur, a Pontifice decretum eſt, ut quatuor Seculorum ſpatio *Biſſextus* omitteretur, ita ut priores tres centenarii anni *Communes* eſſent, poſtremus vero, ſive quartus *Biſſextus* eſſet. Qua ratione *Solari* revolutione Seculo quarto abſoluta, *Feriae* eiſdem deſignatae lit-

litteris in orbem reſtitutae ſunt. Cyclus itaque *Solis* iſte annorum 400. ab anno 1601. incepit, annoque 2000. finiet; quo intervallo *Biſſexti* ab annis 1700, 1800, 1900. ablati ſunt. Quamvis autem ter multiplicati anni 131. cum minuto 1. annos 393. horas 6. min. 33. dumtaxat colligant, ideoque minutorum aliqua differentia remaneat, quia tamen differentia iſthaec nonniſi multorum intervallo Seculorum fieret ſenſibilis, ſatius ideo fuit Cyclo illo *Solari* annorum 400. ſenſibili errori obviam iviſſe. Denique, quod hoc loci admonere praeſtat, a *Theophilo* Alexandrino Periodum annis 418. conſtantem, pro *Noviluniis*, ac *Pleniluniis* quammaxime Paſchalibus deſignandis, fuiſſe conſtructam, quae parvi tamen, atque nullius in Eccleſia uſus evaſerit, ſuperiori Art. II. §. XVIII. p. 89. ſq. ex Vander Haagen opinione, quanti oportebat, declaratum eſt, de qua ideo dicta refingere nec juvat, nec intereſt. Periodum aliam, pro *Noviluniis* in orbem reſtituendis, ex annis 448. conflatam excogitavit Thomas Pius Maphaeus Ord. Praed. de Cyclorum Soli-Lunar. inconſtantia, & emend. Propoſ. XX. p. 140. ſqq. Sed eadem ſiquidem neque vitio, quo, Periodo annorum 448. elapſa, *Novilunia* verſus Menſis finem minutis 17.′ 44.″ 59.‴ 51.⁗ promovebantur, vacare ſuo deprehenſa, merito rejecta eſt.

III. De graviſſima, totque Doctorum hominum, atque tandiu diſputationibus vexata, fatigataque Periodo annorum 490, Sacris a Deo in litteris Danielis IX. v. 24. ſqq. *Hebdomadum* LXX. nomine deſignata, modo nobis agendum occurrit, de qua ſane agere denuo ſupervacaneum videri, aeſtimarique non utique debet, de re ſiquidem adeo gravi egiſſe nunquam eſt ſatis, ac ſuper: quave de ut ordine agamus, trifariam diſputatio haecce diſpeſcenda opportune videtur, atque ita ut agatur 1.° de *Tempore*, quo Periodus iſta *Hebdomadum* LXX. comprehenſa, inque Periodos tres, ſeu in Hebdomadas VII, LXII, & I. diſtincta fuit. 2.° de *Epocha*, qua Periodum iſtam cum incepiſſe, tum finiiſſe veri haberi ſimilius oporteat. 3.° de *Perſona*, in qua Periodum hanc, juxta Danielis Prophetiam, impletam fuiſſe pro indubio reputari debeat. Principio ſed enim praeſupponi illud, proque certo poni oportet, quod hac-

hacce de Danielis, Chriſti D. ore Matth. xxiv. 15, & Marci xiii. 14. diſerte laudati, Prophetia de Hebdomadibus lxx. dubitari nullo profecto licet modo: quamvis perditiſſimi, conſcientiaeque profligataſſimae, atque nullius prorſus Religionis haud defuerint homines, qui aut Danielis perſonam nauci, floccique facere, nullo prorſus ei facto inter Prophetas loco, aut a Daniele ipſo Prophetiam hancce revera editam inficias ire haud fuerint veriti, quin imo neque ullum ab eo librum elucubratum contenderint, ſed a falſario quopiam, ementito Danielis nomine, diu poſt obtruſam fuiſſe, poſt fata nempe eo in libro praenuntiata; Chriſto D. ipſi quin etiam Prophetiae Spiritum abjudicare, patrandiq ue Miracula facultatem, pro fronte perfricta, haud extimuerint. Quo plane tam immani facinore ſe implicaſſe pridem leguntur Thalmudiſtae in *Gemara* Codice *Babba Bathra* cap. 1, nominatimque R. Maimonides in More Nevochim Par.II. cap. 41, Danielis, non ſecus ac Ezechielis libros, eò quod extra Terram Sanctam Prophetias litteris demandare fas non eſſet, a Synagogae M. Viris idcirco fuiſſe elucubratos jactantes: quod ipſorum opinione refert, quin tamen adprobaſſe putari debeat, S.Iſidorus Hiſpal. Origin. lib. 6. cap. 2. Sed enim Thalmudicum inane figmentum iſtud non uno evertunt modo Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. de Prophetia Danielis §. 14. edit. Ven. T. I. p. 305, Hermannus Witſius Miſcell. Sac. lib. 1. cap. 19. §. 19. ſqq., & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. diſſert. 1. Art. 2. Prop. 1. ſq. edit. Lucen. in 4. T. III. p. 417. ſqq. Nam ſi Daniel unus fuit ex Synagogae M. proceribus, velut adſtruit Maimonides in *Jad Chazakah*, ipſe met Daniel ſcripto Prophetias conſignaſſe ſuas videri dubio procul debet. Sin ex illis non fuit, uti ſtatuit R. Abarbanel in *Haereditate Patrum*, quod longe verius haberi debet, (Daniel ſiquidem Cyri anno 3. in Suſiana degebat, ubi Suſis & ſepultus fertur apud Benjaminum Tudelenſem in Itinerario edit. Baratierii cap. 15. T. I. p. 174. ſqq., relato a Bocharto Geograph. Sac. lib. 3. cap. 14. p. 197., Abulphedam in Tab. Geogr. p. 296, Jeſujabum Niſiben. lib. Demonſt. Verae fidei Cod. Arab. Vet. 49, & Gregorium Abulpharagium in Hiſt. Dynaſt. edit. Pocokii Dynaſt. V. p. 54, Huetium

tium loc. cit., & Aſſemanum in Annot. ad Acta SS. Martyr. Orient. T.I. p.81; etſi aliis magis arrideat ejuſdem obitum conſignare aut in Elymaide, uti memorato Benjamino Tudelenſi in Itinerario cap. 15. edit. tam Baratierii p. 175. ſq., quam Ariae Montani Antuerp. p.78; aut in Media, Ecbatane ideſt, uti Petro de Natalibus lib.7. cap.126, Joſephum ſequuto Antiq. Jud. lib.10. cap. ult.; aut in Perſide, veluti Bailetto, & Calmetio Praefat. in Daniel. T. I. edit. Ven. p. 464; verius aliis Babylone ſepultum adfirmantibus, poſt Pſeudo-Dorothaeum, Sanctio in Dan. I. 21, Cornelio a Lap. in Dan. x, Pererio in Prolegom. ad Dan. circa fin., S.Epiphanium, ſi tamen ejus germanum eſt opus, de Vitis Prophetarum cap.10. Oper. T. II. p.143, S.Iſidorum de Vita, & obitu Prophet. ſequutis, velut etiam habetur in Martyrologio Rom. ad diem 21. Julii; quo conferendus item Sollerius in Actis SS. Julii T. V. edit. Ven. p. 117. ſqq., quo necdum ſane tempore Synagoga M. obtinere potuit, tum vix temporis in Judaeam regreſſis Judaeis, nec omnibus, Templo, Urbeque necdum exſtructis:) inde fit, ut Synagogae M. Viris aut tum de Danielis libro litteris demandando ne cogitare quidem licuerit; aut Daniele ipſo inconſulto, demandare illum litteris nefas omnino fuerit. Falſitatis deinde apertiſſimae Thalmudicum hocce commentum a Daniele ipſo redarguitur: quippe Cap. VII. 1. ſq. 26, & Cap. XII. 4. diſertiſſimis libri Auctor, Scriptorque, Deo ipſo jubente, Daniel ipſe verbis adſtruitur. Quid ad haec, quod Hieremias Prophetiae ſuae partem, hoc eſt a Cap. XLIII. uſque ad Cap. LII. litteris in Aegypto prodidiſſe; Baruch quoque Prophetiam in Babylonia ſuam conſcipſiſſe liquet cum ex Hierem. XLIII. 7. ſqq., LI. 59. ſqq., tum ex Baruch I. 1. ſqq., & VI. 1. ſqq.? Falſum itaque extra Palaeſtinae fines Prophetias litteris conſignare nefas fuiſſe. Junge, quod Joſephus Antiq. lib.10. cap. 12, alias 18. Danielis tam perſonam maximis adnumerare Prophetis, quam librum maximo ſua ſub aetate adhuc Gentiles apud ſuos in pretio habitos fuiſſe adfirmare profecto non dubitavit. Quin etiam R. Iſac Abarbanel in Daniel fol.17, & R. Joſeph Jachiades ad Dan. 1. 17. p.23, Joſephum ſequuti, Maimonidi, qui in *More Nevochim* Par.II. cap.45, etſi Danieli locum inter Prophe-

phetas, quibus רוּחַ הַקֹּדֶשׁ *Ruah Hakados* denegari *Spiritus Sanctus* nequit, facere non dubitavit, Prophetam tamen proprie נָבִיאָה *Nabib* eum fuiſſe inficias ire haud veritus eſt, contradicentes Danielem ſupremum Prophetiae gradum attigiſſe, tamque Viſionis, quam Somniorum rationem perſpectam habuiſſe adfirmare non dubitarunt. Etſi vero S. Hieronymi tempore non defuerint ex Judaeis, qui e Prophetia Danielis *Suſannae*, ac *Belis* hiſtoriam exſufflare non veriti fuerint, cum Danielem ipſum tamen loco inter Prophetas excelſo habitum, tum ipſius Danielis Prophetiam vere Divinam agnitam Judaeorum vulgo fuiſſe ex S. Hieronymo in Praefat. ad Daniel. fuſe, dilucideque adverſus Pezronium Antiq. Temp. reſtit. p. 16. oſtendit Vir doctiſſ. Martianaeus in Defenſione Textus Hebr., & Vulgatae T. I. cap. 2. §. 2. p. 75. ſqq. Viden, ſi licet, ut etiam Danielis hancce contra Judaeos cauſſam tuendam ſuſceperint ex Proteſtantibus Gejerus Proleg. in Dan. p. 5. ſq., Laurentius Fabricius Partit. Cod. Hebr. cap. 5, Calovius Bibl. illuſt. T. I. Proleg. p. 652, & T. II. p. 587, Mullerus Judaiſm. Proleg. 2. p. 19. ſq., Hottingerus Theſ. Philolog. p. 510, L'Empereur ad Jacchiadem in Dan. p. 4. ſqq., Hoornbechius Prolog. de Conv. Jud. p. 41. ſq., Worſtius in Ann. ad Maimonidis lib. de Fundam. Legis p. 93. ſq., Friſchmuthus in diſſert. de Diviſione Script. Sacrae cap. 2. §. 20. ſqq., Aug. Pfeifferus Criticae Sacr. cap. 1. q. 3. p. 17. ſq., & Franc. Buddaeus Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. T. II. Periodo II. ſect. 5. §. IX. p. 665. ſqq., quo loci cum Riveto Praef. in Oſeam, & Heideggero Enchir. Bibl. lib. I. cap. 23. §. 3. p. 292. deferendum jubet, meritoque Franc. Junium Proleg. in Dan., ubi Danielis libros inter Hagiographos referendos autumat, locum illis inter Prophetas, ac Majores quidem faciendum recte docens.

IV. Inde quoque corruere neceſse eſt Thomae Hobbeſii in Leviathane cap. 33, uni huicce Thalmudico innixam figmento, dubitationem, quam animo facile, praepoſtero ſuo erga Religionem pro ingenio, induit de Prophetia Danielis, an ab ipſo ſcriptis revera conſignata fuerit: de quo nempe dubitare non ſinit Daniel ipſe, quin ipſe Deus cit. Capp. VII, & XII, atque Chriſtus D. Matth. XXIV, & Marci XIII. In eadem Palaeſtra,

ſtra,odio pluſquam vatiniano percitum adverſus Chriſtianos,impie obverſatum Porphyrium vidit S. Hieronymus in Praefat. Comment. ad Daniel. Oper. T.V. edit. Vallarſii p.618, e libris 15. ab illo ſcriptis adverſus Religionem Chriſtianam integro libro 12. in oppugnando Danielis Codice operam illum perdidiſſe referens, noluiſſeque a Daniele fuiſſe revera compoſitum, ſed a quodam *Antiocho Epiphani* aetate ſuppari, qui praeterita de *Antiocho* ipſo facinora retulerit, futura praenuntiando, quae neſcivit, fuerit egregie mentitus, falſaque omnino vendiderit. Refutatum ideo fuiſſe Porphyrium ſubjungit ab Euſebio tribus libris 18. 19. 20, ab Apollinario libro 26, & a Methodio: quae Opera temporum nobis diuturnitas invidit. Sed & ab Origene in Epiſt. ad Africanum Oper. T. I. edit. Maur. p.12. ſqq., & a S.Hieronymo ipſo, nuperque ab Huetio loc. cit. §.12. p.303. digna, ingenti pro temeritate, recepit, fruſtra, ac falſo ad res praeteritas Danielis Prophetias detorqueri a Porphyrio, eaſque ad futura potius fuiſſe trahendas late, dilucideque oſtendentibus. Horum itaque preſſe inhaerere veſtigiis neque Hobbeſium, de quo paullo ſupra, neque Spinoſam, quem ex Hobbeſii Schola prodiiſſe obſervat Morhofius in Polyhiſt. Litter. Philoſ. T. II. lib. 1. cap. 15. §.14. p.117, depuduit: qui poſterior in Tract. Theolog. Polit. cap. 10. p. 130. ſqq. eò impudentiae devenit, ut dicere non erubeſceret *Danielis* librum una cum libris *Eſther*, *Eſdrae*, ac *Nehemiae*, ſub Macchabaeis ab uno, eodemqueRecentiore Scriptore fuiſſe conſarcinatos, vel forſan e Chronologicis Chaldaeorum Commentariis, vel forte a Sadducaeo quopiam Phariſaeis infeſto, vel fortaſſis a quopiam Judaeo in gentilium ſuorum gratiam, quos, oſtendendo Danielis Prophetias tum demum adimpletas, in Religione confirmaret. Qui tamen Divinam libro denegare auctoritatem uſque adeo non eſt auſus, ut ut longe ſerius lucem adſpexiſſe illum a Daniele elucubratum calamo contendat. In quo ſane longe Spinoſae, (quem tamen exagitaverunt undique adeo, depexumque abunde dederunt Huetius cit. Prop. IV. §.13. p. 304. ſq., Natalis Alexander loc. cit., & Carpzovius Introd. ad Libros Bibl. Vet. Teſt. Par. III. cap. 6. §. 6. p. 253. ſq., quod & nobis alio praeſtandum, ſi Superis placebit, opportunio-

tuniori recurret in loco, ut ab hacce modo tabula nobis abſtinenda manus omnino videatur,) Spinoſae, inquam, temeritatem ſuperaſſe cum Antonius Collinus cognoſcitur, qui in libro *The Scheme of literal Prophecy conſidered &c.*, Latine *Schema Prophetiarum litteraliam &c.* inſcripto cap.5. p.146, 164, & 440. a Daniele Prophetias ullas prorſus editas inſicias ire haud veritus eſt, nec imo librum ab eo elucubratum ullum, ſed ab otioſo quodam, maleque feriato de induſtria fuiſſe confictum; tum Collini Encomiaſtes, ac pediſſequa Thomas Wolſthonus deprehenditur, qui in *The Moderator Betvven &c.*, *De Litterali implemento Prophetiarum*, & in Sermonibus ſex de Chriſti Miraculis in hanc ipſam vertiginem ita incidit, ut tam Collini errores defendendos, quam Chriſti D. Miracula non tam allegorice exponenda, quam reapſe pernegeanda impudentiſſime ſibi adſumpſerit. Non hujus eſt ſane loci deliria haec, inſanaque dogmata excutere, explodereque, ne inſtituti extra limites operis longius egredi cogamur. Caeterum, qui Collinum, & cum eo Wolſthonum abunde pro meritis caſtigatum dedere, profligatumque, praeter Interpretes paſſim in Danielem, adiri Viri doctiſſimi poterunt, ſi libet, ac licet, Auctores Bibl. Angl. T.XV. p.134. ſqq., Johannes Roggers in lib. de Neceſſitate Revelationis Divinae, Chandlerus in Vindiciis antiquitatis Vaticinii Danielis &c., & in Vindiciis Chriſtianiſmi defenſionis, Benjaminus Marshallus in Tract. Chronolog. de LXX. Hebdom. Dan., Eduardus Wellus Comment. in Daniel., de quo Acta Erudit. Lipſ. an. 1716. p.532, Anonymus in Conſiderat. objectionum contra librum Daniel., qui ad Collinum potiſſime reſpexere, Stackhouſe de Senſu litterali S. Script. cap. 6. edit. Gallicae Hagae Com. 1738. T. I. p. 170. ſqq.; quique propius in Wolſthonum recta collinearunt, Joh. Samuel Billebius in Epiſt. Propheticis contra Wolſthonum vindicatis, Gibſonus Londin. Epiſcop., Smalbroock Epiſc. Lindelf., Wada, Sherlokius Bangoren. Epiſcop., Petrus &c., Carpzovius Introd. ad lib. Bibl. Vet. Teſt. Par.III. p.231, & 255. ſq.; ex Noſtris vero Richardus Simonius in Critica Prolegom. Bibl. Dupinii T.IV. p.280. ſqq., Nicolaus Abrahamus in Pharo Vet. Teſt. p.366. ſqq., Franciſcus Mã Biacca in Diſſert. duplici de Hebd.

Hebd. Dan. ad calcem Tract. Hiſt. Chronol., Calmetius Praefat. in Dan. edit. Ven. T.I. p.463. ſqq., Thomas Bouges in diſſert. de LXX. Hebdom., aliique longe plurimi qua Orthodoxi, qua Heterodoxi memorati Fabricio in Syllabo Scriptorum de Verit. Relig. Chriſt. cap.31. p.591. ſq., & Scheteligio Bibliot. diſputat. in Vet., & Nov. Teſt. p. 324. ſqq., ac nuper Vir doctiſſ. Nicolaus Auguſt. Chignolius Ord. Praed. Exercit. in Danielem Prophet. exerc. 1. ſq.

V. Danielis Prophetia ſuo itaque redintegrata obiter, firmataque loco, quod primo in quaeſtione hacce propoſitum venit, de *Tempore* videlicet, quo Periodus iſthaec Hebdomadum LXX. deſignata intelligi debeat, ut numeris abſolvamus, ſcitum ideſt *Hebdomades* in S. Scriptura alias eſſe *Dierum*; quales Gen. 11. 2, Exodi XXXIV. 22, Levit. XXIII. 15. ſq., Deuter. XVI. 9. ſq. 16., & Dan. x. 2. ſq., aliaſque *Annorum*, ita ut die pro anno ſupputato, ſeptem anni in ſingulas Hebdomades ſupputentur; quales Levit. XXV. 8, Numer. XIV. 34, Ezech. IV. 6, & Dan. hoc loco, ut modo demonſtrandum adorimur. *Hebdomades* LXX. haſce itaque non fuiſſe dierum inde fit evidens, quod ſeſquiannum effeciſſent, Prophetiae complendae prorſus imparem, puta Templo, Urbique reaedificandis. Neque fuiſſe perinde Menſium inde patet, quod annorum 40. ſpatium, Menſiumque 10. produxiſſent, minus nempe, quam quod tot eo tam gravido Vaticinio promiſſis tam in futuro Judaeorum reditu, quam in futuri *Meſſiae* adventu adimplendis congruerent; quaeque reipſa eo temporis ſpatio haud fuiſſe adimpleta experimento compertum eſt: qua de re plura Wanſmuth in Vind. Script. Hebr. Par. II. cap. 1. p. 242, & Polus in Synopſi Crit. Sacr. T. III. edit. Ultraj. p. 1514. Neque fuiſſe annorum *Myſticorum*, quorum ſinguli conſtarent Menſibus VII, unuſquiſque Menſis vero diebus 49, veluti dicere ſomniavit Joh. Jacobus Hainlinus Wirtemb., refutatus ideo ab Henrico Benzelio in Diſſert. de LXX. Hebdom. Oper. T. II. p. 23, quod ejuſmodi Hebdomades cum Oraculi eventu nulla conciliari ratione queant; quodque intollerabili laboret vitio ejuſmodi calculus annorum 460, quot ille ponit ab anno 2. *Darii Nothi* uſque ad excidium Templi ſecundi. Fuiſſe porro *Sabbathicorum*

rum Hebdomades, adeo ut *Hebdomas* quaeque Sabbathicis ſeptem, ideſt annis 49. conſtaret, unde *Hebdomades* LXX. annos 3430. conficerent, dicere Rabbini quidem apud Fabianum Fioghi in Introductione ad fidem Italice conſcripta ſomniarunt. Nec inde ſane multum abluſit P. Guillelmus Bonjour in Monum. Copticis, ubi digreſſione p.28. ſqq. inſerta Hebdomades haſce annis *Sabbathicis* conſtitiſſe cenſet. Ita ut *Hebdomadem* VII. ab anno Aerae vulgaris 27. auſpicandam duxerit, quo a Chriſto D. Hieroſolymae excidium praenuntiari cepit; *Hebdomadem* LXX, ſive ultimam ab Aerae Chriſtianae anno 63. inchoandam velit: quam hypotheſim Prophetiae ſcopo, litteralique adverſari ſenſui palam infra fiet. Fuiſſe viciſſim Hebdomades *Decenniorum*, adeo ut *Hebdomades* ſingulae annos 70, *Hebdomades* LXX. vero annos 4900. complecterentur, Origenis in Matth. Tract.29. §.40. Oper. T.III. edit. Caroli de la Rue p.858. ſq., & fere Euſebii apud S.Hieronymum Comment. in Dan.IX. Oper. T.V. edit. Veron. p.688. ſq. fuit opinio. Ita tamen, ut Origenes *Hebdomades* LXX. deſignaſſe annos ab *Adamo* 4900. opinatus fuerit uſque ad annos 70. poſt Chriſti D. obitum, adeo ut verbis illis *Ab Exitu Sermonis* intelligi voluerit *Exitum Verbi*, de quo Pſalmiſta XXXII.6. *Verbo Domini Caeli firmati ſunt*; atque ita ut *Hebdomades* VII, ſive anni 490. inceperint ab eo, quo aedificari Hieroſolyma anno cepit; *Hebdomades* LXII. vero, ſive anni 4340. ab ipſo exordio Mundi inchoandi ſint uſque ad aedificationem Hieroſolymae; *Hebdomas* I. vero, ſeu ultima poſt Chriſti D. paſſionem complenda fuerit cum Urbis, Templique excidio. Atque hanc utique Origeni inſediſſe opinionem, ut *Hebdomadum* quiſque dies ſpatium annorum 10.complecteretur,ideoque priores *Hebdomadae* VII.annis 490.conſtarent; *Hebdomades* LXII. ſequentes annis 4340;ultima LXX. annis 70,omnes ſimul ab Orbe condito uſque ad Hieroſolymae aedificationem annos 4900. comprehenderent, multis oſtendit Martianaeus in Defenſ.Textus Hebr., & Vulgatae T.I. cap.I. §.I. p.8. ſqq., & T.II.cap.I. §.2. p.29. ſqq. adverſus Pezronium, qui Antiq. temp. Defen. p.43. ſq. manifeſtiſſimo errore ab Origene *Hebdomades* LXX.pro annis 5900. a Mundi exordio uſque ad Chriſtum Ducem putatos

tatos fuiſſe ſcribere non dubitavit. Fuiſſe quinimò Hebdomades *Jubilaeorum*, adeo ut *Hebdomas* unaquaeque conſtet annis 350, (quo fiet, ut *Hebdomades* LXX. nonniſi annis 24500, ut advertit Cherubinus a S. Joſepho Bibl. Crit. T.II.diſſert.10. diſp.2.Art.2. p.713, complendae tandem ſint, non vero annis 3500. dumtaxat, velut inadvertenter ſcripſit Bartoloccius Bibl. Rabb. T.II. p.365), commentum eſt Thalmudiſtarum in Cod. *Sanhedrin* cap.11, ad vim Prophetiae iſtiuſmodi, qua ſe premi, opprimique non ſentire nequibant, infringendam, elevandamque obtruſum. Fuiſſe quin inſuper Hebdomades *Seculorum*, ita ut ſingulae *Hebdomades* annos 700. colligant, omnes ſimul LXX. annos 49000, fabula eſt Rabbinorum altera, de qua Pererius in Dan. lib.10. p.558. Sed enim parata figmentorum hujuſmodi confutatio eſt, quamque abs veritate prorſus quatuor opiniones hae abfuerint, facile demonſtratur. Urbem enim, ac Templum exciſum iri poſt *Hebdomades* LXX, Sacrificia item, & Hoſtias in poſtremae *Hebdomadis* dimidio abolitum iri praedixit Daniel: quae, uti praedixit, omnia prorſus eveniſſe jampridem, quam forent elapſae *Hebdomades* hae annorum ſive 7, ſive 10, ſive 50, ſive 100, oculis cernimus, undecumque demum eaſdem dinumerandi exordium ducere adlibeat. Quo de argumento fuſius Lyranus in Dan. IX.21.ſqq. Gloſſae Ordin. T.IV.p.1611.ſq., Pererius loc.cit.p.559,& 718, Huetius Dem. Evang. Prop.IX. cap.8. §. 14. edit. Ven. T.II. p.486, ac Polus Synop. Crit. Sacr. T.III. p.1514.

VI. Hebdomades itaque Annorum ſimplicium hoc intelligendae ſunt loci, adeo ut *Hebdomades* LXX. conficiant annos 490, neque plus, neque minus; (non vero annos 500, veluti ratione *Jubilaeorum* habita, dicere in mentem Soſtmanno Comment. Chronolog. in Daniel. venit. Tum enim *Jubilaeos* ab annis 50. procedere ad annos 50. minus vere Soſtmanno ſtatuitur; tum etiam hocce loci non de *Jubilaeis*, bene vero de *Hebdomadibus* LXX. ſermo a Daniele inſtitutus eſt); adeo, inquam, ut *Hebdomades* LXX. annos dumtaxat 490. conficiant. Quod non uno probant unanimiter Interpretes modo tam e Communionis noſtrae, quam e Proteſtantium grege, Munſterus, Vatablus, Grotius Crit. Sacr. edit. Francof. T.III. p.713. ſqq.,

ſqq., Piſcator, Junius, Polanus, Willetus, Gejerus, Hulſius, Pererius, Cornelius a Lap., aliique in Synopſi Crit. Sac. T. III. p. 1514. Stylus hic enim Prophetarum fuit Ezech. iv. 6, Apocalyp. xii. 6, & xiii. 5, cui conformiter *Hebdomades* pro Annis leguntur acceptae Gen. xxix. 27, & Levit. xxv. 8; qua de re Helvicus de Hebdom. lxx. Crit. Sacr. Suppl. T. VI. edit. Francof. p: 503, Livelejus in Chronolog. Perſ. Monarch. p. 157. Synop. Crit. Sacr. p. cit.; conformem etiam ſe geſſit Profanorum quorumdam Scriptorum mos, quibus per annorum *Hebdomades* dividere hominum aetates arriſit, veluti Ariſtoteli Polit. lib. 7. in fine, M. Varroni apud Gellium Noct. Attic. lib. 3. cap. 10, & Apollodoro Bibl. lib. 3. cap. 4, videndique Suidas V. *Cadmus*, & Clemens Alex. Strom. lib. I. Accedunt Eccleſiae Patres, queis *Hebdomades* haſce pro Annis fuiſſe acceptas patet, uti de Julio Africano apud S. Hieronymum in Dan. ix. Oper. T. V. p. 682, de Euſebio Demonſt. Evang. lib. 8. verſ. Donati Veron. p. 130, de S. Hieronymo loco mox laudato, de S. Cyrillo Hieroſolym. Catech. xii. §. 19. edit. Touttaei p. 172, deque aliis infra adverſus Harduinum proferendis. Atque ita profecto *Hebdomades* lxx. illas pro Annis 490. fore accipiendas fateri non dubitarunt, vel ipſis ex Judaeis cordatiores, prudentioreſque qua Veteribus, quam Recentioribus Rabbini Auctores *Domus Iſrael*, & *Seder Olam*, Abenezra Comment. in Dan. ix, R. Salomon Ben Jeruchan, ejuſque diſcipulus haud inferior R. Saadias Gaon Comment. in Daniel. in Bibliis Rabbinicis Venetis, & Baſileenſibus extante, qui annos 490. iſtos quinimo cepiſſe vult ab anno I. Captivitatis Babylonicae, qua ſoluta annos 420. dumtaxat uſque ad Meſſiae adventum dinumerandos fore contendit apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T. II. p. 307. ſq., & Imbonatum T. V. p. 82. ſq.

VII. Quo ſane loci, (ut qua Judaeorum pervicaciam reſpicit, quaeſtionem hancce ferme conficiam), mihi temperare non poſſum, quin obſervandum admoneam, quam mire, quam immaniter ſecummet Andabatarum more digladientur Judaei de Danielis *Hebdomadibus*, deque adventu *Meſſiae* diſputantes! Enim vero, ut paullo ante dictum, ad Prophetiae hujuſcemodi vim, qua ſe premi non ſentire nequibant, quo poſ-

poſſent, modo infringendam, Thalmudiſtarum alii *Hebdomades* illas pro Annis *Sabbathicis*, alii pro *Jubilaeis*, ac tandem pro *Seculis* alii fore accipiendas dicere ſomniarunt. Contra vero pro annis 490. communibus neque plus, neque minus ſtetiſſe Rabbinos alios longe plures, doctioreſque modo dicebamus. Vice nunc verſa R. Nathan in Codice *Sanhedrin* cap. 11, *Cheleck* fol. 125. Danielis *Hebdomadibus* contendit neque deſignari עידן *Iddan*, *Tempus*, ſive Annos 400, quot in Aegypto habitarunt; neque עידנין *Iddanin* duo *Tempora*, ſive Annos 800; neque ופלג עידן *Uplag Iddan* Dimidium *Temporis*, ſive Annos 200; neque ſummatim Annos 1400, juxta diverſas veterum Rabbinorum interpretationes, ſed *Tempus* deſignari indeterminatum: quae recepta eſt hodie Judaeorum opinio. Itaque fatente Nathano, opinio de tempore adventus *Meſſiae* determinato conſtans altera veterum Judaeorum erat. Qua ſane in opinione utique fuere RR. Barachias in *Bereſchit Rabba*, Moyſes ben Nachman in Daniel., Samuel in Epiſt. ad R. Iſaacum apud Dionyſium Carthuſ., indeque memorata Huetio Dem. Evang. Prop. IX. §. 12. T. II. p. 482, Natali Alex. Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. diſſert. 2. Prop. 11. edit. Lucen. in 4. T. III. p. 445. ſq., & Calmetio in Diſſert. de Hebdom. LXX. edit. Ven. T. I. p. 468; quibus ad Chriſtum D. Prophetiam hancce Danielis pertinere ne leviter quidem dubitatum eſt. Atque reapſe antiquiſſima Rabbinorum traditio erat *Mundum* ſex annorum millibus dumtaxat duraturum, ſubque finem millenarii IV, aut ſub initio millenarii V. adventurum proculdubio *Meſſiam* ex Prophetia Danielis certo certius augurabantur. Cujuſmodi traditionis explicitiſſima in *Thalmud* Cod. *Sanhedrin* cap. 11. *Cheleck* fol. 97, & Cod. *Avoda Zara* cap. 1. edit. Edzardi p. 65. fit mentio, eaque accepta refertur celeberrimae Scholae R. Eliae Levitae, qui anno 200. ante Chriſtianam Aeram in vivis agebat; (quin etiam non defuere, qui *Eliae* Prophetae adſcribendam illam haud dubitarint, ut e Judaeis R. Manaſſes Ben Iſrael in Conciliatore ad Gen. VIII. 22. ex libro *Zoar* paraſcha *Bereſcit*, & paraſcha *Vaiera* ex Traditione *Adami* uſque ad *Eliam* Thesbitem ſervata id adſtruens; ex Chriſtianis Iſaacus Voſſius de Sybill. Orac. cap. 8, quibus haud

ablu-

abludere videtur Joh. Alb. Fabricius in Cod. Pſeudepigr. Vet. Teſt. T.I. cap.212. p.1079. ſq., qua de re plura Aegid. Strauchius in Pſeudo Elia, & Chriſt. Reineccius de Tradit. Eliana); quae ſane Traditio hiſce concepta verbis ex Hebraeo Latine factis ſic ibidem affertur: *Sex millibus annorum duraturus eſt Mundus*; *duobus mille* תהו הו, *Tho hu*, *Inanitas*, hoc eſt *abſque lege ſcripta*; *duobus mille* תורה, *Thora*, *Lex* ideſt *a Moyſe lata*; *duobus mille* ימות המשיח, *Jamoth Hammaſciach*, *Dies Meſſiae*, hoc eſt *Chriſti D. Lex*. Cui ſane traditioni utroque ſubſcribere pollice haud inficiati ſunt Kabaliſtae in Not. ad Gen.1. v.1, cui verſiculo ideo ſex N. אלפין *Alephin*, ſex nempe Mundi Annis mille indicandis, adfixere, ſignatimque R. Salomon Jarchi, & R. Gedalias in Gloſſa ad hunc Thalmudi locum apud Raymundum Martini in Pugione fidei Par.II. cap.10, Galatinum de Arcan. Cath. Verit. lib.4. cap. 20, & Bartoloccium Bibl. Rabb. T.I. p.168. ſq., R. Nachmanides in lib. *Thorat Adam* cap. *Gamul*, & R. Jacob in *Bael Hatturim*, Mundum hunc adſpectabilem annis ſex mille duraturum ſua confirmans fide, Majorumque jugi traditione. Cui ſane traditioni Scholae Elianae eludendae de induſtria, proprioque de ingenio praepoſtero, laudato poſtea Thalmudi loco fol.97. a Rabbinis nuperis, velut a R. Gedalia, adjunctum eſt Coma de retardato *Meſſiae* adventu ob Judaeorum ſcelera: quod ibidem commentum inane tum Martinius, tum Griſendus, tum Bartoloccius validiſſime multis explodunt, tum poſt alios bene multos etiam Hottingerus diſſert.2.de Hebdom. Daniel. §.38. p.141. ſq., atque Polenus in Synopſi Crit. Sacr. T.III. p.1545. eo praeſertim exſufflat momento, quod promiſſio haec abſoluta, pleneque gratuita de adventu *Meſſiae* nec ulla conditiòne fuerit adfecta, nec ulla impediri culpa potuerit. Nam, ut verbo dicam, verbo *Abbreviatae* ſive litteraliter pro vera diminutione temporis, ſive indicative pro temporis determinatione *Hebdomades* intelligantur, Judaicae huic interpretationi locum nullum linquunt, ſed tempus indicant vel breve, decurtatumque, quo impletae fuerint, vel certum, definitumque, quo forent implendae. Quomodo ſane Judaeorum ſcelera non obſtitere, quominus abſoluta par Divina adim-

adimpleretur promiſſio facta cum Abrahae de reducendis Iſraelitis poſt annos 400, tum Hieremiae de iiſdem Judaeis poſt annos 70. redimendis. Et certe nulla conditione decretum de *Meſſia*, tempore definito ab Angelo, mittendo fuiſſe ſuſpenſum confirmat Malachiae Vaticinium III. I: quod inficias ire tantum abeſt, ut veriti ſint, quin explicitiſſime magis adfirmare non haeſere R. Jochanam in *Schemoth Rabba*, R. David Kimchi in Pſal. 108. 5, & Joſephus Antiq. lib. 10. circa fin. Quid vero quod R. Eliezeris receptiſſima eſt apud Judaeos opinio fore, ut ſi Judaei poenitentiam egerint, *Meſſiae* adventus impediri, retardarique nequiret? Quam ideo juxta opinionem Aerae Chriſtianae anno 1502. iſtiuſmodi poenitentiae Judaeos addixiſſe ſe ſe, quali nunquam antea, in eum videlicet finem, ut *Meſſias* brevi adventurus exciperetur, refert Munſterus in Praefat. Bibliorum a ſe editorum. Et *Meſſiam* ſane adventurum, ut peccatis medicinam adſerret, & pro peccatis apud Deum *Placatorem*, איש כפר, *Iſch Copher* Judaeis adpellatum, ſe praeberet, Iſaj. LVII. 4. ſqq., Hierem. XXXI. 31. ſq., Ezech. XI. 19. ſqq., Daniel. IX. 25. ſqq., Zach. XIII. I. ſq. denuntiatum habetur, faſsique ſunt ultro citroque Paraphraſtes Chaldaeus in Cant. Cant. I. 14, R. Judas in *Kaſidim*, R. Simeon in *Bereſchit Rabba*, RR. Oſva, & Abba ibid., R. Juda Ben Ammon, & R. Salomon in *Midraſch Chobeth* ad delendum morte ſua peccatum *Adae Meſſiam* adventurum, ac ita de *Meſſia* accipiendos Iſajam LIII. 7, & Zach. IX. 9. adfirmare non dubitantes; qua fuſe de re Hieronymus a S. Fide adv. Jud. lib. I. cap. 7. Bibl. PP. Lugd. T. XXVI. p. 539, & Grotius de Verit. Relig. Chriſt. lib. 5. Crit. Sacr. edit. Francof. T. VII. p. 2100. ſq. Ad haec Eliae Levitae traditio iſthaec de Mundi annis 6. mille duratione, adventuque *Meſſiae* ſub exitu millenarii IV, aut ſub exordio millenarii V, inſerta etiam habetur Codici *Aboda Zara*, de Idololatria cap. *Liphnè Edebèn*, ante Feſtivitates ipſorum cap. I. fol. 9. circa medium, cum Gloſſa R. Salomonis, & Codici *Scial ſceleth hakabb.* fol. 24. B, de qua fuſius Hieronymus a S. Fide adverſus Judaeos lib. I. cap. 2. Bibl. PP. edit. Lugd. T. XXVI. p. 529. ſqq., a quo diſputatione Girundae coram Benedicto XIII. pſeudo-Pontifice cum Ju-

Judaeis habita argumenti hujuſce vi perſuaſi Judaeorum quinque millia Chriſtianae Religioni nomen dediſſe feruntur; Abraham Ecchellenſis in Chron. Orientali de Mundi orig., & duratione juxta Arabum ſententiam cap.8. edit. Ven.p.132.ſqq., ubi R. Menaſſeh Ben Iſrael de Reſurrect. Mort. lib.3. cap.3., & de Creat. Mundi problem.XI. vana commenta de retardato *Meſſiae* adventu ob Judaeorum ſcelera, deque Millenario beatitudinis ſub *Meſſiae* regno multis, validiſque explodit; Raymundus Martini in Pugione fidei Par.II. cap.10, Petrus Galatinus de Arcanis Cathol. Eccleſ. lib.4. cap.20, Joſephus de Voiſin in Obſervat. ad cit. Martinii loc. p.322, Bartoloccius cit. T.I.p.171.ſqq., Hottingerus Append.3. de Diſperſione XII. Tribuum §.31.ſqq.p.480.ſqq., ubi futiles RR. Saadiae, & Orobii de hodierna Judaeorum diſperſione cauſſas expendit, & explodit; Lightfootus in Horis Hebr., & Thalmud. ad Evang. Matth. cap.2. v.1. Oper. T.II. p.257. ſq., quo loci tum ex R. Tanchum in *Berachot* Hieroſol. fol.5, R. Joshua ben Levi, & R. Judan Bar Aibu, ac R. Bon *Meſſiam* ex familia *David* in Bethlehem natum, tum ex R. Chanina in *Avoda Zara* loc.cit. poſt annos 400. ab excidio Templi *Meſſiam* adventurum docente, & ex R. Asher in Cod. *Sanhedrin* loc. cit. poſt *Jubilaeos* 85. *Meſſiam* expectandum adfirmante oſtendit. Quam juxta traditionem obſervat de *S. Joh. Baptiſta* a Judaeis dubitatum ideo, an *Meſſias* eſſet Luc.III. 15, ac Tempus adſuiſſe tandiu expectati *Meſſiae* adventus Judaeis perſuaſum fuiſſe Luc.XIX. 11; quin & T.I. Harm. in 4. Evang.ſect.9.§.5.p.332. obſervat Judaeis perſuaſum fuiſſe Chriſtum *Meſſiam* fuiſſe, ſubdubitatumque de Urbe, Genteque ſub ipſo Chriſto demum a Romanis delenda Joh.11. 48; Joh. Cochius in Duobus Titul. Thalm. *Sanhedrin*, & *Maccoth* &c, in Excerpt. Gemarae Sanh. cap.11. p.346. ſqq. edit. Amſt., Paulus Ricius in Epitome de Thalmudica Doctrina p.267, Joh. Franc. Buddaeus Introd. ad Hiſt. Philoſ. Hebraeor. §.XLI. p.363. ſqq., quo loci Thomam Burnetium etiam in Theor. Tellur. Sacr. lib. 4. cap.5. hac Hebraeorum traditione abutentem, & in ſuam de beato Millenario ſententiam eamdem transferentem reprehendit, atque refellit.

VIII.

VIII. Cum eadem jam vero R. Eliae Levitae traditione egregie coincidit interpretatio Rabbinorum altera, cum Cod. *Beruchot* cap. de *Jachore* Talm. Hieroſ., tum eidem Codici *Sanhedrin* cap. 11. intexta, videlicet R. Chetinae, R. Abhaei, R. Eliae, R. Aſcher, R. Chanan, R. Amma, nec non R. Gedaliae in *Scial Sceleth* fol. 46. col. 2. apud Serarium in Joſue XIII. q. 14, & Cartwrightum in Mellificio Hebraico lib. 5. cap. 13. Crit. Sacr. T. VII. edit. Francof. p. 914, juxta quam ita Mundi duratio, adventuſque *Meſſiae* exponitur, ut Mundus *Jubilaeis* 85. manſurus ſit, in ultimo *Jubilaeo* vero adventurus ſit *Meſſias*. Jam vero *Jubilaei* 85. annos 4250. conficiunt, ideoque *Meſſias* adventurus erat anno Mundi 4200, ſi *Jubilaei* 85. initio advenit, aut anno M. 4250, ſi in fine. Rurſus *Jubilaeum* primum celebratum obſervant nonnulli anno Mundi 2609, ante Chriſti natalem 1405, in Templi primi dedicatione anno M. 3001, ante Chriſtum 1004, *Jubilaeum* 9. peractum fuiſſe. *Jubilaeum* 15. poſt decem Tribuum deportationem actum M. anno 3295, ante Chriſtianam Aeram 712. *Hebdomades* LXX. decem *Jubilaeos* efficere, quorum decimus, a primo vero omnium *Jubilaeo* triceſimus, omnium ultimus habitus ſit anno Mundi 4030, quo Chriſtus D. annos aetatis 30. circiter habuerit, quo ipſo magnus ille שנת רצון *Remiſſionis* Annus, ſive Εὐπρόσδεκτος *Acceptabilis* una cum Evangelio promulgari cepit. Etſi vero Judaei varios adventui *Meſſiae* a Daniele praenuntiato, nec non *Hebdomadibus* LXX. praefinire terminos ſaepe tentarint, velint, tamen nolint, eos profecto omnes jampridem expletos fateri, confiterique Majorum fide, confeſſioneque coguntur. Apud Auctorem namque *Scial ſceleth Hakabbalah* leguntur adſignaſſe Mundi durationi annum ה״שלה, ideſt 5335, vel ה״שלז 5337, vel ה״שס 5360, qui anni ſane juxta Chronologiam Uſſerii magis receptam inciderunt in Aerae Chriſtianae, ab anno Mundi 4004. initae, annum 1331, vel 1333, vel 1356. Sed & hinc ſane haud multum abfuere Rabbinorum alii doctiores, qui Danielis *Hebdomadibus* LXX, & *Meſſiae* adventui terminum adfigere non dubitarunt Mundi annum vel 5021, ut R. Aſe in *Scial ſceleth* loc. cit.; vel 4291, veluti R. Hanan ibid.; vel 5408, ut ex *Zohar* obſervat

idem R.Hanan; vel 5358, velut R.Gedalias in *Catena Kabalae*; vel 5263, vel 5294, uti RR. Azarias in *Lumine oculorum*, & Abarbanel Comment. in Iſaj., & Hierem.; vel 5118, veluti RR. Saadias Gaon, Salomon Jarchi, Levi ben Gerſon Comment. in Daniel., Abraham Hannaſi in libro *Meghilath hameghilah*, Moyſes ben Nachmanis in libro de *Fine*, & in lib. de *Redemptione*, & R.Bechai ſect. *Vaiculù* Gen. 11. apud Imbonatum Bibl. Rabb. T.V. p. 88, qui p. ſqq. fuſe hocce de argumento contra Judaeos agit, & Cartwrightum in Mellif. hebr. loc. cit. Quid adhaec, quod Chriſti D.Natalem conſignaſſe paſſim leguntur anno Mundi 3616. RR.David Gantzius apud Vorſtium, & Lipmannus apud Lampium in Praeloquio ad Hottingeri Πεντας differt. Bibl. Chronolog.; anno M. 3630. R. Iſaac Abarbanel; anno M. 3660. R.Abraham Ben Dior; anno M. 3670. R.Abraham Zacuth in *Juchaſim*, ſive Chronico minori; anno M. 3734. R Jaſon Noſen apud Fabricium Bibliograph. Antiq. cap. 7. p. 187, & Lampium in Praeloq. cit.; anno M. 3740. R. Nahaſſon lib. de Cyclo Paſchali apud Genebrardum; anno M. 3754. RR. Gerſon Ben Levi, & Abraham; anno M. 3758. Rabbini in *Seder Olam*, ſive Chronico Majori; anno M. 3760. Rabbini in Vulgato computo apud David Gantzium, Hieronymum a S. Fide, Paulum a S. Maria, Lyranum, Georgium Venetum, Galatinum, alioſque; anno M. 3780. R. Levi in Dan. XII; anno M. 3784. Thalmudici nonnulli apud Genebrardum, & Schotanum; anno M. 3960. Philo Judaeus apud eumdem Schotanum; anno M. 4003. Flavius Joſephus apud Lampium; anno M. 4058. R. Moyſes Gerundenſis Ben Nachman apud Fabricium loc. cit. Junge, quod *Meſſiam* utique ſub Templi ſecundi excidio adventurum traditio etiam veterum Judaeorum conſtans erat, teſtibus accedentibus locupletibus RR. Joſepho Albo in libro *Ikkarim*, Salomone Jarchi, Gedalia, Azaria, Bechai, Saadia &c. loc. cit., aliiſque infra laudandis; Thargumiſta item Cantici Cantic. VII, & VIII, Echa Rabbathi, Abenezra in Cant. VII. 5, Akiba in Aggaeum 1. 7. ſq., Jehuda in Cod. *Sanhedriu* cap. 11, R. Joſe, & R. Jacobo in *Caphthor*, R. Iſaac de Latas Praefat. in *Zoar* apud Morinum Exercit. Bibl. lib. 2. Exerc. IX. cap. 4. §. 7. p. 361, R. Sa-

Samuel Barnahaman in *Bereſcith Rabba*, ſive Geneſi Magna apud Hieronymum a S. Fide contra Judaeos lib. 1. cap. 2. Bibl. PP. Lugd. T.XXVI. p.533., Raba Joanna in Thalmud. Hieroſ. Cod. *Joma* cap. *Duo Haedi*, adeo ut multis Herodes, Barchoſibas nonnullis, ut R. Achibae, & R. Moyſi Gerundenſi in Cod. *Sanhedrin* cap. *Omnis Iſrael*, & in *Seder Olam*, aliis Judas Gaulonites, aliis alii pro *Meſſia*, Chriſti D. tempore, habiti fuerint apud Hieronymum a S. Fide loc. cit. p.534, Grotium de Verit. Relig. Chriſt. lib. 5. Crit. Sacr. T.VII. p. 2099, Bartoloccium Bibl. Rabb. T.II. p.343. ſqq., & Huetium Dem. Evang. Prop. IX. cap. 8. §. 1. ſq. T.II. edit. Ven. p.465. ſq., ubi pluribus Judaeorum pertinaciam aut frangere, aut emolire profecto ſatagit.

IX. Quid adhaec autem, quod R. Lipmannus, impius, ſiquis unquam, Judaeus in *Nizzachon*, ideſt Triumpho Num. 335. ad Daniel. XII. 9. praeterita jamdiu fuiſſe tempora, quae in S. Scriptura pro adventu *Meſſiae* deſignata leguntur, fateri, veritate cogente, non haeſit? in quae tamen haud curioſe, otioſeque inquirendum ſubjungit, eo nempe conſilio, ut obfirmato in Adventu *Meſſiae* expectando una cum gentilibus ſuis animo manere ipſe pergeret. Ante ſua quin etiam tempora natum fuiſſe *Meſſiam* fateri non ambegere Thalmudiſtae in *Gemara* Cod. *Berach* fol.5. col.1, in Thalmudo Hieroſolym. ין׳ fol.9. col.2, & in Cod. *Sanhedrin* fol.97. col. 1. apud Edmundum Caſtellum in Lexico Heptagl. T.II.V. מָשִׁיחַ p.2157. ſq.; atque noviſſime Orobius Judaeus haud indoctus Collat. cum Limborchio p.15. 144. hujuſce Prophetiae divinitatem, veritatemque eventu ipſo confirmatam fuiſſe indubitanter adfirmavit, apud Hottingerum Diſſert. 2. de Hebd. Daniel. §.10. p.90. Poſt haec R. David Kimchius demum tanti apud Judaeos habitus Comm. in Oſeae III. 4. ſe, gentileſque ſuos in exſilio poſitos abſque *Lege*, abſque *Principe*, abſque *Sacerdote* manere fatetur: quod ipſum quoque R. Abarbanel haud minoris apud ſuos factus Expoſit. priori in Iſaj. XXXIII. 8. ultro confiteri non eſt veritus. Totum inſuper Danielis Vaticinium in Chriſto adimplendum fore adfirmare non dubitavit R. Moyſes Gerundenſis apud Grotium Crit. Sacr. T.III. p. 715; atque *Hebdomades* LXX. in Templi ſecundi devaſtatione finiendas ſuo confirmare teſtimo-

monio non haeſit R. Jachiades in Dan. ix. apud eumdem Grotium de Verit. Relig. Chriſt. lib. 5. Crit. Sacr. T. VII. p. 2099. Quo item *Hebdomadum* LXX. nomine totum illud venire temporis intervallum, quod a *Zorobabele* uſque ad *Veſpaſianum* effluxit, fatentur Thalmudiſtae in Cod. *Sanhedrin* cap. ult., & in Cod. *Joma*, & *Roſch haſchana*. Quin imo in *Meſſia*, ſive Chriſto jampridem impletum, atque veteres Judaeos utique, quammaxime qui adverſus Romanos pro aris, focisque dimicare armis non abſtinuere, tum proxime implendum Danielis Vaticinium agnoviſſe, fidem indubiam fecit Seculo mox elapſo R. Manaſſes in libro de *Termino Vitae* apud Baſnagium Hiſt. Jud. T. VI. edit. Amſterod. lib. 5. cap. 5. §. 22. p. 116, qua illi in traditione praeiverant R. Moyſes Gerund. in Gloſſa ad Dan., R. Joſe in fine libri *Ordinis Mundi*, R. Abenezra, R. Saadias, R. Abraham apud Hieronymum a S. Fide cit. lib. I. adv. Jud. cap. 2. p. 534. Teſtis denique longe locuples accedit Joſephus, qui de Bello Jud. lib. 7. cap. 12. alias 18. ſub *Herodis* aetate annis 30. citius, aut ſerius *Meſſium* Gentilibus ſuis anxie expectatum fuiſſe refert, & lib. 10. cap. 12. in Templi ſecundi excidio Danielis Prophetiam finem accepiſse agnoſcit. Quae pervulgatiſſima Judaeorum ſane perſuaſio Ethnicis ipſis, ceu Svetonio in *Veſpaſiano* cap. 4, & Tacito Hiſt. lib. 5. cap. 14. perſpecta approbe fuiſſe legitur: qua maxime perſuaſione ducti Seculi mox praeteriti Judaei, duce R. Mordochai in libro ביד מגדל *Mighdàl David*, ideſt *Turris David*, qui Danielis cap. XII. v. 11. ſqq. verba illa לקץ הימין *Lekètz Hajiamìn In fine dierum* de *Meſſiae* adventu intelligenda docuit, per Kabalam Numerum annorum a Mundi creatione ad *Meſſiae* adventum ex litteris illis ſubducentes, ita nempe ut apud ipſos in Numeris ל valeat 30, ק 100, ץ 90, ה 5, י 10, מ 40, י 10, & ן 50, inde ſummam 335. confecerint, cui addito millenario, qui Dan. cap. XII. v. 12. legitur אלף *Eleph Mille*, annum collegerint Mundi 5335, qui in Aera Chriſtiana fuit 1575, quo *Meſſiae* adventus illis conſignatus fuit; adeo ut anno 1666. in Urbe Aleppo pro *Meſſia* habitus fuerit *Sciabbathài Tzeul*, alterque deinde nomine *Mardochaeus*, de quibus legendi Wagenſeilius in Mantiſſa ad librum *Sota* p. 1173, ac in Epiſtola ad quemdam hin-

linguae Hebr. Profeſſorem in Italia die 27. Maji 1682, apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T.IV. p.47. ſqq. Qua de re tandem, qui Judaeos ſuis met jugulandos gladiis ſibi adſumpſere, conferendi prae aliis Bartoloccius, Imbonatus, Huetius loc. cit., Bernardus Lamy in Appar. Chronolog. Par.II. cap.3. §. 5. ſqq. p.143. ſqq., Petavius de Incarn. lib. 16. cap. 8. ſqq., ac ſi licet, Conſtantinus l' Empereur in Itinerar. Benjamini Tudelen., Grotius cit. lib.5. de Verit. Relig. Chriſt., Limborchius Theolog. Chriſt. lib.3. cap.27. p.283. ſqq., Wagenſeilius in Proleg. ad Tela Ignea p.77. ſq.; & in Confutat. Carm. Lipman. p.631. ſqq., Gurtlerus in Syſtemate Theolog. Propheticae p.374.ſqq., Gouſſetus inConfutat. libri R.Iſaaci *Chizzuk Emunah*, Joh.Mullerus in Judaiſmo detecto p.294.ſqq., Theodorus Hackſpanius in Apologia adv.Lipmanni *Nizachon*, in Sylloge diſput., in Miſcellan. Sacr., & in Not. Philolog., Deylingius Obſerv.Sacr.Par.III. Obſ.21.p.182.ſqq., Edzardus in ConſenſuAntiquit.Judaic. cum Explicat. Chriſt.; Hottingerus diſſert. 2. de Hebdom. Dan. §.10. ſq. p. 90. ſqq., innumerique alii Wolfio memorati Bibl. Rabb.T.II. p.994, 1013, & T.IV. p.456, & 463. ſq., ac Fabricio in Syllabo Script. de Verit. Relig. Chriſt. cap.31. p.567.

X. Annis itaque 490. ſimplicibus definitas *Hebdomades* LXX. haſce fuiſſe teſtatum affatim fecimus, apertumque, ut ne leve quidem dubitandi ſuperſit locus. An vero anni hi *Lunares*, an *Solares* habendi ſint, lis eſt adhuc inter Eruditos Interpretes. Pro *Lunaribus* pugnant utique Julius Africanus apud Euſebium Demonſt. Evang. lib.8. cap. 2, S. Hieronymum in Dan. IX. Oper. T.V. edit. Veron. p.682, & Syncellum Chronog. p.323. edit. Pariſ., Ven. p.257, Theodoretus in Dan. IX, Euſtathius Antioch. ad Olymp. 186, V. Beda, Zonaras, Anonymus Martenianus, Rupertus, Dionyſius Carthuſ., Pererius in Dan. lib. 2. Par. III. diſput. de Hebd. LXX, Gordonus in Chron., Salianus, Torniellus in Annal., Huetius Dem. Evang. T.II. p.479. ſq., Samuel Baſnagius in Annal. Eccl. Polit. T.II. diſſert. 8. §. 3. p. 532, eo maxime ducti momento, quod *Hebdomades* Danieli IX. 24. נֶחְתַּךְ in Latina Vulgata *Abbreviatae*, in LXXVirali Graeca Verſione *Συνετμήθησαν Decurtatae* dicuntur. Qua in re oppido falluntur; vox namque He-

Hebraea נֶחְתַּךְ: *Nechttach Deciſas*, ſive *Decretas* indicat, ideoque *Abbreviatio* illa, de qua Vulgata, & Tertullianus adver. Jud. cap. 8, ſeu *Decurtatio*, de qua Verſio Graeca LXX, non diminutionem temporis, ſed determinationem importat, velut habent Verſiones Syriaca *Morabuntur* referens, Arabica *Praefinitae* legens, Tigurina, Junii, & Tremelii, Pagnini, Vatabli &c., explicat Theodoretus, ac viderunt Arias Montanus, Lyranus in Dan. IX. Gloſſ. T.IV. p. 1611, & in libel. adv. Jud. ad calcem Gloſſae in Apocalyp. T.VI. p. 1706. ſq., Salmeron in Epiſt. ad Tuccium Oper. T. XVI. p. 412, &c.; ſive indicat *Contractionem*, ortaque videtur ex verſione Oʹ συνετμήθησαν, ideſt in *Brevem ſummam contractae*; unde Graecis Λόγος συντομος eſt oratio conciſa, ut ſenſus ſit, quod a Deo, qui plures ſtatuere potuiſſet, *Hebdomades* tamen paucas, neque LXX. plures uſque ad Chriſti D. adventum fuiſſe ſtatutas, velut explicant Bernardus Lamy in Appar. Chronolog. Par. II. cap. 4. §. 7. p. 167. ſq., Helvicus de Hebdom. LXX. §. 26. ſq. Crit. Sacr. T. VI. p. 505, Gejerus, aliique in hunc loc. in Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1515. ſq. Quo circa non erat ſane, cur Harduinus ſub Euſebii Rom. nomine latitans in Apolog. diſsert. de Hebd. LXX. cap. 4. ſq. p. 886. ſq. invidiam Lamyo inde fruſtra conflare tentaret, quaſi is minus religioſe erga Vulgatam egiſſet, ideoque erga Eccleſiam, cui Vulgata probata quammaxime fuit, minus modeſte ſe geſſerit. Alteram hujuſce loci expoſitionem ingenioſe quidem, ſed parum, opinor, ſolide excogitavit P. Antonius Caſſinus Soc. J. Encyclop. Sac. Script. T. II. Par. I. Tract. 3. Prop. V. p. 73. ſqq., qua & ſuam de *Hebdomadibus* LXX. ab *Artaxerſis Longimani* anno 20. repetendis Chronologiam defenderet, juxta quam ipſe ab eo *Artaxerſis* anno 20. uſque ad Chriſti D. mortem annos 477. dumtaxat effluxiſse ſupponit. Ita nempe *Abbreviatas* intelligi debere *Hebdomades* illas, ut tum harum prima fuerit tantum incepta, harumque poſtrema completa neque fuerit, adeo ut ex prima, ac poſtrema annis 7, vel etiam 13. detrahi commode poſſint. Verum ejuſmodi explicationem *Abbreviatio* Hebdomadum admittere nequit, quae vim Danielis Vaticinio manifeſtam infert, integram unam, ac ferme geminam detrahendo Hebdoma-

madem; nam tum reapſe non amplius *Hebdomades* LXX. eſſent. Deinde ſi Caſſino ideo abbreviandae *Hebdomades* ita viſae ſunt, ut inde detractis annis 7, aut 13, reliqui ab anno 20. *Artaxerſis* ducti cum annis Chriſti rite cohaererent, ei ſatius eſſe oportebat ab *Artaxerſis* anno 7. *Hebdomades* inchoare, hiſce integris relictis. Demum annum 21. *Artaxerſis*, Mundi 3561, Periodi Jul. 4271, ante Chriſti natalem 443. *Sabbathicum* fuiſſe vidit, & falſus eſt ipſe Caſſinus: quid igitur aptius ei fuiſſet, ſacroque Vaticinio conformius, quam cum Petavio, Uſſerio &c. *Artaxerſis* imperium anticipare, & ab anno ipſius 20. exeunte, ſive 21. ineunte, Mundi 3554, Periodi Jul. 4264, ante Chriſtianam Aeram 450, qui *Sabbathicus* fuit, *Hebdomades* inchoare, quae ideo *Hebdomades* adpellatae ſint, quod eo quoque anno coeperint, quo *Sabbathicus* ſolemnis recurrebat? Quid viciſſim ineptius, ac Danielis Vaticinio repugnantius *Hebdomadum* LXX. inde deducere quidem initium velle, ita tamen, ut indidem anni 6. detrahendi omnino ſint, ſive ut anno *Artaxerſis* 20. elapſi jam anni 6. ſupponantur? Sed de hiſce ſatis jam, atque ſuper. In viam itaque, lineamque regrediendo, ex hactenus dictis id conſequitur demum Annos illos *Hebdomadibus* hiſce indicatos *Solares* habendos eſſe, cujuſmodi Judaeis perpetuo fuiſſe uſu, quamvis *Lunares* ipſis adhiberi Menſes ſolerent; numquam tamen annos mere *Lunares* adhibitos fuiſſe, aut ſi *Lunares*, eos attamen nonniſi ad *Solis* rationes aequatos Judaeis uſurpari conſueviſſe auctores ſunt liquidi R. Maimonides in *Hilchoth Kaduſc hachodeſch* cap. I. §. 1, & R. Abenezra Comm. in Levit. XXV, multiſque probatum dedere Lyranus in libello adv. Jud., & in Comment. ad Daniel. hunc loc., Abulenſis in Gen. VIII, Sigonius de Republ. Hebr. lib. 5, Torniellus ad an. M. 1656. n. 24, Spondanus ibid., Langius de Annis Chriſti lib. 1. cap. 9, Pererius in Gen. lib. 13. diſp. 6. n. 56, Mariana de Die Mortis Chriſti cap. 9, Henricus Philippi in Manuali Chronolog. ad Gen. V, Salianus ad an. M. 1656. n. 7, Tirinus in Chron. Sacr. cap. 4, Ricciolius in Chronolog Reform. T. I. lib. I. cap. 10, Sanctius, Livelejus, Derodonius, aliique Polo recenſiti Synopſ. Crit. Sacr. T. III. p. 1542. momento potiſſimo ducto ex Gen. VII. 11, & VIII. 3. ſq.

collatis cum Apocalyp. II. 2. ſq.; quo de argumento nobis affatim diſputatum Volum. I. de Menſ., & Annis Hebraeorum &c. Art. I. §. IV. ſqq. p. 336. ſqq. Feſta nempe quotannis eadem tempeſtate celebranda recurrebant Exodi XII. 18. XXIII. 15. ſq.; Levit. XXIII. 5. ſqq., Num. XXVIII. 16. ſq., Deuter. XVI, 13: quod ſane fieri, niſi Annus *Solaris* adhiberetur, nequibat; unde Perſis, & Aegyptiis Feſta per anni totius ideo contextum vagari conſuevisse, quod *Lunaris* apud ipſos primum Annus purus, putuſque uſurparetur, alibi oſtendimus. Annum Diluvii *Solarem* plane fuiſse ex praecit. Geneſis locis palam fecimus. Palam fit item ex Exodi XVI. 35, Numer. XXXIII. 38, Joſue V. 12, Judith V. 15. annos 40. peregrinationis in deſerto ad *Solis* periodum exactos fuiſse. *Solares* item fuiſse tam Annos *Sabbathicos* Exodi XXIII. 10. ſq., Levit. XXV. 3. ſq., quam *Jubilaeos* Levit. ibid. 8. ſqq.; atque *Solares* denique Annos LXX. Captivitatis fuiſse II. Paralip. XXXVI. 21. ſq., Hierem. XXV. 11. ſq., XXIX. 10, Daniel. IX. 2; unde conſequitur, ut *Solares* etiam annos 490. *Hebdomadum* LXX. aeſtimari oporteat, ideſt diverſi generis annos a Daniele eodem loci haud fuiſse uſurpatos.

XI. Jam vero tres in partes Danielis Prophetiam diſpeſcere, pro recta ipſius intelligentia, prout ab ipſomet profecta eſt, opportunum accidit, ideſt in *Hebdomades* VII, LXII, & I, ſive ultimam, cujus ſub dimidio Chriſto D. mors inferenda praedicitur. Sunt enim vero, quibus heic purus interveniſſe, putuſque Hebraiſmus videtur; ſiquidem Hebraei, non ſecus ac Orientales univerſim alii, numerorum ſummam per partes enuntiare ſolent, atque ita quidem, ut minores majoribus praeferant, velut Ezech. XLV. 12. Mina dividitur in Siclos 20, 25, 15; ac ita Pererius, Sanctius, Bailius, Cornelius a Lap., Scaliger in Prolog. de Emend. Temp., Grotius in Dan. IX. 24. ſq. Crit. Sacr. T. III. p. 715, & in Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1560. Verum hoc loci non abſque myſterio *Hebdomades* in VII, LXII, I. diſtributas fuiſſe inde ſuadetur, quod ubi fit, ut minores numeri praeferantur majoribus, id fit ordine, & proportione: heic vero *Hebdomades* VII. ante quidem *Hebdomades* LXII. ponuntur, ſed poſt LXII. demum *Hebdo-*

domas I. putanda recenſetur. Deinde ſi myſterium hoc loci haud interfuiſſet, quorſum *Hebdomades* LXX. uno prius denuntiatae numero in tres poſtea diſpoſitae numeros denuo fuiſſent, niſi ſeparatim eventus praeſignari ſingulares ab Angelo Propheta intellexiſſet? Junge, quod duplex heic intervenit Hebraicus accentus, videlicet *Rebbia* ˙ ſupernus ad vocem דָּבָר *Dabar*, *Sermonis* adpoſitus, quo dictio una ab altera ſecernenda indicatur, primam dictionis partem in duo ſecans inciſa, ita ut dictionis exordium *Scito*, *& animadverte ab exitu Sermonis &c.* diſtinguat a dictionis argumento, ſive a complemento eventus denuntiati: *Et poſt Hebdomades Sexaginta duas &c.*, adeoque ut primo eventus intervallo *Hebdomades* VII. deſtinatae indicentur, ſecundo intervallo *Hebdomades* LXII. Accentus item *Athnac* ˄ infernus voci שִׁבְעָה *Scebah*, *Septem* adfixus, duobuſque punctis aequivalens, quo colon, ſive membrum orationis diſtinctum oſtenditur, vocem *Septem* diſtinguendo a voce *Sexaginta duo*, medium verſum in duas ita ſecando partes, ut indicet primo temporis ſpatio *Hebdomades* VII. Judaeorum regreſsui, Templique reſtaurationi deſtinatas eſse, inſequenti vero *Hebdomades* LXII. ita inſumendas, ut earum initium Urbis aedificationi, exitus vero Chriſti D. neci deſtinatus intelligi daretur, pro ultimo vero temporis intervallo *Hebdomas* I. poſt Chriſti D. obitum cum Urbis, Templique excidio, cum Hoſtiae, Sacrificiique abrogatione, cum Gentis ubique terrarum diſperſione complenda deſignaretur. Atque ita ſane intelligendas *Hebdomades* illas diſtinctim, futuros juxta diverſos eventus, expliciti ſſime docent S. Cyprianus de Computo Paſch. edit. Amſt. Felli p.215. ſq., ſi ejus tamen eſt foetus, Euſebius Demonſt. Evang. lib.8. verſ. Donati Veron. p.132, S. Jacobus Niſibenus in Serm. 18. adverſus Judaeos edit. Antonelli p.394. ſq., aliique plures: qua de re Hottingerus diſsert. 2. de Hebd. Daniel. §.23. p.115. ſqq., Henricus Benzelius in diſsert. de Hebd. LXX. Poſitione IX. Oper. T. II. p 35. ſq., & Samuel Baſnagius Annal. Polit. Eccleſ. diſsert. 8. §. 12. p. 535. ſq. Itaque *Hebdomades* VII. ſub Captivitate abſolutas fuiſse docet S. Hippolytus apud S. Hieronymum in Dan. IX. Oper. T. V. edit. Vallarſ. p.689: quocum facit Marshamus in Can. Chron. Secu-

lo XVIII. p. 910. ſqq. eaſdem ab ipſo, quo Daniel prophetiam hanc edidit, anno *Darii Medi* 1, Nabonaſſari 162. incipiendas opinatus, finitaſque cum ipſa Captivitate. Anno Aerae Chriſtianae 49. expletas Apollinarius Laodicenus apud S. Hieronymum loc. cit. Cum Templi ſecundi reaedificatione fuiſse completas Euſtathius Antioch. apud Goarum in Annot. ad Syncellum edit. Ven. p. 68. ſq. Poſt annos 49. a Templi primi, ac Urbis excidio ſub *Sedecia* Rege Origenes in Matth. Tract. 29. In perſonis *Joſedech*, & *Zorobabelis* Euſebius in Chron. Oper. S. Hieronymi T. VIII. edit. Veron. p. 617. ſq. Cum Templi, & Urbis aedificatione adimpletas Cornelius a Lap., Sanctius, Willetus, Lyvelejus, Polanus, L'Empereur &c. in Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1560. A *Cyri* edicto Hebdomades haſce VII. ineundas, finitaſque *Artaxerſis* I. anno 23, atque in *Eliazibo* Summo Pontifice adimpletas vult Iſaac Orobius Judaeus Hiſp. in Collat. cum Limborchio, ac in Paraphraſi ad Dan. Hebd. apud Baſnagium in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 37. §. 14. ſqq. p. 1043. ſqq. In ſecundo Chriſti adventu glorioſo, ac regali eaſdem adimplendas autumat Nevvtonus ad Dan. Vaticinia, & S. Johan. Apocalyp. cap. 10. de Vaticinio LXX. Hebd. p. 90. ſq. *Hebdomades* LXII. finem accepiſſe cum anno Mundi 434. putavit Origenes loc. cit.; cum Aerae Chriſtianae anno 483. Apollinarius. Sub *Alexandro Jannaeo* Euſebius Dem. Evang. lib. 8. p. 400; ſub *Antiocho Epiphane* Marshamus; ſub *Onia* Pontifice Harduinus; ſub *Ariſtobulo* Pontifice, ac Rege I. Judaeorum Orobius; cum Chriſti D. natali anno Nevvtonus loc. cit. Veriſſime in *Chriſti D.* Baptiſmo, & Evangelii praedicatione fuiſſe adimpletas docent Interpretes communiter, Pererius, Bailius, Medus, Calovius, Wichmanus, Polus &c. Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1559. ſq. *Hebdomadem* 1, ſeu ultimam completam denique cum Templi, Urbiſque excidio ſub *Tito* opinatus eſt Origenes; ſub *Hircano*, & Chriſti D. praedicatione Euſebius Dem. Evang. loc. cit., qui rurſus ſub *Chriſti D.* Principatu fuiſſe abſolutam docet Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 6. In *Chriſti D.* paſſione Euſtathius Antioch. apud Goarum. Cum primo *Epiphanis* ſeptennio, ante profanationem Templi Marshamus adimpletam putat. Sub *Anano* Pontifice Orobius. Anno ſe-

ſeptimo a Chriſti D. obitu Nevvtonus. Adimplendam viciſſim nonniſi demum ſub *Antichriſto* fore adfirmare non dubitarunt S.Hippolytus de Antichriſto p.59, S. Irenaeus adverſ. Haereſ. lib.5. cap.25, Apollinarius Laodic. apud S. Hieronymum, Julius Africanus apud eumdem, S. Cyprianus loc. cit., S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. xv. § 9. ſq. edit. Touttaei p.227. ſq.; queis opinione adſtipulari non dubitavit IſaacusNevvtonus Obſervat. ad Danielis Vaticinia, & S. Johannis Apocalypſim cap.10. p.90. ſq. Sed hocce de argumento rurſus, ac diffuſius infra, ubi de Prophetiae hujuſmodi in perſona Chriſti D. complemento.

XII. Quod jam ad ſecundum propoſitae quaeſtionis attinet caput, ad *Epocham* nempe, e qua *Hebdomades* LXX. incipere, & in qua finire perinde oporteat, tot Epocha iſthaec, tamque implexis undique obſita, implicataque difficultatibus eſt, ut mirari non ſubeat, quanta, & quam atrox, & quot inter Eruditos oborta fuerit de harum *Hebdomadum* tum cardine, tum coronide lis, ac diſſenſio; adeo ut octo ſuo tempore dinumerare S. Hieronymus in Dan. IX, ac Pererius ſex ſupra decem recenſere diverſas potuerint opiniones, & poſt ipſos Tirinus in Chron. Sacr. cap.38. Indubitatum enim vero eſt utique *Hebdomadum* LXX. exordium ducendum eſſe *Ab exitu Sermonis* de reaedificandis Urbe, Temploque, quo a *Sermone* nempe divinus *Hebdomades* has uſque ad Chriſtum Ducem ſupputare Vates jubetur, atque docetur. At enim quaeſtio inde duplex oboritur 1.° Quis, cujuſque, & quando *Sermo* iſte exiverit. 2.° Quis, cujus, & quando Chriſtus hic *Dux* intelligi debeat, qua de ſecunda quaeſtione poſtea. Quod igitur ad primum, *Sermo* heic intelligi ſane nequit, niſi *Sermo* vel *Dei*, iſque enuntiatus vel *Iſajae* XLIV. 28. & XLV. 13, ubi *Cyrus* Urbem, & Templum reaedificaturus praedicitur; vel *Hieremiae* XXV. 1. 12, & XXVII. 11. 22, ubi Captivitas Babylonica duratura annis 70. praenunciatur ab anno 4. *Joachim* filii *Joſiae* Regis Juda; vel ejuſdem *Hieremiae* XXVIII. 1. 3. ſq., & XXIX. 10. 14, ubi regreſſus e Captivitate promittitur anno 4. *Sedeciae*; vel *Danieli* ab Angelo delatus IX. 23.ſqq., ubi *Meſſiae* adventus, obituſque poſt *Hebdomades* LXII, & Populi di-

diſperſio, Legiſque abrogatio poſt *Hebdomadem* lxx. praenuntiatur. Vel *Sermo Hominis* intelligi debet, iſque vel *Cyri*, a quo Edictum de Populo in libertatem adſerendo, Temploque Domini aedificando primum exivit II. Paralip. xxxvi. 22. ſq., I. Eſdrae 1. 2. ſqq., v. 13. ſqq., & vi. 3. ſqq.; vel *Darii*, a quo Decretum de Templo aedificando ſecundo prodiit I. Eſd. vi. 1. ſqq., Aggaei 1. 1. ſqq., & Zach. 1. 1. 16. ſq.; vel *Artaxerſis*, idemque iterum vel anno Regni 7, quo de Templo ſupellectili exornando, deque Sacrificiis Deo eodem in Templo offerendis Edictum tertio editum eſt I. Eſd. vii. 1. 11. ſqq.; vel ejus Regni anno 20, quo de Urbe reaedificanda decretum alterum ordine quartum ab eo latum eſt II. Eſd., ſive Nehem. ii. 1. 5. ſqq. Atque a *Dei ſermone* utique *Hebdomadum* lxx initium ducendum eſſe plerique ſtatuunt, non ab eodem tamen prorſus omnes. Utque omnino improbabilem Origenis ſilentio praeteream opinionem, qua in Matth. Tract. 29. Oper. T. III. edit. Maur. p. 859. *Hebdomades* haſce Decenniorum fuiſſe arbitratus, *Hebdomadem* ultimam poſt Chriſtum in Excidio Templi, & Urbis ſub *Tito* adimpletam quidem putat, quam idcirco a Chriſti D. nece exorditur, *Hebdomades* vii. ab excidio primi Templi, Urbiſque ſub *Sedecia* inchoandas autumat; at *Hebdomades* lxii. ab ipſo Mundi exordio incipere non dubitavit, adeo ut illud *Ab exitu Sermonis* interpretatus ſit *Ab exitu Verbi*, de quo Pſalmus xxxii. 6. *Verbo Domini Caeli firmati ſunt* &c., ut heteroclitam, inquam, hanc Origenis opinionem nullo in cenſu habeam; *Sermonis* hocce loci ſane a Daniele memorati exitum intelligendum eſſe de Vaticinio Hieremiae xxv. 1. 12, quo Judaeorum Captivitas Babylone, duratura annis 70. praenuntiata eſt anno Mundi 3321, juxta Hebraeorum computum apud Davidem Gantzium in *Tzemach David*, ante Chriſti adventum 439. pugnant cum ex Judaeis, tum ex Chriſtianis plerique. Itaque ab anno 4. *Joachimi* filii *Joſiae* Regis Juda, qui fuit annus 1. Captivitatis, ac *Nabuchodonozoris* Hier. xxv. 1, & Dan. 1. 1; juncto Theonis Canone Aſtronomico, Mundi 3320. juxta Hebraeos, uti dictum, juxta Daudaeum, ac Duhamelium in Not. ad cit. loca Hieremiae, & Danielis Mundi 3398, ante Chriſti natalem 604, juxta Uſſe-

Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p.65. Mundi 3398, ante Chriſtum 607, juxta Harduinum in Chron. Vet. Teſt. p.550. Mundi 3399, Urbis Romae C.149, ante Chriſtianam Aeram 605, juxta Bernardum Lamy in Appar. Chronolog. Par. II, cap.4. p. 152. ſqq. Mundi 3398, Periodi Juli. 4107, ante Chriſtum 607, *Hebdomades* LXX. incipiendas fuiſſe receptiſſima docent ſententia Rabbini paſſim Veteres apud David Gantzium loc. cit., ſignatimque R. Salomon, & R. Abenezra Comment. in Cant. Cant. VII. 5, ubi *Meſſiam* ante Templi ſecundi everſionem in Mundum adventurum ex antiquiſſima Majorum traditione adfirmat. Atque ita ſane explicitiſſime tradidiſſe leguntur in Cod. *Sanhedrin* cap. II. fol.97. circa med., Aggaei II. 7. ſq. Vaticinium exponentes, R. Akiba, magnae gentiles apud ſuos exiſtimationis, in Cod. *Jevamòth* cap.1. fol. 16, R. Salomon apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T.II. p. 466, RR. Jonathan, & Jehuda in cit. Cod. *Sanhedrin* apud Huetium Dem. Evang. Prop. IX. T.II. p.466, aliique longe plures, doctioreſque Rabbini nobis ſuper. §. VII. ſq. p. III. ſqq. memorati. Sed enim opinioni huic illud quammaxime officit, quominus veritati congruat, quod officere ſequenti opinioni pariter alteri mox palam fiet, Temporum nempe rationem. Ab Anno namque *Joachim* 4. uſque ad Chriſti D. in carne adventum annorum 604. ſpatium, amplius ideſt annis 114, quam *Hebdomadibus* LXX, ſive annis 490. a Daniele fuerat definitum, interpoſitum falſo ſupponitur. Nec hinc tamen procul abfuere Petrus Bleſenſis lib. contra Perfidiam Judaeor. cap. 13. Bibl. PP. Lugd. T.XXIV. p.1195, qui *Hebdomades* VII. in *Cyro* fuiſſe finitas putat, inde vero *Hebdomades* LXII. inceptas ſub *Tito* finem accepiſſe; Marshamus in Can. Chron. Aegypt. &c. Seculo VIII. p.612, qui *Hebdomades* VII. ab anno 4. *Joachim* Regis inceptas in *Cyro* finitas, & *Hebdomades* LXII. inde inchoatas in *Juda* Macchabaeo adimpletas ſtatuit; & Harduinus, qui Chronolog. Vet. Teſt. p.553, 558, 589, & 592. ſqq., & in Defenſ. adverſus Lamy ſub Euſebii Romani nomine praefixa Operi Petaviano de Doct. Temp., ſubnexaque perinde Hiſtoriae Auguſtae ipſiuſmet Harduini p.880. ſqq., ſua pro ſententia quin imo in partes vocatis S. Hieronymo, perperam tamen, V. Petro Cluniacenſi, Petro Bleſenſi contra perfidos Judaeos lib. I. cap. 19.

cap. 19, & Petro Alphonſo ex Judaeo Chriſtiano Seculo XII, *Ab exitu Sermonis*, ſive a Vaticinio Hieremiae xxv, & xxix, ideſt ab anno 4. *Joachimi* Regis Juda, ante Chriſtum anno 606, exeunte Olympiade 46, *Hebdomades* LXX. incipiendas opinatus eſt, atque ita quidem, ut *Hebdomades* VII. anno 1. *Cyri* finem acceperint, reliquae *Hebdomades* LXII. finiendae fuerint Aerae Graecorum anno 141, Olymp. 155, *Antiochi Epiphanis* anno 4, ſub *Onia* Pontifice M., ante Chriſti natalem anno 115. Verum *Hebdomades* LXX. in Chriſto D. litteraliter, & hiſtorice, nedum typice, & allegorice, fuiſſe complendas infra contra Marshamum, & Harduinum palam fiet: quo poſito utriuſque ſyſtema, tamquam a Prophetiae ſcopo, & ſenſu, ac SS. Patrum interpretatione immaniter aberrans, funditus corruere neceſſe ſit, utpote quo Chronologia ſtatuitur longo Aerae Chriſtianae exordium, & cardinem intervallo temporis antevertens.

XIII. Parum, & haud procul hinc abhorrent, qui per illud *Ab exitu Sermonis* intelligendum eſſe Hieremiae Vaticinium alterum XXVIII. 1. 3. ſq., & XXIX. 10. 14. de relaxanda poſt annos 70. Captivitate perſuaſum habentes, *Hebdomades* LXX. proinde ab anno 4, aut 11. *Sedeciae* Regis, qui fuit *Nabuchodonozoris* 12, aut 19, Hierem. XXXII. 1, Mundi 3324, juxta Hebraeos apud Bartoloccium, juxta Daudaeum, & Duhamelium in Not. ad cit. loc. Hierem. Mundi 3408, aut 3414, ante Chriſti natalem 593, aut 587, juxta Uſſerium Annal. Vet. Teſt. p. 69. Mundi 3409, aut 3416, ante Chriſtum 595, aut 588, juxta Harduinum in Chronolog. Vet. Teſt. p. 550, & Lamyum in Appar. Chron. p. 153. Urbis Conditae 159, aut 166, ante Chriſtianam Aeram 595, aut 588, qua de Epocha IV. Reg. XXV. 1, Hierem. LII. 4. ſq., Ezech. XXIV. 1. ſq., adeundique Gordonus in Opere Chron. cap. 13. ad Periodum VI, Jacobus Capellus in Chronolog. ad annos M. 3398, & 3414, Uſſerius in Chronolog. Sacr. Par. II. cap. 1 p. 86. ſqq., aliique, ab anno, inquam, *Sedeciae* 4, aut 11. *Hebdomades* LXX. incipiendas fuiſſe pugnant, qua ab Epocha dinumeratos annos 490. in Chriſti D. obitus annum incidere putant. Atque ita profecto ex Judaeis illi, quibus *Hebdomadum* initium ducendum

dum videtur a primi Templi everſione per *Nabuzardanum* facta Olympiadis 48. anno 1, Nabonaſſari 160, Mundi 3416. juxta Uſſerium, ante Chriſti natalem 588, poſtquam a *Salomone* condi ceptum annis 424, Menſibus 3, diebus 8. ſtetiſſet, III. Reg. VI. 1. ſq., VII. 51, II. Paralip. III. 1. ſq., V. 1, Hierem. XXXIX. 8, & LXII. 12. ſq., finemque *Hebdomadum* faciendum in ſecundi Templi excidio per *Titum* illato perſuaſum fuit, adeoque ut per annos 70. jacuiſſe primi Templi rudera putent, per annos vero viginti ſupra quadringentos ſtetiſſe Templum ſecundum velint. Cujuſcemodi ſane in opinione ſunt Thalmudiſtae in *Avodà Zara* cap. 1, Auctor *Seder Olam Rabba*, R. Salomon Jarchi, R. Saadias Gaon &c. in Dan. IX; quos turpi in errore tamen obverſatos inde oſtendere adgreſſus eſt Abenezra in Dan. IX, (uberius id vero Lyranus in Dan. IX. Gloſs. T. IV. p. 1613. ſq. eſt exequutus;) quod a capta *Sedeciae* anno 11. Urbe, Temploque vaſtato uſque ad *Veſpaſiani* annum 2, quo Templum ſecundo incenſum, Urbſque diruta fuit, *Hebdomades* XCIV. annorum decurriſſe deprehendantur. Dignus ipſe tamen Abenezra, qui reprehenderetur viciſſim ab Huetio Dem. Evang. Prop. IX. cap. 8. §. 19. T. II. edit. Ven. p. 487. ſq., quod ab everſione primi Templi uſque ad annum 2. *Darii Hyſtaſpidis* Captivitatis annos 70. interceſſiſſe, quod R. Saadias adfirmarat, ipſe pernegat Abenezra, interfuiſſe annos 49. dumtaxat adſtruens. Quippe a primi Templi excidio uſque ad *Cyri* annum 1, ſub quo ſoluta Captivitas eſt, anni 50. interceſsere, quot nempe ab anno 588. ante Chriſtum elapſi ſunt uſque ad annum 537. Indidem vero ab everſione primi ejuſdem Templi uſque ad annum 2. *Darii Hyſtaſpidis* anni 66. effluxere, quot videlicet ab anno ante Chriſti natalem 588. interfluxerunt uſque ad annum 522, qui fuit *Darii Hyſtaſpidis* annus 2: qua de re plura Petavius, Uſſerius in Annal. p. 79, Chronologique paſſim alii. Judaeis in hacce nihilo ſecius opinione adſtipulari non dubitarunt e Chriſtianis Lyranus, qui poſtquam Comment. in Dan. Gloſs. T. IV. p. 1613. ſq. R. Salomonis hypotheſim operoſe exagitaſſet, atque veluti veri longe ſimiliorem eam, quae *Hebdomadum* LXX. ab anno 20. *Artaxerſis Longimani* initium acceſſit,

ambabus ipſe fuiſſet amplexus ulnis, poſtea mutata ſententia p. 1619. *Ab exitu Sermonis*, ſcilicet a Vaticinio Hieremiae XXIX, hoc eſt ab anno 4. *Sedeciae*, Hierem. XXVIII, *Hebdomades* haſce inchoandas cum RR. Salomone, & Saadia eo contendit momento permotus ab aetate *Mardochaei* petito, quod grave ipſi negotium faceſſivit, levi nobis infra brachio diſſolvendum. Ita & cum Judaeis Vatablus Crit. Sacr. T.III. p. 706. ſq., Burgenſis, Raymundus Martini in Pug. fid., Petrus Galatinus de Arcan. Eccl., Petres Alphonſus ex Judaeo Chriſtianus in Dialogo cum Moyſe Judaeo tit. 9. ex Poſſevino in Appar. Sac. translato in Bibl. PP. Lugd. T. XXI. p. 204. ſq., & apud Voiſinium in Obſervat. ad Pugionem fid. §. 22. p. 231; quò perinde haud procul abſuit Bartoloccius Bibl. Rabb. T.II. p. 327. ſq., ubi hanc ex Rabbinis Chronologiam expromit, ipſeque haud improbat. Nempe annis vel *Nabuchonozoris* 8, *Sedeciae* 4, aut 11. adjuncti *Nabuchodonozoris* anni Regni 39, aut 34, aut 27. reliqui, *Evilmerodachi* 23, *Balthaſſaris* 3, *Darii Medi* 3, *Cyri* 3, *Aſſueri* 14, *Darii* 6, Templi ſecundi 420. efficient annos 511, aut 506, aut 499, a quibus anni 490, quo Chriſti D. interitus conſignatur, abſtracti relinquent annos 21, aut 16, aut 9. uſque ad Templi ſecundi excidium. Verum non uno errore Chronologiam hancce deficere ſeqq. ex paragraphis, queis Perſarum Regum Chronologia, quae veri haberi debeat ſimilior, graviſſimis Veterum ſtatuetur documentis, indeque uſque ad Chriſti D. Natalem deducetur, palam fiet, longe nempe plures fuiſse Perſarum Reges, qui poſt *Cyrum* Babylone imperarunt; longeque prolixius fore idcirco definiendum temporis ſpatium, quod ab anno 4, aut 11. *Sedeciae*, ſive a primi Templi devaſtatione uſque ad Templi ſecundi deſtructionem, & ad Chriſti D. in carne adventum interfluxit. Conferendi interea Lyranus loc. cit. p. 1613. ſq., & Huetius cit. T. II. p. 487. ſq.

XIV. Neque veri ſane ſit magis ſimilior eorum opinio, qui *Ab exitu Sermonis* ipſi Danieli cap. 9. ab Angelo denuntiati *Hebdomades* LXX. dinumerandas fore putant, ideoque ab anno 1. *Darii Medi*, ſive *Cyri*, qui fuit Mundi 3390, juxta Chronologiam Judaeorum apud David Gantzium in *Tzemach* Da-

David : qua in opinione fuere Rabbinorum nonnulli cum Veteres S. Hieronymo in Dan. IX. T.V. p. 696. memorati, tum Recentiores in *Seder Olam Rabba* cap. 29. ſq., Chronico Majori, & in *Seder Olam Zuta*, Chronico Minori, ſignatimque R. Salomon Jarchi apud Baſnagium Hiſt. Jud. T.V. p. 110, Abraham Zacuthus in Chronico *Juchaſin* p. 137. col. 2, R. Abarbanel Comment. in Dan. p. 70. col. 3. apud Hulſium in Theolog. Jud. Adpend. p. 552, Iſaac Orobius in Collat. cum Limborchio, & in Explanat. Hebd. LXX. apud Baſnagium in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 37. p. 1050. ſqq.; quibus nempe Perſarum Reges, qui Babylone imperium deinceps obtinuiſſe feruntur, quatuor dumtaxat, haud amplius, uſque ad *Alexandrum* M. agniti ſunt, non plures videlicet, quam quot in S. Scriptura numerati leguntur, *Cyrus* II, *Cambyſes*, *Aſſuerus*, & *Darius Artaxerſes*, ſub quo Templi aedificatio fuerit abſoluta; neque plus, quam annos 34, aut 50. imperaſſe; adeo ſcilicet ut *Hebdomadum* LXII. exitum in Tempora excidii a *Tito* Templi ſecundi referendum, indeque deductas *Hebdomades* VII. in Cladem ab *Hadriano* Judaeis inlatam conferendas omnino opinentur. Qua parum oppido abſuere ab opinione Marshamus in Can. Chron. Seculo XVIII. p. 610. ſqq., qui a *Dario* Medo Hebdomades VII. incipiens eaſdem finit cum anno 1. *Cyri*, a quo Hebdomades LXII., ſive annos 434. exorſus, eaſdem cum anno 1. *Antiochi Epiphanis* complet, adeoque ut Hebdomada ultima anno demum hujus 7. & ipſa finierit; atque Harduinus tam in Chronologia Vet. Teſt. p. 551. ſqq., quam in ſuae adverſus Lamyum opinionis defenſione p. 881. ſq. non aliorum utique in *Hebdomadum* LXX. texenda ſupputatione Perſarum Regum habendam rationem ratus, quam horum quatuor dumtaxat a Daniele X. 1, ab Eſdra VI. 5. ſq., & a Nehemia II. 1. memoratorum. Sed enim turpis, immaniſque horum error inde validiſſime exploditur, tum quod praeter hoſce quatuor, tres profecto alii quoque Perſarum Reges ex S. Scriptura ipſa eruuntur, *Xerſes* Dan. XI. 2, *Artaxerſes* duo I. Eſdrae IV. 7, VII. 12, & II. Eſd., ſive Nehem. II. 1, & *Darius* alter II. Eſd., ſive Nehem. XII. 22; falſo viciſſim *Cyrus* II. Judaeis fingitur; nullibi quippe duos

Babylone regnaſſe *Cyros* conſtet; falſo *Darius* Judaeis *Artaxerſes* cognominatur, quin hic ab illo diſerte, non ſecus ac uterque ab *Aſſuero* diſtinguitur I. Eſd. iv. 5. 6. 7, ubi diſtinctim de *Cyri*, *Darii* (Hyſtaſpis), *Aſſueri* (Cambyſis), *Artaxerſis* (Oropaſtis) regnis agitur; iterum I. Eſd. vi. 14, ubi diſtincta fit mentio de *Cyri*, *Darii*, & *Artaxerſis* Decretis pro Templi, Urbiſque reaedificatione; itemque I. Eſd. vii. 7. ſqq., & II. Eſd., ſive Nehem. ii. 1. ſqq., & v. 14. gemini *Artaxerſis* (Longimani) Decreti pro inſtauratione Templi anno Regni 7, & pro reaedificatione Urbis anno Regni 20. mentio fit. Tum quod ex profana Hiſtoria plures alios e Perſis Babylone dominatos liquido conſtat, quos non eſt utique, cur in Judaeorum gratiam non hunc in cenſum admittamus: ut qui plane Danielis haud aſſequuti ſunt ſenſum cum cap. vii. 17, quo loci dicta de quatuor Regnis Babylonico, Perſico, Macedonico, & Romano, non de quatuor Regibus dumtaxat accipi debent; tum cap. xi. 2, quo loci de quatuor Perſidis Regibus ita fit ſermo, non ut hi ſoli Babylone dominati intelligantur, ſed ut horum res cum Judaicis connexae darentur intelligi, ac ita Graeci a *Xerſe* devicti, ac *Darius* ipſe viciſſim demum a Graecis devincendus indicarentur. Unde fit tandem, ut tam longe major, quam annorum 34, aut 50, temporis ſumma a *Cyro* ad *Alexandrum* M. effluxerit, tamque major, annorum idest 208. ad minus; veluti oſtendendum nobis infra erit, ut Chriſti D. Natalem *Hebdomades* lxx. a *Cyro* ſupputatae annis 44. excedant; a *Cyro* vero ſupputatae uſque ad initum ab *Hadriano* Imperium anni 652. interfluxerint. Quo peccato ſane in Gentilium ſuorum aliis ab ipſo reprehenſo gravius ipſe peccaſſe deprehenditur R. Abenezra Comm. in Dan. ix, qui a *Cyro*, ſive a *Dario Medo Hebdomades* vii. incipiens cum *Nehemiae* itinere Hieroſolymitano anno Regni *Artaxerſis Longimani* 20. concludit: quum *Hebdomades* plus xv. interceſſerint; ab anno vero *Artaxerſis* 20. initas *Hebdomades* lxii. in ſecundi Templi conflagratione complet; quum plus tres ſupra ſeptuaginta interfluxerint. Conferendi Huetius Dem. Evang. Prop. ix. T.II. p.486. ſqq., ſique licet, libetque, Jacobus Baſnagius Hiſt. Jud. T.V. p. 109.

p. 109. ſqq., Matthaeus Polus in Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1539. ſq., Conſtantinus l'Empereur in Praefat Joſephi Jachiadis Paraphraſi in Dan. praefixa, Joh. Friſchmuthus in diſſert. de Hebdom. LXX. in Sylloge diſſert. Vet. Teſt. p. 910, & Salomon Deylingius Obſervat. Sacr. Par. III. Obſ. 20. p. 177. ſqq., quo de argumento nobis operoſius agendum infra §. XVIII. ſq. recurret.

XV. Cum hacce praepoſtera Judaeorum hypotheſi concidere perinde conſequens eſt tum eorum e Chriſtianis noſtris opinionem, quibus hac in palaeſtra Judaeos pone ſequi haud abſurda viſa res eſt, ideoque ab ipſo Danielis Vaticinio, ideſt a *Darii Medi* anno 1, ſive anno 1. ante *Cyrum*, *Hebdomades* LXX. inchoandas perſuaſum fuit; cujuſmodi fuere Origenes, & Tertullianus apud S. Hieronymum in Dan. IX. T. V. p. 691, hoc eſt ille in Matth. Tract. 29, iſte adv. Judaeos cap. 8. edit. Havercampi Ven. p. 190. ſqq., ubi tamen in texenda Perſarum Regum, non ſecus atque Romanorum, (ut de Macedonum nihil dicam), Chronologia egregie fallitur; quippe qui Perſarum Reges uſque ad *Alexandrum* M. quinque dumtaxat recenſet, neque magis vere eorum Regni annos exequitur, *Dario* annos 19. tribuens, *Artaxerſi* 40, *Ocho* ei dicto etiam *Cyro* annos 24, *Argo*, ſeu *Arſi* I, *Dario* alteri ipſi *Melae* cognominato 21: qua de Chronologia plura nos infra. Ad haec vero *Cleopatrae* cum *Auguſto* Regni annos 13. tribuit, *Auguſto* vero poſt *Cleopatram* annos inſuper 43, qui fuere dumtaxat 29. *Auguſtum* item annos 15. natali Chriſti D. ſupervixiſſe ſcribit, qui ipſius alioqui ſententia vixit annos 56. dumtaxat; ac poſt annos 13. cum *Cleopatra*, annos 43. non amplius, (etſi falſo), vixiſſe *Auguſtum* ipſemet adfirmat: qua de re Pamelius in Not. Origenem, ac Tertulianum in hac ipſa opinione ſectati S. Cyprianus, ſive vetus Auctor lib. de Computo Paſch. edit. Amſt. Felli p. 215. ſq. a *Cyri* regni principio *Hebdomades* LXX. computandas autumat, ita ut *Hebdomades* LXII. in *Chriſti D.* in carne adventu completae fuerint, *Hebdomas* ultima vero in *Antichriſti* regno adimplenda ſit; Euſebius Praep. Evang. lib. 8. cap. 1. apud S. Hieronymum loc. cit. p. 684. ſq. ab ipſo

ipſo Danielis Vaticinio quoque , hoc eſt a profectione Hieroſolymitana , quam a *Cyri* impetrato ejuſdem anno 1, ante Chriſtianam Aeram anno 533, Edicto adornandam ſuſcepere *Zorobabel* , *Joſue* filius *Joſedech* , *Nehemias* , aliique I. Eſd. 11. 2. ſqq. , *Hebdomades* LXX. ineundas opinatus ; cujus etiam opinionis fuiſſe videtur S. Jacobus Niſibenus Serm. 18. adv. Judaeos edit. Antonelli p. 394. ſq. *Hebdomades* VII. a *Cyro* incipiens , *Hebdomades* LXII. ab *Artaxerſis Longimani* anno 20 , atque ultimam cum Chriſti D. nece concludens ; S. Hieronymus ipſe quoque cit. T. V. p. 694. ſq. ab anno 1. *Darii Medi* , quo Prophetia Danielis haec edita fuit , *Hebdomadibus* LXX. initium faciendum arbitratus ; ac V. Petrus Cluniac. in Tract. adv. Judaeos cap. 4. ab anno 1. *Darii* , quo viſio Danieli oſtenſa eſt , *Hebdomadum* LXX. exordium cum Tertulliano ducendum exiſtimans . Tum eorum perinde , qui hinc haud ſane procul ſtantes ab anno 1. *Cyri Hebdomadum* LXX exordium capere maluere ; cujuſmodi veniunt in cenſum Clemens Alexandrinus Strom lib. 1. edit. Potteri Ven. p. 393. ſq. apud S. Hieronymum in Dan. IX T.V. p. 690. ſq., ipſumque pone ſequuti Marianı, Clarius Crit. Sacr. T. III. edit. Francof. p. 709 , Waſmuthus , Rainoldus in Praelect. , Beroaldus , l'Empereur , Broughtonus &c. Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1540 , Charron in Demonſt. Evang. , ſive Perpetuitate verae Relig. , Agnetius in Chronolog. MS. &c: quam ſane opinionem hiſce potiſſimum argumentis confirmare pro viribus ſatagunt. 1.° Quod de *Exitu Sermonis* loquens Angelus , de *Sermone* , qui primus a *Cyro* exiit , intelligi profecto debeat , eoque quammaxime , quod a *Dario* , & *Artaxerſe* proprie *Sermo* non exivit , ſed magis *Sermonis* , Edicti ideſt a *Cyro* egreſſi confirmatio I. Eſd. VI. 1. ſqq. 2.° Quod *Cyri* Edictum de regreſſu Populi , deque Urbis reaedificatione , ל praefixo , quo in *Hiphil* denotatur cauſſa , cujus virtute fit actio , ita detur intelligi , ut ejus unius cauſſa , & virtute tam Judaei regreſſi fuerint , quam Urbs fuerit reaedificata ; ſic enim habet Textus Hebraeus Dan. IX. 25: *Ab exitu Sermonis* לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת *Laſcib Ulibnoth Ad reverti faciendum , & ad aedificandum Jeruſalem* , adeo ut ab eo

Cyri

Cyri Decreto, velut a prima, unaque cauſſa regreſſus Populi, reaedificataeque Urbis repeti *Hebdomadum* LXX. cardo omnino debeat. 3.° Quod annos LXX. Captivitatis, & *Hebdomades* LXX. Hierem. XXIX. 10. ita conjungi adparet, ut Captivitatis annis 70. completis immediate anni 490. incipiendi videantur, ideoque anno 1. *Cyri*, quo anni 70. finierunt II. Paralip. XXXVI. 22, incipere *Hebdomades* LXX. oporteat: nam alioquin in Chronologia heic una ab Angelo ſerie contexta ingens annorum prope centum hiatus intercederet.

XVI. Verum his haud caeteroqui ſane contemnendis momentis adverſae Patroni ſententiae ita facere ſatis haud defatigantur reſpondendo ad 1.m *Exitum Sermonis* ab Angelo indefinite propoſitum aeque de *Cyri*, atque de *Darii*, & *Artaxerſis* Edicto accipi commode poſſe: exemplo vero etſi praeiverit *Cyrus*, tam principale tamen *Darii*, & *Artaxerſis* haberi Decretum, quam *Cyri* debere, in quos poteſtate ſibi pares imperium ipſe, influxumque habere nequivit. Ad 2.m In *Cyri* Edicti vim aeque, quam in vim Decreti *Darii*, & *Artaxerſis* ſubinde Templum aedificatum fuiſſe, Urbemque exſtructam; unde non eſſe, cur illi potius, quam his acceptus referri debeat *Exitus Sermonis* Angelo memoratus: quin imo hiſce prae illo referendum *Exitum Sermonis* fore, quippe cum Templi opus ſub *Cyro* vix inceptum, ſub *Cambyſe*, & *Smerde* interruptum, *Darii* Edicto inſtauratum eſt; tum opus Urbis unius *Artaxerſis* Decreto eam, quae Nehemiae viſa fuerat, induiſſe formam demum liquet. Ad 3.m Etſi cum Captivitatis annis 70. uno ſermonis contextu anni 490. conjuncti ſint, non inde ſequi, ut tempore pariter copulati fuerint: ſiquidem plus vice ſimplici, paſſimque in S. Scriptura, velut ex Daniele ipſo Capp. VII, & XI. liquet de quatuor Orbis Regnis, longiſſimo alioqui temporis intervallo diſſitae res, conjunctae leguntur; ſcitumque diu vel illis, qui haud aere lavantur, illud eſt in S. Scriptura fruſtra hiſtoricam, continuamque quaeri Chronologiam: quod in unaquaque Mundi Aetate contigiſſe, Par. II, ſi Superis placebit, operoſe palam faciemus. Non urgere itaque momenta iſthaec pro opinione iſtiuſmodi producta concludunt; obſta-

obſtare ex adverſo pleraque oppido, atque graviora, quo minus ab anno I. *Cyri Hebdomadum* LXX. capiatur exordium. Obſtare 1.° nempe manifeſtiſſime Temporum rationes, juxta quas exacte, quoad ejus fieri poterit, a nobis infra ineundas, ab anno 1. *Cyri* uſque ad Chriſti D. natalem diem annos interceſſiſſe 534. adminus ſiquidem conſtet, inde fit evidentiſſimum, ut cepti ab anno 1. *Cyri* anni 490. compleri in Chriſti D. adventu nulla ratione queant. Intervalla vero temporis inter annos 490. inducere, ut Adverſarii faciunt, non aliud eſt utique, quam deſperatae cauſſae deſperatiſſimum quaerere ſuffugium, ac vim Danielis Vaticinio inferre manifeſtam, cui Angelus jubet *Hebdomades* LXX. *Ab exitu Sermonis uſque ad Chriſtum* numerare, una continua utique ſerie: nam alioquin intermiſſione admiſſa iſta, (quam Adverſarii caeteroquin ipſi admitti inter annos 70. Captivitatis, & annos 490. aegre ſuſtinent), non jam *Hebdomades* LXX, ſed magis *Hebdomades* LXXVII. ferme dinumerandae, indicendae fuiſſent ab Angelo. Obſtare 2.° Vaticinii ipſius expreſſiſſima verba, quibus Angelus Danieli *Hebdomades* LXX. ſupputandas edixit *Ab exitu Sermonis* de iterum aedificanda Hieruſalem. Aſt enim *Cyri* Edicto Templi dumtaxat aedificandi poteſtas I. Eſd. 1. 2. ſq. facta legitur; quae tametſi de Urbis quoque aedificio intelligi poſſe daretur, (quod non datur attamen, quippe ſicut expreſſa de Templo aedificando, ſic & de Urbe exſtruenda multo magis explicita in *Cyri* Edicto facienda mentio fuiſſe videtur,) quia tamen in Edicto *Cyri* aedificandae Urbis expreſſa facultas non ſit, alioqui vero Angelus *Hebdomades* LXX. *Ab exitu Sermonis*, expreſſo utique, de Hieroſolyma iterum aedificanda, incundas docet, fit inde ſane, ut a *Cyri* Edicto *Hebdomadum* LXX. initium auſpicari nefas ſit. Tam vero tandem neque cum Danielis Vaticinio, quam neque cum ratione Temporis congruere S. Hippolyti deprehenditur hypotheſis, qua in Comment. ad Dan., ſive de *Suſannae* hiſtoria apud S Hieronymum ibid. T.V. p. 689. a Captivitatis anno 20. *Hebdomadum* LXX. Epocha repetenda ſtatuitur; atque ita quidem, ut *Hebdomades* VII. ante reditum e Captivitate adimpletas fuiſſe, *Hebdomades* LXII.

poſt

Digitized by Google

poſt reditum a Captivitate uſque ad Chiſti natalem, *Hebdomadem* I. vero, ſeu ultimam in fine Mundi fore complendam partim in *Eliae* adventu, partim in *Antichriſti* regno docuerit. Quae ſupputatio plane S. Doctori haud probatur: ſiquidem Regni Perſarum anni 230, (ab anno I. *Cyri* nempe), ſupputentur; Macedonum anni 300, (nobis *267.* dumtaxat), & poſt illos uſque ad Chriſti natalem anni 30, (verius nobis *59.*), hoc eſt ab initio *Cyri* uſque ad Chriſtum D. anni *560*, (nobis *556.*), interfluxerint. Pugnat & hypotheſis haec cum Prophetia: Danieli ſiquidem *Hebdomades* LXX. *Ab exitu Sermonis*, ac deinceps una, continuaque ſerie certe ſupputandae indictae ſunt: quod fruſtra profecto, falſoque quia etiam indictum fuiſſet, ſi pleraque inter *Hebdomades* LXX. temporum intervalla fuiſſent interjacienda. Singularis omnino, hincque prorſus extorris fuit Apollinarii Laodiceni apud eumdem S. Hieronymum, eodemque T.V. p. *689.* ſq. opinio, qua Vaticinii Danielis verba illa *Ab exitu Sermonis* accipienda interpretatur de exitu ipſius *Verbi Divini*, Chriſti D. videlicet, ex Virginis Matris Utero, adeo ut a Chriſti D. Nativitate inchoandae fuerint *Hebdomades* VII. uſque ad annum Chriſti 49; inde vero ab anno 8. *Claudii* ineundae *Hebdomades* LXII, ſive anni 434. incipiendi; ac demum *Hebdomas* LXX, ſive ultima in *Elia*, & *Antichriſto* ſit adimplenda. Quae ſane opinio, (non ſecus atque parum hinc abludens opinio P. Guillelmi Bonyour Monum. Copt. p.28. ſqq. *Hebdomades* VII. ab anno Chriſtianae Aerae *27*, & *Hebdomades* LXII. ab anno ejuſdem Aerae *63.* inchoantis), ſponte ruit ſua, recta Danielis Prophetiae adverſata de Hebdomadibus LXX. in Chriſto D. adimplendis, rectaque perinde a ſupputatione deficiens, ut infra oſtendetur, ſupraque dictum abunde nobis eſt.

XVII. Veri ſit itaque longe ſimilior eorum opinio, quibus illud *Ab Exitu Sermonis* intelligendum, non de *Dei Verbo*, ſive de Iſajae, aut Hieremiae, aut Danielis Vaticinio, ſed de *Sermone Hominis* viſum eſt, ideſt de Perſarum Regum Babylone imperantium Edictis, quibus data fuit Judaeis facultas Templi, Urbiſque reaedificandi, adeo ut illud *Ab Exitu*

Sermonis idem ſonet ac *Ab Exitu Decreti* de Templi, Urbiſque reſtitutione. Quae ſiquidem Edicta, ſive Decreta quatuor fuerint, primum a *Cyro* anno 1, ſecundum a *Dario* anno 2, tertium, & quartum ab *Artaxerſe* anno 7, & 20. evulgatum, inde fit, ut identidem diverſas ſciſſi Viri docti in ſententias abjerint. Inter quas, ut quae veri nobis ſimilior ſeligi queat, ante, quae veri perinde reputari propinquior Regum Perſarum Epocha debeat, poſſitque, tum in *Tempus*, quo a Daniele Vaticinium hocce prodiit, tum in *Tempus*, quo *Cyri*, *Darii*, & *Artaxerſis* imperium Babylone injit, tum in *Tempus*, quod inde uſque ad Chriſti D. adventum interfluxit, diligenter, quoad ejus fieri poterit, inquiri graviſſimae pretium eſt operae. A Daniele itaque *Darii Medi* anno 1, ante *Cyrum* anno 1, Prophetiam hanc emiſſam fuiſſe indubium ſit ex Daniele ipſo IX. 1. ſq., dubium tamen relinquitur, quem is in Annum Mundi, ſeu ante Chriſti natalem inciderit. Incidiſſe in Annum Mundi 3467, ante Chriſtianam Aeram 534. viſum eſt Hadriano Daudaeo, & Joh. Bapt. Duhamelio in Not. Chronolog. ad cit. Dan. loc. Bibl. edit. Ven. T. II. p. 113. In Annum Mundi 3449, ante Chriſtum 551. confert Calmetius in Chronolog. edit. Ven. p. 20. Pererius in Praefat. ad Daniel. prope fin., & Cornelius a Lap. Praefat. in Dan. Prophetiam hancce conſignant anno 760. fere ante Chriſti natalem. Lightfootus in Chron. Temp. Oper. T. I. p. 134. anno M. 3471, *Cyri* etiam anno 1. eamdem illigat. Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p. 551, & 563, ipſequemet in ſui Defenſione ibid. p. 883. eam refert ad annum 532. ante Chriſtum, a deſolatione Templi 55, Olymp. 65. In Annum Nabonaſſari 210, ante Chriſtianam Aeram 536, Theonis Canoni Aſtronomico innixus, conjicit Nevvtonus in Chronolog. Vet. Regnor. emend. cap. 4. edit. Ven. p. 247. Plauſibilior eorum opinio aeſtimanda eſt, qui Prophetiam hanc in annum 537. ante Chriſti natalem vulgarem referendam arbitrantur, veluti Petavius Rat. Temp. Par. II. lib. 4. T. II. edit. Ven. p. 299, Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 79. ad an. M. 3467, Salianus Annal. Eccl. T. IV. ad an. M. 3516, Tirinus in Chron. Sac. cap. 35, ubi Aerae Chriſtianae annum 537. cum Mundi anno 3477. componit, Carpzovius Introd. ad

ad Lib. Bibl. Vet. Teſt. Par. III. cap. *6*. §. 8. p. *262*. &c. Cujus Epochae tamen facilis ſolutio patebit ex Epocha ſemel loco ſtabilita, bonoque in lumine collocata Regni Babylone capti a *Dario Medo*, indeque a *Cyro* Perſa, qua de modo agendum ſuccurrit.

XVIII. Perſarum itaque Reges a capta Babylone alii plures, alii pauciores e S. Scriptura eruiſſe ſe putant. Tres, aut quatuor Judaeorum Magiſtri, *Cyrum*, *Aſſuerum*, & *Darium*, addentes nonnulli *Cambyſem*, alii *Cambyſe* omiſſo, *Artaxerſem*, quem alii a *Dario* indiſtinctum volunt, atque ita R. Joſe ben Chalpatae in *Seder Olam Rabba* cap. *29*. ſq., R. Salomon Jarchi, R. Abraham Zacuthus in Chron. *Juchazin* p. 137. col. 2, R. Abarbanel Comm. in Dan. p. *65*, & 70. col. *3*, aliique in *Seder Olam Zuta*, in Doctrina temporum quam imperiti, tam pravo de ingenio Temporum rationes interturbare delectati. Sed omittunt *Xerſem*, de quo Daniel. xi. 2; *Artaxerſem Oropaſtem*, de quo I. Eſd. iv. 7, *Darium* alterum *Nothum*, de quo II. Eſd., ſive Nehem. xii. 22. Sed enim locum Danielis xi. 2. ſq., ubi tres adhuc Reges ſtaturos in Perſide, & quartum adverſus Graecos praeliaturum, pro quo *Xerſem* vulgo intelligunt Interpretes, praedixiſſe Daniel legitur, auſu pejori Clericus in mendo cubare putat Art. Crit. Par. III. l. 1. cap. xi. p. 214. Putat enim *Darium Codomannum* eo loci quarti Regis nomine a Propheta deſcribi, ante quem locus novem, aut imo tredecim poſt *Cyrum*, aliis faciendus Regibus fuerat, ne hiulcum adpareret Vaticinium, ſuſpectumque apud Ethnicos praeſertim fieret. Putat itaque turbatos fuiſſe numeros, atque olim ſcriptos litteris, ubi nunc שְׁלֹשָׁה *Scelſcah*, *Tres*, ac וְהָרְבִיעִי *Uorbii*, *&* *Quartus*, numeris, videlicet Cardinalibus, habetur, olim litteris ſcriptum fuiſſe יג, ideſt xiii, ac יד, hoc eſt xiv; facillime quippe fieri potuiſſe, ut י *Jod* litterarum minima, qua numerus x. indicatur, utrobique exciderit, ſolis remanentibus ג *Ghimel*, qua iii, & ד *Daleth*, qua iv. denotantur. Verum a receptiſſima verborum lectione tam in Textu Hebraeo, quam Vulgata Latina, confirmata in Verſione lxxvirali Graeca, tum Syriaca, & Arabica Polyglot. Bibl. Lond. T. III. p. 220. ſq., Pagnini, Ariae Montani, Vatabli,

Munſteri, Tigurina, Junii, & Tremelii, &c. temere non eſt recedendum. Non opus vero Danieli fuit Perſarum Reges omnes Babylone dominatos percenſere, ſed illos dumtaxat, quorum potiſſimum ad Judaeorum gentes reſpectus fuerat, quibusque regnantibus eventura Judaeis enuntianda erant. Ita Danielis hunc locum interpretatus legitur R. Azarias in libro *Meor Enajim* Par.III. cap.38, atque ita hancce S. Scripturas interpretandi regulam tradidit S. Hieronymus in Dan.XI.2. Oper. T.V. edit. Vallarſ. p.702. rationem hanc adferens, cur Danieli quatuor post *Cyrum* Regibus Perſarum numeratis, novem praeteriti fuerint, & a *Xerſe* tranſitus ad *Alexandrum* M. confeſtim fuerit factus: *Non enim curae fuit ſpiritui Prophetali hiſtoriae ordinem ſequi, ſed praeclara quaeque perſtringere*: hoc eſt S. Scripturae propoſitum haud eſſe profanam hiſtoriam, aut genealogiam texere, ſed ea dumtaxat geſta complecti, deſcribereque, quae cum Hebraea gente affinitatem habent; quam ultro, vulgoque regulam amplexantur S.Scripturae Interpretes, Grotius in Dan.XI.2. ſq. Crit.Sacr. T.III. p.734, Joh. Friſchmuthus in Diſſert. de Hebd.LXX, conferendique Conſtantinus l'Empereur in Praefat. ad Paraphraſim in Dan. Joſephi Jachiadis, & Salomon Deylingius Obſerv. Sacr. Par.III. obſerv.20. p.180. ſq., ubi demum adverſus Clericum adnotat, quae Dan.XI.3. ſqq. habentur *Dario Codomanno* ab *Alexandro M.* devicto non bene convenire utique, ſed in *Xerſem* perbelle quadrare, a quo totis Imperii viribus contra Graecos bellatum eſt, ingenteſque Graecis inlatae clades ſunt.

XIX. In lineam nunc regrediendo, ex Hiſtoria profana Perſarum Reges, qui Babylone imperium tenuerint, novem refert Scaliger, ſed is *Arſem*, ſeu *Arſacem* praeterit. Decem Theon in Canone Aſtron., eumque ſequutus Bullingerus, ſed uterque *Smerdem* omittit. Undecim Beroaldus, & Broughtonus. Quatuor ſupra decem Euſebius, & S.Hieronymus in Chron. Oper. T.VIII. edit. Vallarſ. p.475, & 533, quos vulgo, poneque ſequuntur Interpretes; quos inter Reges attamen praeteriri *Artabanus* poterat, qui *Xerſi* necem intulit, uno Tyranni nomine inſignitus, non ſecus atque uno Invaſoris *Smerdes* cognomento *Magus* audivit vocabulo. Neque magis de Perſici Regni

gni duratione inter ſe Docti conveniunt. Duraſſe namque annos 34, aut 50. dumtaxat volunt Hebraei, inter quos ita R. Abraham Levita in Kabbala, R. Joſe in *Seder Olam Rabba*, ſive Chronico *Majori* annos 52. cap. 29. ſq. numerat, Auctor *Seder Olam Zutba*, ideſt Chronici *Minoris*, Zacuthus in *Juchazin* fol.14. p.2., Auctor Libri *Cozri* lib.2. cap.67, annos etiam 52. computant, ac ita pariter R. Gedalias fol.23. p.1, David Gantzius ad an. M. 3442, R. Iſaac in *Jeſod Olam* lib.4. cap.18 apud *Juchazin* fol.157. p.2, R. Azaria lib. *Imre Bina* cap.34, aliique totidem annos numerant apud Morinum Exerc. Bibl. exerc.v. lib.2. cap.1. p.274. ſqq. Annos 107. computat Tertullianus; 129. Junius in 1. editione; 130. Beroaldus, Broughtonus, & Polenus; 190. Annius, Lucidus, & Driedo; 200. Dionyſius Halicarn. lib.1. p.2; 201. Junius in edit. ultima; 206. Rollinus, & Hottingerus; 207. Hornius, & Boxornius; 212. Syncellus in Chron. p.261. edit.Par., Ven.p.208; 213. Conſtantinus Manaſſes in Annal., ſive Breviar. Hiſt. p.19. edit. Pariſ., Ven. p.16; 218. Agathias lib. 11, ut habet Briſſonius de Regno Perſar. lib.1. cap.2. edit. Lugd. Batav. p.433, (ſed verius annos 228. ab Agathia lib.2. p.64. edit. Pariſ., Ven. p. 46. tribui adnotat eodem loci Albert.Dietericus Trekellius, contra verius a Curtio annos 230. adſcribi contendit Petrus Bizarus Hiſt. Rer. Perſic. lib.2. in fine); 227. Euſebius, & S. Hieronymus in Chron. loc. cit., ideſt ab anno 1. Olymp.55. uſque ad annum 3.Olymp.112; 229. Petavius; 230. Curtius lib.4. cap.14. §.20, S. Hippolytus de *Suſannae* hiſtoria apud S. Hieronymum T.V. p.689, Julius Afric., S.Hieronymus ibid., Lyranus, & Livelejus; 231. Scaliger; 232. Pererius, & Rainoldus; 233. S.Auguſtinus de Civit.lib.12.cap.10; 235. Clemens Alex. Strom. lib.1. p.395. edit. Potteri Ven.T.I. Annos 248. Auctor Chron. Paſchal. edit. Pariſ. p.170, & 229, Ven. p.136, & 172; 250. Sulpitius Severus Hiſt. Sacr. lib.2. cap.17, & Willetus; 253. Iſaacus Voſſius; 300. Cedrenus in Hiſt. Compend. p.148. edit. Pariſ., Ven. p.117: qua de re Briſſonius plura loco laudato.

XX. Neque minor eſt inter Eruditos de Perſarum Regum Annis diſcrepantia, & contentio. Poſt *Darium Medum* namque ex Perſis Babylone Regnum obtinentibus primo

mo *Cyro* annos 38. Theophilus, 31. Syncellus, 30. communiter adſcribunt Diodorus Sicul., Cteſias, Cicero, Juſtinus, Clemens Alex., Euſebius, S. Hieronymus &c.; 29. Herodotus, 22. Annius, Lucidus, & Driedo, 16. Bullingerus, 7. Xenophon, 3. Hebraei. *Cambyſi* annos 19. Clemens Alex., 17. Lydiatus, 9. Sulpitius Severus, 8. Theon, Euſebius, S. Hieronymus, & Jornandes, 7, ac Menſes 5. Herodotus, & Ptolemaeus, 6. Joſephus, 2. S. Nicephorus in Chron. p. 398. edit. Pariſ., Ven. p. 317. *Dario Hyſtaſpidis* filio annos 46. Clemens Alex., 36. Herodotus, Cteſias, Diodorus Sicul., Strabo, Dionyſius Halic., Ptolemaeus, Theon., Julius African., Euſebius, S. Hieronymus, Severus Sulpitius, V. Beda &c., 31. Lydiatus, 30. Oroſius, 19. Tertullianus. *Xerſi* I. annos 38. Auctor Chron. Alex. p. 161. edit. Pariſ., Ven. 129; 28. S. Nicephorus in Chronog. p. 398. edit. Pariſ., Ven. 317. ad calcem Syncelli; 26. Clemens Alex., 25. in Chron. Euſeb. vetuſtis Cod. Mſs. nonnullis, 21. Theon, 20. Diodorus Sic., Euſebius, S. Hieronymus, Syncellus, V. Beda &c., 12. Thucydides lib. 1, ut aliquibus videtur. *Artaxerſi Longimano* annos 46. Lydiatus, 44. Pererius, Bullingerus, aliique, 41. Theon, & Clemens Alex., 40. Diodorus Sicul., Euſebius, S. Hieronymus, Syncellus, S. Nicephorus, Junius &c. *Xerſi* II, & *Sogdiano* annum 1. Diodorus Sicul., Cteſias, Euſebius &c., annos 7. Auctor Chron. Alex., ſive Paſchal. edit. Ven. p. 133, Pariſ. 166. *Ocho*, ſive *Dario* II. cognomen *Notho* annos 60. Philoſtratus, 19. Diodorus, Theon, Euſebius, S. Hieronymus, V. Beda, Syncellus, S. Nicephorus, Lydiatus &c., 8. Clemens Alex., & Broughtonus. *Artaxerſi* II. *Mnemoni*, ſive *Memorioſo* annos 62. Plutarchus, 46. Theon, & Vallarſius in Not. ad Chron. Euſebii verſ. S. Hieronymi T. VIII. p. 517, 43. Diodorus Sicul., Scaliger, Lydiatus, Livelejus &c., 42. Clemens Alex., 40. Euſebius, S. Hieronymus, Abulpharagius, Syncellus, Auctor Chron. Alex., S. Nicephorus, Pererius, Pagius Appar. p. 334, Oecolampadius, 39. Joh. Malela Chronog p. 71. edit. Ven., 36. Bullingerus. *Artaxerſi* III. cognomento *Ocho* 28. Auctor Chron. Alex. p. 168. edit. Pariſ., Ven. p. 135, & Joſephus Antiq. Jud. lib. 11. cap. 5, 27. Abulpharagius in Tab. Chronog. Chronico Orient. adnexis edit.

Ven.

Ven. p.116, 26. Euſebius, S. Hieronymus, V. Beda, Pagius, 23. Diodorus Sicul., Tertullianus, Severus Sulpitius, Scaliger &c., 21. Theon, & Vallarſius loc. cit., 20. quidam apud Syncellum, 5. Syncellus ipſe, 3. Broughtonus. *Arſi*, ſeu *Arſaci*, ſive *Argi* annos 6. Auctor Chron. Paſch. p.136, edit. Pariſ. p.170, 4. Julius Afric., Euſebius in Chron., Syncellus, S. Nicephorus, Petavius, Pagius &c., 3. Clemens Alex., & Diodorus Sicul., 2. Theon, Juſtinus, Euſebius alibi &c. *Dario* III. *Arſami*, ſive *Codomanno* Perſarum Regum poſtremo, ab *Alexandro* M. praelio devicto, annos 21. Tertullianus, 18. Clemens Alex. Strom. lib. 1, 11. Strabo lib. 15. in fine, 7. Chronographus *Alexandro Severo* aetate ſuppar Antiq. Lect. Caniſii T. II. p.600, & Vallarſius in Not. ad Euſeb. Chron., 6. Julius Afric., Euſebius, S. Hieronymus, V. Beda, S. Nicephorus &c., 5. Junius, 4. Theon, & Sulpitius.

XXI. In tanta igitur opinionum diverſitate, quae veri haberi ſimilior, Veterumque magis firmata teſtimoniis videri poteſt, nobis eſt ſeligenda, partium ſtudio prorſus omni ſemoto, eaque ſit, quae Perſico in Babylone Imperio a *Cyro* uſque ad *Alexandrum M.* annos 208. circiter computat, duodecim inter Perſarum Reges ita nempe diſtributos. Et *Cyrum* utique Olympiadis 55. anno 1, qui Periodi Julianae fuit annus 4154, ante Chriſtianam Aeram 560, imperare Perſis cepiſſe uno conſenſu tradunt Diodorus, Polybius, Phlegon, Caſtor, & Thallus apud Euſebium Praepar. Evang. lib. 10. cap. 3. verſ. Georgii Trapenzuntii, queis utroque ſubſcribunt pollice tum Julius Africanus, tum S. Cyprianus, ſeu Auctor vetus de Computo Paſchali edit. Felli Amſte. p. 216, tum Euſebius ipſe Praep. Evang. loc. cit., atque in Chronico verſ. S. Hieronymi T. VIII. Oper. edit. Veron. p. 475, cui idcirco injuriam facit Scaliger eidem prochroniſmum annorum 10. exprobrando, ut ibidem adnotavit Vallarſius; atque ita quidem, ut Perſici imperii anno 22. perinde Babylone, (poſt devictum *Balthaſſarem* Danieli ſic dictum, *Labynetum* Herodoto lib. 1. cap. 188, *Naboenum* Joſepho Antiq. lib. 10. cap. 2, *Nabonadium* Ptolemaeo, & Theoni in Canone Aſtron., *Nabonidochum* Abydeno, (ſive *Darium Medum*, uti nonnullis videtur:)

tur :) etſi verius cum Xenophonte Cyropediae lib.8. alii, quibus favet Daniel ix. 1, cenſent *Darium Medum*, qui *Cyaxares* II. etiam dictus eſt, junctis *Cyro* armis, ut aliqui ſcribunt, Babylone capta primum Babyloniis imperaſſe; alii vero probabilius, biennio poſtquam Babylone *Darius* hic *Medus* imperaſſet, a *Cyro* vita, & imperio exſpoliatum putant, qua de re plura Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 79, Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p.566. ſq., Nevvtonus in Chronolog. Veter. Regnorum emend. cap. 4. edit. Ven. p. 242. ſqq., DeVignolius Chron Sac. T.II. p.549. ſqq., Ducheſnius in Hiſt., & Chron. p.57, & 276, Rollinus Hiſt. Antiq. Aegypt., Carthag., Aſſyr., Med., Perſ. &c. in Tab.Chronolog. T.XIII.p.37, &c.,) Babylone, inquam, *Cyrus* imperare ceperit anno Periodi Jul. 4178, ante Chriſtianam Aeram 536, illudque tenuerit annis 7, ideſt uſque ad annum Periodi Jul. 4185, ante Chriſtum 529, uti cenſent Uſſerius in Annal. p. 79, Ducheſnius loc. cit., DeVignolius Chron. Hiſt. Sac. T.II. lib. 5. cap. 14. p.575. ſqq., ac Nevvtonus p.230. ſq., & 247. ſq., quibus videlicet biennium, quo ante Babylone imperavit *Darius Medus*, excluditur; ſive juxta Marshamum, Petavium, Langletum in Tab. Chronolog. edit. Ven. T.I. p.46, & 168, &c. Babylone regnare ceperit anno Periodi Jul. 4176, ante Chriſti natalem 538, Nabonaſſari 209, Olymp. 60. anno 3, illudque retinuerit annis 9, (quibus nempe duo Regni *Darii Medi* anni comprehenduntur, juxta quod Danieli *Cyri* annus 3. cum anno 1. *Darii Medi* componitur), uſque ad annum Periodi Julianae 4185, ante Chriſtum 529, Nabonaſſari 218, Olymp. 62. an. 4. Nempe quum *Cyrum* annis 30. Perſis, & Babyloniis imperaſſe auctores locupletes ſint, atque liquidi Cteſias, Diodorus Sicul., Cicero de Divin. lib. 2, Dionyſius Halic., Juſtinus, Clemens Alex., Julius Afric., Euſebius loc.cit., quos ſequuntur Syncellus Chronog. p. 233. edit. Pariſ., Ven. 186, Auctor Chron. Alex., ſive Paſchal. edit. Ven. p.114, Pariſ.142., (a quo tamen perperam annus 1. *Cyri*, quo Perſis imperare cepit, ad annum 1. Olymp. 52, annis 12. ideſt retrotrahitur), & Georgius Abulpharagius Barhebraeus in Tabula Chronolog. ab Orbe condito uſque ad excidium Hieroſolym. adjectaChronico

nico Orient. edit. Ven. Joſephi Simonii Aſſemani p.115. ſqq., inde fit, ut Babyloniis annis aut 9, incluſis duobus *Darii Medi*, aut duobus hiſce excluſis, annis 7. imperarit uſque ad annum Periodi Jul. 4185, ante Chriſtianam aeram 529, uti dictum. Ita habet & Vetus Canon Regius Aſtronomicus Ptolemaeo tributus, a Syncello p.206. edit. Par., Ven. 165, Petavio, Uſſerio, Nevvtono &c., rectius vero Theoni Alex. a Dodvvello, & Longuerue de Var. Epochis Vet. cap.2. p.49, quo in Canone Monarchiae quatuor deſcribuntur, 1.ª Ἀσσυρίων, καὶ Μηδῶν, *Aſſyriorum*, *&* *Medorum*, 2.ª Περσῶν, *Perſarum*, 3.ª Ἑλλήνων, *Graecorum*, 4.ª Ρωμαίων, *Romanorum* uſque ad *Antoninum*, apud Petavium Ration. Temp. Par.II. ad fin. edit. Ven. T.II. p. 276. ſqq., Dodvvellum in Adpend. ad Diſsert. Cyprianicas edit. Felli Amſt. p.163. ſqq., quem & egregiis illuſtravit notis, Ferrandum Reflex. in Relig. Chriſt. T.I. p. 81. ſq., Behmium in Chronolog. p. 260, Bainbridgium in Sphaera Procli p.47. ſqq., ac DeVignolium Chron. Hiſt. Sac. T.II. lib.5. cap. 2. p. 348. ſq. Quod *Cyri* Babylonici Imperii initium obſervationibus praeterea Aſtronomicis a Ptolemaeo editis confirmare ſtuduit Petavius Rat. Temp. Par. II. lib.3. cap.8. T.II p. 184. ſq.; quo patet maximi perinde fieri Theonis Canonem hunc oportere, utpote qui Ptolemaei aſtronomicis undique fulcitur obſervationibus, cujuſque prae aliis Chronologia S. Scripturae conformis ubique deprehenditur. Conferendi hoc item de argumento Capellus in Chronolog., Livelejus in Chronolog. Perſar. Monarch., Campegius Vitringa Obſerv.Sac.lib.6.cap.4, & Conradus Samuel Schurzfleiſchius in diſſert. de Medo-Perſarum initiis, atque DeVignolius Chron. Sac. T.II. lib.5. cap.14. p.524. ſqq.

XXII. Ita *Cyri* Babylone initi Imperii ſtabilita Epocha, haud laborioſum accidit eorum, qui poſt ſequuti ſunt, Rĕgni Babylonici cum exordia, tum exitus deprehendere, ac definire. Poſt *Cyrum* itaque Babylone imperaſſe *Cambyſes* annos 7, & Menſes 5. refertur Herodoto lib.3. cap. 66, Ptolemaeo Almag. lib. 5. cap. 14, Theoni in Can. Aſtron., Euſebio, & Jornandi, quibus poſterioribus tribus annus 8. pro completo numeratur, non ſecus atque Syncello p.240. edit. Pariſ., Ven.

p. 192, Abulpharagio loc. cit., & Auctori Chron. Paſch. edit. Ven. p. 115, Par. 144. *Smerdis Magus* Menſes 7. regnum tenuit, teſtibus Herodoto ibid., Euſebio in Chron. verſ. S. Hieronymi T.VIII. p.487, Syncello Chronog. p.192. edit. Ven., Pariſ. 241, a quo vitio datum Euſebio, quod Menſes 7. hoſce pro anno integro computaverit, perperam adnotavit Vallarſius: quippe Syncellus p. 181. ab Euſebio Menſes 7. dumtaxat *Smerdi* tributos diſerte ſcribit. Recte vero *Cambyſi*, regni *Smerdis* Menſibus 5. comprehenſis, annos 8. regni tribuit Nevvtonus Obſervat. ad Danielis Vaticinia cap. 10. p. 97. *Darius* I. *Hyſtaſpis*, a Patre nempe denominatus, (quem *Hyſtaſpidem*, *Darii* hujus Patrem videlicet, *Arcimagum*, ſive Magorum Sectae Promumcondum, ſive Principem, ac ſub eo, & cum eo *Zoroaſtrem* Sectae amplificandae ſtuduiſſe tradunt Porphyrius de Abſtin. lib. 4, Agathias, & Ammianus Marcel. lib. 23. cap.6.,) *Darius* I, inquam, filius *Hyſtapidis* annis 36, ideſt ab anno Periodi Jul. 4193, ante Chriſti natalem 521. uſque ad Per. Jul. an. 4229, ante Chriſtum 485, Babylone imperavit, velut uno perhibent ore Herodotus lib. 7. cap.4, Diodorus Sicul., Cteſias, Strabo, Ptolemaeus, Dionyſius Halic., Theon., Julius Afric., Euſebius, V. Beda, Syncellus edit. Ven. p.192, & 196, Auctor Chron. Alex. p.116, Abulpharagius &c., queis adſtipulatus Nevvtonus loco cit. ex tribus *Lunae* Eclipſibus Babylone obſervatis, memoratiſque Ptolemaeo lib.4. cap.9, quarum una contigit anno 7. *Cambyſis*, Periodi Jul. anno 4191, Julii die 16, altera *Darii* anno 20, Periodi Jul. 4212, Novembris die 19, tertia ejuſdem anno 31, Period. Jul. anno 4223, Aprilis die 25, tam *Cambyſi*, ac *Dario* Regni annos ſupra adſcriptos comprobat, quam *Xerſis* regni exordium a Vere anni Periodi Jul. 4229. fore capiendum oſtendit: hiſce quoque de Eclipſibus conferendus, qui poſt Scaligerum, Calviſium, Lanſpergium, Nicol. Mullerum, Petavium, Ricciolium, Chriſtmannum ad Alfrag. p. 291. ſq. &c. egit, De Vignolius Chron. Hiſt. Sac. T.II. lib.5. cap.15. p.596. ſq. *Xerſes* I. annis 21. Babylonico praefuiſſe Imperio auctor eſt Theon, annis 20. tradit Diodorus Sicul. lib.11. cap.21, cui adhaerent Euſebius in Chron. Oper. S.Hieronymi T.VIII. p.497, S.Hie-

S. Hieronymus in Ezech. IV, Syncellus in Chron. p. 250. edit. Pariſ., Ven. p.200, Sulpitius Severus Hiſt. Sacr. lib.2, Abulpharagius loc. cit. Annos 10, aut 14. dumtaxat arguere licet ex Thucydide lib. 1. cap. 137, & Charone Lampſaceno apud Plutarchum, & Coorelium Nepotem in Themiſtocle. *Artaxerxes* I. *Longimanus*, Syncello p.200, & Auctori Chron. Paſchal. Μακρόχειρος *Macrochirus* p. 130. dictus, regnaſſe annos 40. fertur apud Diodorum Sicul. loc. cit. p. 261, & Euſebium, *Artabani* Tyrannidis Menſibus 7. excluſis; annos 41. apud Theonem in Can., Clementem Alex., quo numero videntur Menſes 7. *Artabani* comprehendiſſe, apud Syncellum p. 200. edit. Ven., Pariſ. p. 211, Abulpharagium, & Auctorem Chron. Alex. p. 130. edit. Ven., Pariſ. 162; annos 42. apud Cteſiam in Photio p. 123; annos 46, aut 50. plus, minuſque, juxta diverſas illorum opiniones, qui vel a *Xerſe* Patre in Regni conſortium *Artaxerxem* volunt adſcitum, vel *Xerſi* Imperii annos 14. circiter dumtaxat tribuendos autumant: qua de re operoſius infra.

XXIII. Juxta priorem itaque opinionem, qua *Xerſi* anni Regni 20. tribuuntur, *Artaxerxes* filius imperare cepit anno Periodi Jul. 4249, ante Chriſtianam Aeram 465, Nabonaſſari 283, Olympiadis 78. anno 4; juxta poſteriorem, quam ſequimur, quave *Xerſis* Regni anni 10, aut 14. circiter dumtaxat adſcribuntur, *Artaxerxes* regnum inivit Per. Jul. anno 4240, aut 4244, ante Chriſti natalem 474, aut 470, Nabonaſſari 275, aut 279, Olympiadis 76. anno 3, aut 77. anno 3; juxta utramque vero opinionem Imperium retinuit uſque ad annum Per. Jul. 4290, ante Chriſtianam Aeram 424, Nabonaſſari 325. ineuntem, Olympiadis 89. annum 1. *Xerxes* II. Menſes 2, & *Sogdianus*, aliis *Secundianus*, Menſes 7. dumtaxat regnarunt, teſtibus Cteſia, Diodoro, Euſebio in Chron. p. 511, Syncello in Chron. p. 255. edit. Pariſ., Ven. p. 203. *Ochus*, ſive *Darius* II, cognomento *Nothus*, ſucceſſit annis 19, velut habent Diodorus, Euſebius loc. cit., Theon. V. Beda, Syncellus loc. cit., Abulpharagius, Auctor Chron. Alex. p. 132. edit. Ven., Pariſ. 165. *Artaxerxes* II. *Mnemon* denominatus, ſive *Memorioſus*, praefuit annis 43, hoc eſt uſque ad Per. Jul. annum 4354, ante Chriſti natalem 360, fidem uti majorem facit Diodorus

Siculus lib.13. p.381, & lib.15. p.485, quem pone ſequitur Clemens Alex.Strom. lib.1.T.I.p.395. edit. Potteri Ven. *Artaxerſes* III, cognomento *Ochus*, imperaſſe annos 23.veri habetur ſimilior traditio Diodori Siculi lib.15.p.485, ſive ad an.3.Olymp. 104, ad an.3.Olymp.107, ad an.2. Olymp.111, ac Severi Sulpitii Hiſt.Sac. lib.2, queis adſtipulari non dubitant Scaliger, Lancellottus, Lydiatus, Livelejus, Uſſerius p.144, & 149. Succeſſit *Arſes*, ſive *Arſaces*, Straboni, & Syncello Νάρσης, Plutarcho Οάρσης, Theoni *Arogus*, aliis *Arſiochus*, annis 2, ut Euſebius, notante Vallarſio p.529, & Theon in Can.Aſtron. volunt, aut verius annis 3, uti viſum Diodoro Sic. lib.17.p.530, & Clementi Alex. *Darius* III. *Codomannus* imperium tenuit annis 6. uſque ad annum Per. Jul. 4384, ante Chriſtianam Aeram 330, Olymp. 112. an. 3, Nabonaſſari 419, quo poſtquam ab *Alexandro M.* praelio ad Gaugamelam commiſſo Principatu exſpoliatus fuiſſet, a *Beſſo* interfectus finem Perſico fecit Imperio, veluti litteris demandarunt Arrianus de Exped.Alex. lib.3.p.69, Diodorus lib.17.p.541.ſqq., Juſtinus lib.10. in fine, Julius Afric., Euſebius in Chron.Oper.S.Hieronymi T.VIII.p.531, Syncellus in Chronog. p. 256. edit. Pariſ., Ven. 204, Auctor Chron. Paſch. edit. Par. p.170, Ven. p.136, & Abulpharagius loc. cit.; videndusque Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p.173, & 211: quo ab anno 3. videlicet Olympiadis 112, ante Chriſtum 330. a *Calippo* celebrem ſuam Ἑξκαιεβδομηκονταετηρίδα, Periodum ideſt annorum 76. fuiſſe deductam ex Ptolemaei Aſtronomicis paſſim obſervationibus in Magna Syntaxi ad eam accommodatis intelligimus. Itaque patet inde Perſarum in Babylone Imperium a *Cyro* uſque ad *Alexandrum M.*, ideſt ab anno Periodi Jul. 4176, ante Chriſtianam Aeram 538. uſque ad Periodi Jul. annum 4384, ante Chriſti natalem 330. duraſſe annos 208: quibus additi *Cyri* anni 22, quot ante in Perſide regnaſſe fertur, efficiunt ſummam annorum 230. Qua de Chronologia fuſe, operoſeque Rainoldus de libris Apocryph. a Praelect. 111. ad 134, & a 144. ad 156, Livelejus in Chronolog. Perſicae Monarch., Broughtonus apud Polum, Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p.76, & 173, Petavius Doct. Temp. lib.12. cap.25, Daudaeus in Chronolog. Vet. Teſt. Par. II. Aetate VI. cap. 2. §.6.

Bi-

Bibliis Sacr. edit. Ven. 1758. praefixa T.I. p.lxiii. ſqq. ab anno Mundi 3468. Perſarum Monarchiam exorſus uſque ad an. M. 3674. perductam annis 206. integram definiens, De Vignolius Chron. Hiſt. Sac. T. II. lib. 5. p. 524. ſqq., Perizonius in Adden. ad Orig. Babylon. p.358. ſqq., aliique plurimi laudati Polo in Synopſi Crit. Sacr. T.III. p. 1539. ſqq. Juxta haec itaque Petavio Rat. T.II. p. 191. ſq., & Doct. temp. lib. 12. cap.25, Uſſerio Annal. p.81, & Daudaeo Chron. p.lxv. *Cambyſes* eſt *Aſſuerus* Eſdrae lib. 1. cap. iv. v.6; *Smerdis*, qui & *Oropaſtes*, & *Tanyoxarſes*, eſt *Artaxerſes* Eſdrae ibid. v.7, non vero *Cambyſes*, ut adſerit Joſephus Antiq. lib. 11. cap.2. *Darius Hyſtaſpis* eſt *Aſſuerus* Eſtheris 11. 16. ſqq., idemque memoratus Eſdrae lib.1. cap.v. v.5. ſqq., & cap.vi. v.1. ſqq., Aggaeo 1. 1. ſqq., ac Joſepho Antiq. lib. 11. cap.6; non vero fuit *Cambyſes*, uti Vallarſio viſum eſt in Not. ad Euſebii Chron. p.517, Judaeos in *Seder Olam* ſequuto: nam adverſus Judaeos ſcribere ad Eſtheris virum, opuſque Templi impedire Ethnici haud fuiſſent auſi; neque fuit *Xerſes* I, uti Scaliger voluit, a quo proni erga Judaeos animi veſtigium aliquod nuſpiam exhibitum legitur; neque fuit *Artaxerſes Mnemon*, ut Euſebius habet in Chron. p. 518: nam alioqui *Mardochaeus*, qui Eſth. 11. 6. cum Captivis una cum Rege *Jechonia* abductus dicitur, ſub *Mnemone* aetatis annum 200. prope attigiſſe debuiſſet, ipſaque *Eſther* annos propius 100. exceſſiſſe; neque fuit *Artaxerſes Longimanus*, uti ſcribit S. Nicephorus in Chronog. edit. Ven. p.318, Pariſ. 398, quia tum habuiſſet aetatis annos 150.

XXIV. Aſt enim Perſicae Monarchiae Chronologiam adhuc multo contractiorem, quam profani Scriptores eam ſtatuerint, ſtatuendam fore quinque, quae alioqui ſequerentur, graviſſima incommoda, Sacra ex Hiſtoria deprompta, ſuadere, cogereque pleriſque viſa ſunt, praeſertim Genebrardo in Chronolog., Broughtono in Contentu &c., Aetas nempe *Mardochaei*, *Zorobabelis*, *Sanballati*, *Eſdrae*, ac *Nehemiae*. Namque *Mardochaeus*, ut modo dictum, Eſth. 11. 5. ſq. deportatus legitur Jeroſolymis Babylonem cum *Jechonia*; vixit autem uſque ad *Alexandri M.* aetatem, ut qui Perſarum Regum

gum geſta ſcriptis conſignaſſe legitur, ideoque fuiſset aetatis annorum pluſquam 208. Nimia quoque, ad quam perveniſse *Zorobabelem* oportuiſſet, longaevitas inde liquet, quod in Captivitatem & ipſe abductus, *Artaxerſis Longimani* anno 20. in vivis adhuc egiſse feratur II. Eſd., ſive Nehem. VII. 7, & XII. 1. Similia inde de *Sanballati*, *Eſdrae*, & *Nehemiae* aetate ſequuntur abſurda. Nam quando *Nehemias Artaxerſis Longimani* anno 20. in Judaeam advenit, ut habetur II. Eſd., ſive Nehem. II. 1. ſqq., tum *Sanbalatus* ſub Regibus Perſarum Samariam adminiſtrabat. Interea Joſephus Antiq. lib. 11. cap. 7. alias 8. auctor eſt *Sanballatum* in vivis adhuc egiſse eo tempore, quo ab *Alexandro M. Darii Codomanni* anno 4. Gaza obſidione cincta eſt: quo proinde tempore *Sanballatus* annos 148. adminus adnumeraſse debuit. *Eſdras* etiam lib. 1. cap. X. v. 6. dicitur intraſse cubiculum *Johanan* Patris *Jadduae* Pontificis Summi *Alexandro M.* ſupparis; ideoque Perſarum Regni prope finem attigit: idemque rurſus cap. VII. v. 1. ante Urbis excidium ſub *Nabuchodonozore* jam in vivis agere debuit, filius enim erat *Serajae*, qui a *Nabuchodonozore* ante Captivitatem interfectus fuerat. Denique *Nehemias* ſub *Cyro* cum *Zorobabele* adſcendiſse dicitur I. Eſdrae II. 2, II. Eſd., ſive Nehem. VII. 7; idem vero *Atherſata* dictus ibid. v. 9, ac miſsus ab *Artaxerſe Longimano* II. Eſd., ſive Nehem. 1. 6; eodemque ipſe libro Nehem. XII. 11. 22. de *Dario Codomanno* ab *Alexandro M.* devicto, deque *Jaddo* Pontifice, qui eidem occurrit *Alexandro*, Joſepho teſte Antiq. lib. 11. cap. 8, mentionem ingeſſit; qui ideo ad annos pluſquam 208. & ipſe vitam tranſegiſse debuiſset.

XXV. Verum tamen ex quinque his objectis neutrum officit, quo minus tradita nobis loco ſtet Chronologia. Non 1.^m, namque non *Mardochaeus*, ſed *Cis*, cujus is abnepos erat, Babylonem translatus de Jeruſalem cum *Jechonia* eo loci Eſtheris II. 5. intelligi debet. Neque alioqui *Mardochaei* aetas id patitur, ut cum *Jechonia* deportatus intelligi poſſit, quae ſub *Aſſuero* iſto Eſtheris viro, *Dario Hyſtaſpe* nempe, annos 100. facile ſuperaſſet. Ita reſpondet ex Cajetano Rainoldus in Praelect. 114. p. 1433, & Prael. 117. p. 1481. apud Polum in Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1540. Verum Eſth. XI. 4.

Mar-

Mardochaeus unus ex eo dicitur explicitiſſime numero Captivorum, qui cum *Jechonia* Rege Juda translati de Jeruſalem fuerant IV. Reg. XXIV. 15. ſq., ideoque *Mardochaeum* ſub aevo *Darii Hyſtaſpis* aetatis annos prope 100. attigiſſe fatendum eſt: quod fateri nihil impedit, nihilque impedimenti Chronologiae Regum Perſarum ſupra ſtabilitae adfert. Falſo namque idem ad *Alexandri M.* perinde aetatem perveniſſe ſupponitur, ut qui geſta quidem ſub *Aſſuero*, *Dario Hyſtaſpe* nempe, ſcriptis tradidiſſe legitur Eſth. XII. 4, de ſucceſſoribus vero *Aſſueri* nihil. Quamquam ſicui aut Ferrandi Reflex. in Relig. Chriſt. T.I. p.159, qui *Aſſuerum* Eſtheris *Cyaxarem* Aſtyagis filium opinatus eſt, aut DeVignolii Chron. Hiſt. Sac. T.II. lib.4 cap.5. p.272. ſqq., qui *Aſtyagis* magis patrem *Cyaxarem* Medorum Regem ab *Aſſuero* Eſtheris indiſtinctum habet, opinio adlibeat, per me utique fas erit. Non 2.^{m}, nimia *Zorobabelis* namque longaevitas abſque fundamento fingitur. Si fingatur enim a tempore ſolutae Captivitatis, ſive ab anno 1. *Cyri* aetatis annos 30. natus, uſque ad *Artaxerſis Longimani* annum 20. vixiſſe, aetatis annos 120. non exceſſiſſet: quod incredibile videri nequit. Si autem uſque ad annum 6. *Darii Nothi* perveniſſe imo ſupponatur, tum aetatis annum 147. attigiſſet: quod neque fidem ſuperare fatendum eſt. Conferendus & Nevvtonus in Chronolog. Veter. Regn. emendata cap.4. edit. Ven. p. 262. ſqq. Non 3.^{m}, quod ad *Sanballatum* enim ſpectat, in quo principalis Scaligeri, ejuſque pediſſequae Calviſii ſpes poſita eſt, hoc primo reſponſum habeto, quo uno velut ictu Pridaeus Hiſt. Jud. Par.I. lib.5. edit.Ven. T.II. p.171. ſq., ac Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron. Oper. S. Hieron. T.VIII. p.531. ſq. nodum omnino ſecant: falſa ſcripſiſſe Joſephum Antiq. lib. 11. cap.7, alias 8, ſive ipſe deceptus ex ignorantia fuerit, ſive ex malitia decipere ipſe de induſtria voluerit, a quo profecto deceptus Euſebius fuit, a *Manaſſe Sanballati* genero, *Jaddi* Pontificis fratre Templum in Monte Garizim ſub *DarioCodomanno* conſtructum referendo. Nam etſi *Sanballati*, cujus mentio fit II. Eſd., ſive Nehem. XIII. 28, generum fuiſſe *Manaſſem* demus, non id tamen ſub *Dario Codomanno*, uti Joſephus, & poſt ipſum Euſebius, credidit, ſed

ſub

ſub *Dario Notho* contigit, annis ideſt 86. ante, Templum nempe in Monte Garizim conſtructum fuit. Caeteroquin enim, ſi Templum Jeroſolymitano ſimile fuit, jamque abſolutum fuerat, Joſepho ipſo teſte, quum Jeroſolymam *Alexander M.* inviſit, illudque a Tyri obſidione ceptum extrui eſt, obtenta per *Sanballatum* facultate, octo plus minuſque Menſium ſpatio tantae molis opus fuiſset expletum. Sed enim ſuppoſito, ut vult Scaliger, *Nehemiam* regni *Artaxerſis Mnemonis* anno 20. Jeroſolymam adveniſse, tumque *Sanballatum* vicennem fuiſse, inde ad *Alexandri M.* annum 5, anni 54. non amplius interceſſiſsent; tumque *Sanballatus* aetatis annos 74. non ſuperaſset. Sin vero ſupponatur anno 20. *Artaxerſis Longimani*, (quae veri nobis habetur ſimilior opinio), *Nehemiam* veniſse Jeroſolymam, ac tum *Sanballatum* actatis annum 20. non exceſſiſse, inde ad *Alexandri M.* annum 5, quo Perſarum in Babylone regnum defecit, anni interfuiſsent non plus 114, ac tum *Sanballatus* aetatis annum 134. attigiſset: cujuſmodi ea tempeſtate aetas cuipiam incredibilis aeſtimari non debet. Junge, quod, uti Bailio Q. 8. p. 159, Iſaaco Voſſio in Chron. Sacr. p. 149, Petavio, Capello &c. valdequam veri ſimillimum viſum eſt, *Sanballatus*, de quo II. Eſd., ſive Nehem. I. 10, 19, IV. 1, 7, VI. 1. ſqq., & XIII. 28, alter ab eo, de quo Joſephus Antiq. lib. 11. cap. 7, ſeu 8. loquutus eſt, facile fuit, atque hic illius Pater. Non 4.^m^, nam quod ad *Eſdrae* pertinet aetatem, principio negari poteſt *Johanam* Patrem *Jadduae* fuiſſe, namque fuit *Jonathan* filius *Jojadae*, Nehem. XII. 10. ſq. Sed & *Eſdras Serajae* filius dici potuit, etſi fuerit nepos, abnepos, aut pronepos, uſu in S. Scriptura frequenti; ſicut *Azaria* dicitur filius *Merajoth* Eſd. VII. 3, etſi inter eos ſeptem omiſſi ſint I. Paralip. VI. 7. ſqq. Sed & alius ille *Serajas* eſſe poterat; Sacerdotes enim plures eo *Serajae* nomine in Eſdra, & Nehemia veniunt. Et certe in genealogia Pontificum I. Paralip. VI. 14. *Serajae* filius nominatur *Joſedech*, nunquam autem *Eſdras*. Etſi detur etiam demum *Johanam* ab Eſdra viſum patrem *Jadduae* fuiſse, tunc Juvenis erat, avo *Eliaſhibo* Pontificem agente, ideoque a *Johanamo* aetate juvenili ad ſenectutem *Jadduae* centum intercedere anni

Digitized by Google

anni poterant. *Artaxerſes* denique ille, ſub quo *Eſdras*, & *Nehemias* Jeroſolymam adſcenderunt, non fuit *Mnemon*, ſed *Longimanus*; atque ita de annis *Eſdrae* impactis demendi ſexaginta ſunt.

XXVI. Neque grave magis tandem negotium faceſſit, quod ultimo objectum eſt loco, quod nempe de *Nehemiae* grandaeva nimis aetate ſubjungitur. Principio namque fieri potuit, ut duo hoc ipſo nomine fuerint, unus I. Eſd. II. 2. memoratus, qui filius *Helchiae* dicitur II. Eſd., ſive Nehem. I. 1, alter II. Eſdrae, ſive Nehem. III. 16, qui dicitur filius *Hasbochi*; ideoque alter ab *Artaxerſe Longimano* miſſus fuerit *Nehemias* II. Eſd., ſive Nehem. II. 6, cujus Pincerna erat, ab eo, qui cum *Zorobabele* pridem adſcenderat. Utriuſque vero *Nehemiae* mentio eodem libro Nehemiae fieri potuit, ita ſui ipſius a *Nehemia* filio *Helchiae* libri Scriptore, *Nehemiae* alterius a Scriptore altero mentio adſerta fuerit, ſicuti Deuter. XXXIV, & Joſue XXIV. Atque ita plane ſequioris alterius Scriptoris opus fuiſſe II. Eſdrae, ſive Nehem. Cap. XII. verſiculos 10. ſqq. uſque ad v. 27, inde, quod ſenſus interruptus adpareat, neque ſibi ſatis cohaereant, quae praecedunt, atque ſequuntur, probabiliter inferunt Petavius Doct. Temp. lib. 12. cap. 25, Ludov. Capellus in Crit. Sacr., Iſaac. Voſſius in Chron. Sac. cap. 10. p. 149, Pridaeus Hiſt. Jud. Par. I. lib. 5. T.II. p.171, Cary in Chronolog. Par.II. lib.2. cap. 6. p.197, Vitringa Obſerv. Sacr. lib. 6. cap. 8. §. 15, Joh. Clericus Comm. in Nehem. XII. 10. p.690. &c. Itaque & *Nehemiam* ab *Artaxerſe* miſſum alterum fuiſſe a *Nehemia*, de quo II. Macchab. 1. 22. in Epiſt. Judaeorum, Sacerdote obſervat Tourneminius in Diſſert. 16. de Hebdom. LXX. Oper. Menochii T. II. p. 470 ſubjuncta. Nec eumdem fuiſſe *Nehemiam* utriuſque loci ſuadet *Atherſatae* nomen I. Eſd. II. 63, II. Eſd., ſive Nehem. VII. 7, & VIII. 9, quo poſteriore loco *Nehemias Atherſata* dicitur. Nomen hoc etenim dignitatis, & officii erat, ac forte *Pincernae*, non ſecus atque *Saſſabaſar* Perſice deſignatus eſt *Zorobabel* I. Eſd. I. 8., & II, praefectus ideſt aerario Templi. Ac ita Lyranus, Vatablus, Malvenda, Sanctius, Mariana, Cornelius a Lap., Menochius, Tirinus, Wolphius &c. Et certe *Zoroba-*

bel Joſepho Antiq. lib. 11. cap. 4, alias 3, Σωματοφύλαξ *Regii Corporis Cuſtos* vocatur. Etſi *Saſſabaſar* dictum *Zorobabelem* a voce שֵׁשְׁבַּצַּר *Sceſcbatzar* ex Byſſo, & auro compoſita, quod Vir bonus in tribulatione gauderet, derivatum volunt Grotius, Sanctius, Cornelius a Lap. &c. Sic & *Nehemias Thirſata* voce Chaldaica ex תירוש *Thiroſc*, *Vinum*, & שְׁתָה *Scatbab*, *Bibere* dictus, quod eſset *Pincerna* Regis, videtur. Etſi a Perſica voce תִּרְשָׁתָא *Thirſcatbab*, *Judex*, *Cenſor*, ab officio ſic apud gentiles ſuo exercito *Nebemias* denominatus videtur Edmundo Caſtello in Lex. Heptag. T.II. p. 3955, ex ipſoque Matthaeo Polo in Synop. Crit. Sacr. T.I. edit. Ultraj. p. 893. Ad haec vero *Darius* ille, cujuſce meminit Nehemias II. Eſd. XII. 22, fortaſse non *Codomannus*, ſed *Nothus* fuit, veluti poſtremum huncce reapſe fuiſse perſuaſum habent Uſserius in Annal. Vet. Teſt. p. 111, Daudaeus, ac Duhamelius in Not. Chronolog. ad cit. locum Bibl. editi Ven. T.I. p. 286. *Jadduae* vero aetas eodem Nehemiae loc. intelligenda eſt item de ea, non quam Pontifex, ſed quam a Nativitate habebat; ita quod ſub *Dario Notho* jam natus intelligatur, non quod tum Pontificatum jam gereret. Quam ſane reſponſionem nec infringunt, nec infirmant, quae contra oggerere conatur Pridaeus Hiſt. Jud. Par. I. lib. 5. T. II. edit. Ven. p. 162. ſqq., & 165. ſqq. Denique etſi Pridaeo detur Pontificem jam tum fuiſſe *Jadduam*, is Pontifex ſane fieri potuit aetatis annos 30. natus, ac tempore *Alexandri* M. annos 90. habere: atque ita *Jadduam* Juvenem videre *Nehemias* Senex potuit, etſi deceſſiſse annis 60. ante *Alexandrum* M. ſupponatur. His ita diſsolutis objectis, in quibus potior cubare difficultas videbatur, potiſſimamque facere vim Adverſarii conantur, ceteriſque levioris admodum momenti dimiſſis, jam a Chronologia Regum Perſarum gradus faciundus ad Graecorum Regum, atque Romanorum uſque ad Chriſti D. Vulgarem Natalem Chronologiam, unde liquido conſtet Epocha, a qua *Hebdomades* LXX. incepiſſe, & Epocha, in qua eaedem *Hebdomades* exiiſse oportet.

XXVII. Macedonum itaque in Syria, ac Babylonia Monarchiam annos 370. duraſse auctor eſt Julius Africanus de Tem-

Tempor. lib. 5. apud Euſebium Demonſt. Evang. lib. 8. verſ. Donati Veron. p. 132. ſq.; quamquam apud S. Hieronymum Comm. in Daniel IX. Oper. T.V. edit. Vallarſ. p. 683. idem Africanus, non ſecus atque S. Hippolytus ibid. p. 689, Macedonum in Babylonia, Syriaque imperium annis 300. dumtaxat definivisſe legitur, & apud Syncellum Chronolog. p.308. edit. Pariſ., Ven. 245, definivisſe annis 2. minus 300. Ad annos 312, dieſque 18. Clemens Alex. Strom. lib. I. T. I. edit. Pott. Ven. p. 396, extendit; ad annos 296. S. Nicephorus in Chronog. Compend. p. 399. edit. Pariſ., Ven. p. 318. ad calcem Syncelli; ad annos 295. Euſebius in Chron. edito verſ. S. Hieronymi T.VIII. p.621: ubi obſervat Pontacus in Not. p.219. in Cod. MS. Fuxenſi legi 292, in Victorino, & Oiſellino MSS. 290, vulgatam tamen 295. lectionem eſse retinendam. Annis 294. illud comprehendiſse legitur Ptolemaeus Almag. lib.3. cap. 8; annis 292. ab obitu *Alexandri* M. uſque ad *Auguſtum* Theon in Canone Aſtron.; queis additi Regni *Alexandri* M. 8. a Theone adſerti efficient Regni Macedonum annos 300. Inter annos 270. coarctavit Appianus de Bello Syriaco in fine; quin intra annos 246. totum id temporis intervallum, quod ab *Alexandri* M. obitu uſque ad Chriſti D. natalem interfluxit, Auctor Chron. Paſch., ſive Alex. p. 229. edit. Pariſ., Ven. p.172; quin etiam intra annos 239. Porphyrius in Fragm. Graecis Scaligeri, Regum Syriae tamen finem in *Philippo Philadelpho* faciens, poſt quem attamen Reges in Syria regnaſſe alios, antequam a *Pompejo* in Romanam Syria Provinciam redacta fuiſſet, infra palam fiet. Annos 180. Graecos in Syria regnaſſe ſcribit R. Joſe *Seder Olam Rabba*, ideſt Chronici Majoris auctor, circa annum Chriſti 130. p. 242, ſi fides adhibenda Meyero; quibus adjungendi anni 103, quot juris compotes *Haſmonaeos* ſubtexit. Graeco-Syrorum denique in Judaeos imperium duraſſe annos 149, Macchabaeorum Principatum vero annos 126, omnes ſimul annos 275. uſque ad *Herodis* Regni annum 1. cenſet Hottingerus cit. Diſsert. 2. de Hebd. Dan. §. 33. p.131. Itaque Graecorum in Syria imperium per annos 267. circiter perduraſſe ab anno Periodi Jul. 4384, ante Chriſtianam Aeram

 330,

330, quo ab *Alexandro M. Dario* victo Babylon capta eſt, uſque ad Per. Jul. annum 4651, ante Chriſti natalem 63, quo ad Romanos imperium tranſiit, brevi modo, quoad ejus fieri poterit, oratione declarandum incumbit.

XXVIII. Itaque *Alexandrum M.* poſt annos 6. ab inito Babylone imperio, *Dario Codomanno* ſubjugato, poſt annos 12. ab inito ſuper Macedones a *Philippi* Patris obitu Regno, velut habent Auctor lib. I. Macchab. 1. 8, utrumque Judaeorum Chronicon, Clemens Alex. Strom. lib. 1, Tertullianus adv. Jud. cap. 8, Porphyrius apud Euſebium in Graecis Scaligeri p. 124, Joſephus Antiq. Jud. lib. 12. cap. 2, Syncellus Chron. p. 264. edit. Pariſ., Ven. 210. ſq., S. Hieronymus in Dan. xi. T.V. p. 703, obiiſſe Olympiadis 114. anno 1. exeunte auctores liquidi ſunt, locupleteſque Diodorus Sicul. lib. 17. ſub fin., & lib. 18. p. 593, Strabo lib. 16. p. 738, Juſtinus lib. 12. cap. 15, Arrianus lib. 7. ſub fin. p. 159, Joſephus adv. Apionem lib. 1, Euſebius Dem. Evang. lib. 8. verſ. Donati Veron. p. 133, ubi poſt *Cyrum*, quem apud Perſas imperare cepiſſe ineunte Olympiade 55. ſcribit, annis 236. *Alexandrum M.* fatis conceſſiſſe ſubjungit Olympiade 114. ineunte: quare mendum irrepſiſſe vel in Codicem Euſebii, quo uſus S. Hieronymus eſt, vel ipſius S. Hieronymi Textum, Exſcriptoris, aut Librarii culpa, & oſcitantia oportet, dum Comm. in Dan. ix. Oper. T.V. edit. Vallarſ. p. 686. eumdem referens Euſebii locum, *Alexandri M.* obitum Euſebianis verbis Olympiade 113. conſignat: quibus adjungendi Plutarchus in *Alexandro*, Athenaeus lib. 10, & 12, S. Nicephorus in Chronog. Compend. p. 399. edit. Pariſ., Ven. p. 318, Eratoſthenes apud Clementem Alex. Strom. lib. 1. T.I. p. 402. edit. Potteri Ven., Theophilus Chronographus apud Joh. Malelam in Chronog. p. 82. edit. Ven., qui Regni *Alexandro M.* totius annos ιζ' 17. non amplius tribuit, ideſt 12. in Macedonia, ac 6. in Babylonia, Oroſius lib. 3. cap. 23, Cedrenus Hiſt. Comp. Hiſt. Byzant. T.VII. edit. Ven. p. 123. ſq., aliique; quo patet falſo ab Harduino Chronolog. Sacr. p. 576. Regni annos 24. *Alexandro M.* fuiſſe attributos: qua de re plura ſuppeditabit Stephanus Oriol. Epiſcop. in Comment. ad lib. 1. Macchab. cap. 1, & Pontacus in Not. ad Euſebii Chron. edit. Veron. p. 173. ſq.

An-

Google

Annus jam vero injens primus Olympiadis 114. in Periodi Jul. annum, non utique 4391, Urbis C. 431, Nabonaſſari 425, ante Chriſti natalem 323. incidit, veluti viſum eſt Uſſerio in Annal. Vet. Teſt. p. 209, ipſumque preſſe ſequuto Ludovico du Four Longuerue de Var. Epoch. Vet. cap. 2. §. 1. p. 47. ſq., a quo ideo perperam, immeritoque reprehenditur Petavius, ſed in annum incurrit Per. Jul. 4390, ante Chriſtianam Aeram 324, U. C. 430, Nabonaſſari 424, velut explicitiſſime habet Theonis Canon Aſtron. υκδ', ideſt 424. apud Petavium Rat. Temp. T. II. p. 277, & Dodvvellum in Adpend. ad Diſſert. Cyprian. edit. Felli p. 163. ſq.; quo etiam annorum numero a Nabonaſſaro *Alexandri M.* obitus deſignatus legitur a Ptolemaeo Synt., ſive Magnae Conſtruct. lib. 3. p. 79, ab ejuſdem Interprete Cabaſilla in lib. 3. p. 180, & Syncello Chron. p. 204, & 206. edit. Pariſ., Ven. p. 163, & 165, oſtenduntque Dodvvellus in Not. ad cit. Theonis Canon. p. 164, & Petavius Doct. Temp. lib. 10. cap. 40. ſq., & Rat. Temp. T. II. Par. II. lib. 3. cap. 12. p. 196.

XXIX. Alexandri M. Babylonici Imperii ſic Epocha ſtabilita, Regum inde Syriae, Aegyptique ſtabilienda modo uſque ad Romani in Syriam, Aegyptumque Imperii exordium ſuccurrit. Poſt *Alexandri* obitum itaque de Imperii diviſione contentio inter Principes annis 12. duravit: (quod inficias perperam ivit pro more Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 576. eo futili ductus momento, quod I. Macchab. 1. 7. poſt *Alexandri* mortem ipſius Optimates Regnum obtinuiſſe legantur; quaſi id factum illico fuerit:) donec *Seleucus* I. *Nicator* in Syria, & Babylonia Imperium eſt auſpicatus ab obitu *Alexandri* M. anno 12, Periodi Jul. 4402, ante Chriſtianam Aeram 312, Olymp. 117. anno 1, teſte Diodoro Siculo. Quo ab anno celeberrima *Seleucidarum* in Syria incipit Aera, teſte Euſebio in Chron. verſ. S. Hier. T. VIII. p. 539, indidemque Edeſſeni, Parthi, Hebraei eam *Contractuum* Aeram vocantes, Syri, Arabes, eamdem *Terik Dhilkarnaim*, Aeram *Cornigeri gemini*, ſive duorum *Cornuum*, Aſiae, & Aegypti ſcilicet, nuncupantes; Antiocheni, Damaſceni, Apamenſes, Emiſſeni, Laodiceni ad Libanum, Sidonii, Tyrii, Tripolitani &c., apud Au-

Auctorem Chron. Alex. edit. Pariſ. p.171, Ven. p.137, ſua tempora ſupputare ceperunt, atque a Menſe *Thiſri*, ſive Septembri quidem, non ſecus atque Scriptor libri II. Macchab.; a *Niſan*, ſive Martio viciſſim eam auſpicante Scriptore lib.1. Macchab., qua de Aera operoſius loco in opportuniore. Regnaſſe autem *Seleucum* annis 42. legitur apud Appianum in Syriacis p.208, quem ſequitur pone Scaliger: ſed locum Appiani depravatum poſt alios adnotavit Vallarſius in Not. ad Euſeb. p.540, ac legendum annis 32, prout etiam habent Dexipus in Graecis Scaligeri, Porphyrius ibid., Juſtinus lib.17. cap.2, Memnon in Excerpt. cap.13, Polybius lib.11. ſub fin., Euſebius in Chron. Oper. S. Hieron. T.VIII. p.546. Quocirca non audiendi Joh. Malela in Chronog. edit. Ven. Hiſt. Byzant. T.XXIII. p. 84, *Seleuco* Regni annos tribuens ετη *μγ'* 43, emendatus ideo ab Edmundo Chilmeado in Not. p.24; nec Harduinus Chron. Sac. p.582. ſq. uno fere Plinii teſtimonio ſus deque perverſo, Nummiſque nonnullis perperam intellectis eidem *Seleuco* annos 54. Regni adſcribens; nec D. De la Nauze in Diſſert. de Regni Seleuci Nicatoris duratione Hiſt. Acad. Inſcript. T.VII. annos pluſquam 50. eidem adſerens, operoſe ideo, invicteque refutatus uterque ab Eraſmo Froelichio in Annal. Regum Syriae Prolegom. Par. IV. cap.2. ſqq. p. 55. ſqq.; nec imo auſcultandum Syncello in Chron. p.266, & 274. edit. Pariſ., Ven. 212, & 218, Regni annos 33. adſignans, caſtigatus ideo a Goaro in Annot. p.62. Videndi etiam Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p.251, & Daudaeus in Chronolog. Vet. Teſt. Bibliis Sacr. edit. Ven. 1758. T. I. praefixa p. LXVII. Inde per annos 19. in Syriae Imperio ſucceſſit *Antiochus* I. *Soter* ab anno Per. Jul. 4434, ante Chriſti natalem 280, Aerae Seleucidarum 32. uſque ad annum Per. Jul. 4453, ante Chriſtum 261, Seleucidarum Aerae 51, teſtibus Plinio lib.29. cap.1, Trogo Pompejo in Proem. lib.26, Juſtino lib.17. cap. 24. ſq., Porphyrio in Graec. Euſeb., Euſebio Chron. p.548, Syncello p.274. edit. Pariſ., Ven. 218, Joh. Malela p.86. annos 20. tamen tribuente, Severo Sulpitio &c. *Antiochum* I. *Soterem* porro ante patrem *Seleucum* I. *Nicatorem* fatis conceſſiſſe ſuis contra veterum teſtimonia modo relata opinatus D. De la Nauze cit.

Diſ-

Diſſert. de Regno *Seleuci* I. *Nicatoris* viden, ut a Froelichio Annal Reg. Syr. Par.IV. cap.3. p.58. ſqq. operoſe, valideque refutetur! Regnare inde cepit *Antiochus* II, Θεὸς *Deus* cognominatus, a Mileſiis apud Appianum, & a Graecis apud Joſephum, Porphyrium, Euſebium &c., per annos 15. uſque ad annum Per. Jul.4468, ante Chriſtum 246, Aerae Seleucidarum 66, ut habent Appianus in Syriacis p.130, Euſebius in Chron. p.550, S.Hieron. in Dan.x1, Syncellus p.274. edit. Pariſ., Ven.219, Joh. Malela p.86. Hunc excepit *Seleucus* II. *Callinicus* a Victoriis, & *Pogon* a Barba denominatus, annisque non 24, uti Joh. Malelae loc. cit. viſum eſt, non 21, veluti ex Porphyrio Syncellus p.225. edit. Ven., Pariſ. 284. ſcribit, ſed 20. regnum obtinuit, ut eſt apud Juſtinum lib.27. cap.3, Polybium lib.5, & 11, Appianum in Syriacis, Porphyrium in Chron., qui ſua a Sutorii Callinici Chronicis habuit, ac 21. incompletos tribuit in Fragm. Graec. Euſebianis, Euſebium in Chron. Oper. S. Hieron. T.VIII. p. 554, uſque ad annum Per. Jul.4488, ante Chriſtianam Aeram 226, Aerae Seleucidarum 87.

XXX. Quo perinde ab Anno Regnum injit *Seleucus* III. *Ceraunus*, ſic a Celeritate dictus, (praetermiſſus Joh. Malelae, loco ipſi poſito *Alexandro Nicatore*, iſtique Regni annis 36. falſo adſignatis), ac per annos 3. retinuit. Poſt quem *Antiochus* III. *Magnus* (a Joh. Malela praeteritus, ſive potius cum *Alexandro Nicatore* confuſus), ab anno Per. Jul. 4491, ante Chriſtum 223, Aerae Seleucidarum 90. imperavit per annos 36. uſque ad annum Per.Jul.4527, ante Chriſti natalem 187, Aerae Seleucidarum 126, veluti perhibent Appianus in Syriac. annos 37. inchoatos adſcribens, completos annos 36. tribuentes Porphyrius in Fragm., Euſebius p. 556. Syncellus porro Chronog. p. 284. edit. Pariſ., Ven. p. 227. ejus Regni initium annis 8. antevertit, contra Euſebium illud ineuntem ab anno 2.Olymp.139, ipſe ineundum illud ratus ab Olympiade 137. Cui Syncello nempe haud ideo auſcultandum recte monet Goarus in Annot. p.64. edit. Ven., quod ita Seleucidarum Aeram annis 12. anticiparit, annis 8. videlicet *Antiocho Magno* inſuper additis, annoque uno *Seleuci*, alteroque *Callinici* regno adjunctis. Indidem Regnum injit *Seleucus* IV. *Phi-*

Philopator dictus, ideſt *Patris amans*, per annos, non 10, ut Joh. Malela p.86. ſcribit, non 12, velut habent Appianus in Syriacis p.131, Porphyrius, Euſebius p.564, S. Hieronymus in Dan.XI, Severus Sulpitius Hiſt. Sac. lib.2, Syncellus p.286. edit. Pariſ., Ven.228, & poſt ipſos Pagius in Appar.Chronolog. edit. Luc. p.337: (quamvis intelligi de Anno incepto commode queant), ſed per annos 11, velut oſtendit ex Nummo ejuſdem *Seleuci* Aeneo Num.5. cum Epocha Seleucidarum PAZ, ideſt anno 137. P.Froelichius Annal. p.43, regnaturus. Defunctum excepit *Antiochus* IV. *Epiphanes*, Illuſtris cognominatus, ab anno Per. Jul.4538, ante Chriſtum 176, Aerae Seleucidarum 137, regnavitque annis 11, aut 12, completis videlicet, ſeu incompletis, de quo Porphyrius, Euſebius p.568, Syncellus, & Joh. Malela loc.cit.; adeundusque Froelichius Annal. p.53, quo loci Appianum in Syriac. p.116. redarguit, quod *Antiocho* huic duos, nec integros Regni annos adſcripſerit. Poſt inde *Antiochus* V. *Eupator*, ideſt *Felix*, ab anno Per. Jul.4551, ante Chriſtianam Aeram 163, Aerae Seleucidarum 150. imperium auſpicatus tenuit annis 2, ſive 3. inchoatis, ut habent Joſephus Antiq. lib.12. cap. 16, Euſebius p.572, Joh. Malela p.87; cui tamen per errorem annum 1, ac Menſes 6. dumtaxat adſcribit Syncellus p.286. edit. Pariſ., Ven.228. Qui poſt Imperio praefuit, *Demetrius* I. *Soter*, illud obtinuit per annos, non 8, uti ſcribit Joh.Malela loc.cit., ſed per annos 11. completos, uſque ad annum Per. Jul.4564, ante Chriſtum 150, Aerae Seleucidarum 163, veluti teſtatum faciunt Scriptor lib.1. Macchab.x.48. ſqq., Joſephus Antiq. lib.13. cap.5, Appianus in Syriac. p.131, Juſtinus lib.35. cap. 1; oſtenditque ex Nummo argenteo Num.26. ejuſdem *Demetrii* Aerae Seleucidarum BΞP, ideſt anno 162. obſignato Froelichius Annal. p.62.ſq., Joſephum ideo corrigendum ratus, qui *Demetrio* annos 11. incompletos tribuit; ſive per annos 12. inceptos, ut habent Polybius lib. 3. p.161, Porphyrius in Graec. Euſeb., Euſebius p.572, Severus Sulpitius, & Syncellus p.290, Ven. 231. Qui *Demetrium* profligavit, ipſius in locum ingreſſus *Alexander* I. *Balas*, *Veles*, *Theopator*, *Evergetes* diverſis diverſimode denominatus, Joh. Malelae omiſſus, regnum non annis 10, ac Men-

Menſibus 7, ut Euſebius p.576. habet, non annis 9, uti Syncellus p.291. edit. Pariſ., Ven. 232. ſcribit, multoque minus annis 15, uti Porphyrio in Graecis Scaligeri viſum eſt, nec annis 7, ut ex Juſtino lib.35. cap.1. ſq. ſe colligere putat Vallarſius in Not. ad Euſebium loc. cit., ſed annis 5. incompletis uſque ad annum Per. Jul.4568, ante Chriſtianam Aeram 146, Aerae Seleucidarum 167. in Syria obtinuit, uti rem faciunt indubiam Auctor lib.1. Macchab.x.1. ſqq., Joſephus Antiq. lib.13. cap.8, Pagius in Appar. p.337, & ex ipſius Nummis oſtendit Froelichius Annal. p.67. ſq.

XXXI. Inſignis hinc incipit Epocha Judaeorum *Autonomiae* a Romanis conceſſae, ideoque a Regibus quoque Syriae ad concedendam metu coactis confirmatae. Nempe qui *Alexandro* I.*Balae* ſucceſſit anno Seleucidarum 167,ante Chriſti natalem 146, U. C. 608. *Demetrius* II. Θεος, Φιλαδελφος, Νικατορ, *Deus*, *Philadelphus*, *Nicator*, *Soter*, *Siderites* dictus, (a Joh. Malela praetermiſſus), anno Regni 2. *Simoni* Macchabaeo Pontificatum, & Principatum, ipſiuſque poſteris a Romanis conceſſum confirmare compulſus eſt, Munitionibus ipſius juri dimiſſis, remiſſiſque tributis, venaliumque rerum vectigalibus, I. Macchab. XI. 32. ſqq., XIII 35. ſqq., & XIV. 38. ſqq. Scriptore, ac Joſepho Antiq. Jud. lib. 13. cap. 11. teſtibus, adeo ut ab anno 170. Aerae Seleucidarum in Syngraphis, & Contractibus ſcribere in hancce formam Judaeis ceptum fuerit: *Anno* 1. *Simone Pontifice M.*, *& Stratego*, *& Duce Judaeorum*; tum etiam Numiſmata cudi eadem cum epigraphe ceperint: *Simeon Princeps*: *Anno* 1. *Redemptionis Iſrael*: ſive *Siclus Iſrael anno* 1. *Liberationis Jeruſalem*: ſive *Anno* 2, vel 3, vel 4. *Liberationis Sion*: ſive *Jeruſalem Sancta*: *Siclus Iſrael &c.*, de quibus praecipue Soucietus in Diſſert. de Num. Judaeor. ceteris ejus diſſert. Criticis in loca difficiliora S. Scripturae Gallice editis praefixa, & Froelichius Annal. Reg. Syr. Prolegom. Par. V. cap. 1. ſqq. p.74. ſqq. Sed enim *Demetrius* II. poſt Regni annos 6., hoc eſt anno Per. Jul. 4573, ante Chriſtum 141, Aerae Seleucidarum 172. ab *Arſace Mithridate* Parthorum Rege vi, & fraude captus, inque Parthiam abductus, (qua de re I. Macchab. XIV. 1. ſqq.,

1. ſqq., Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 9, Juſtinus lib. 36. cap.1, & lib. 41. cap. 5. ſq., Oroſius lib. 5. cap. 4, & Ludovicus du Four Longuerue in Annal. Arſacidarum p. 11.), regnandi locum reliquit *Antiocho* VI, aliis VII, *Sideti*, aliis *Evergeti*, qui imperium retinuit annis 9, ut habetur apud Euſebium p.582, & Syncellum p.291, Ven. 232, uſque ad annum Periodi Jul. 4584, ante Chriſtum 130, Aerae Seleucidarum 183. ineuntem. Quo ſubingreſſus ſecundo in Imperii jura *Demetrius* II, a captivitate Parthica dimiſſus a *Phrahate Arſace* Rege, regnum annis 4, denuo tenuit, Porphyrio, Euſebioque p.584. teſtibus; quod ex Nummo *Demetrii* II. Tyri ſignato num. 47. cum Epocha ΞΠΡ, ideſt anno 187, (quo Tyriorum Aera ſub Autumno incepit), confirmat Froelichius Annal. p. 84, & 88, ſq. Praeterito heic vero *Alexandro* II. *Zabina* obtruſo, qui ſub *Demetrio*, *Seleuco*, & *Antiocho* annis 6. Syriae Regnum occupavit, Euſebio in Chron., & Porphyrio in Catalogo Reg. Syriae ideo praetermiſſus, etſi Porphyrio in Fragm. hiſtoricis Graece a Scaligero in Theſauro Tempor. editis mentio fiat, *Demetrio* II. ſucceſſit per annum non integrum *Seleucus* V, Euſebio quoque ignotus, memoratus tamen Appiano in Syr., Juſtino lib. 39. cap. 1., ac Livio Epit. lib. 60. Hunc excepit *Antiochus* VIII, aliis VII. *Epiphanes*, vulgo *Grypus* ob naſum aduncum, atque Regnum auſpicatus ab anno Periodi Jul. 4589, ante Chriſti natalem 125, Aerae Seleucidarum 188, veluti rite docet Petavius Doctr. Temp. lib. 10. cap. 47, ex Nummo vero ejuſdem Argenteo Num. 1. obſignato ΞΠΡ, ideſt anno 187, invicte oſtendit Froelichius Annal. p. 90. ſq. adverſus Porphyrium in Fragm. Graecis Euſeb. p. 227, eumque ſequutum Uſſerium Annal. p. 357, *Antiochi* hujus Regni exordium biennio differentes, atque in annum 2. Olymp. 164, Per. Jul. 4591, ante Chriſtum 123, Aerae Seleucidarum 190. referentes, per annos, non 7. dumtaxat, ut habet Syncellus p. 292. edit. Pariſ., Ven. 232, ſed 11. completos, uti ſcribunt Porphyrius loc. cit., & Joh. Malela p. 88, ſive 12. incompletos, uti tradit Euſebius p. 586, videlicet uſque ad annum Per. Jul. 4602, ante Chriſti natalem 112, Aerae Seleucidarum 201. Inde *An-*

Antiochus IX, aliis VIII. *Philopator*, vulgo *Cyzicenus* Syriae Regnum obtinuit annis 17. integris, aut 18. inchoatis uſque ad annum Periodi Jul. 4620, ante Chriſtum 94, Aerae Seleucidarum 219, uti referunt Porphyrius ibid., & Euſebius p.588, ideoque turpis arguendus erroris Syncellus loc. cit. huic annos 11. dumtaxat adſignans.

XXXII. Poſt hinc vero *Seleucus* VI, aliis V. cognomento *Epiphanes*, ſive *Nicator*, ac cum eo *Antiochus* X, aliis IX. *Euſebes*, ſive *Pius*, & *Philopator*, *Patris* ideſt *Amans*, qui *Seleuco* devicto Syriae imperio praefuit annis 2. uſque ad Per. Jul. annum 4622, ante Chriſtianam Aeram 92, Aerae Seleucidarum 221, ut eſt apud Porphyrium in Graec. Euſeb., & Joſephum Antiq. lib. 13. cap.13; poſt quos *Antiochus* XI. *Epiphanes*, *Philadelphus*; *Philippus*; *Demetrius* III. *Philometor*, *Evergetes*, *Callinicus*, & *Eucaerus*; & *Antiochus* XII. *Deus*, *Epiphanes*, *Nicephorus*, & *Dionyſius*, diverſis ita diverſimode dicti, mutuis, cruentiſque contentionibus imperarunt per annos 8. uſque ad Per. Jul. annum 4631, ante Chriſtum 83, Aerae Seleucidarum 230. Porphyrius porro in Catalogo Reg. Syriae, & poſt ipſum Euſebius in Chron. verſ. S. Hieronymi T. VIII. p. 594. cum *Philippi* anno 2. Seleucidarum in Syria regno finem imponunt. Sed enim ſibi contradicit Porphyrius, qui in Fragm. Hiſt. Graecis apud Scaligerum p. 227. cum Reges alios in Syria ponit, tum in Syria Regum Seleucidarum regnum protrahit. Euſebium vero erraſſe manifeſte evincunt Juſtinus, Appianus, Joſephus &c, quibus Reges alii Syriae haud ignoti ſane fuerunt. Itaque ab anno Periodi Jul. 4631, ante Chriſti natalem 83, Aerae Seleucidarum 230, Syriae Regno invaſo, Seleucidis Regulis ſubjugatis, *Tigranes* Armeniae Rex illud occupavit per annos 14, teſte Appiano in Syriac. ; ſive per annos 18, ut ex Trogo Pompejo arguit Longuerue in Annal. Arſacidarum p. 17. ſqq., Regni Syriaci exordium ab anno U. C. 666, ante Chriſtum 88, Aerae Seleucidarum $\frac{224}{225}$ Tigrani adcerſens ex Strabone lib. 11. p. 532, ideſt uſque ad annum Per. Jul. 4646, ante Chriſti natalem 68, Aerae Seleucidarum 245: quo *Antiochus* XIII, aliis XII, *Dionyſius*, *Callinicus*, vulgo *Aſiaticus*, & *Commagenus* dictus, avito Regno a *Tigrane* recuperato, ſive

Digitized by Google

Syriae regno a *Lucullo* reſtitutus, in eoque quinquiennio poſt a *Pompejo* confirmatus per annos 6. illud obtinuit uſque ad Per. Jul. an. 4651, ante vulgarem Chriſti Aeram 63, Aerae Seleucidarum 250; donec eodem anno videlicet Syria a *Pompejo* in Provinciam Romanam redacta eſt, qua de re Memnon apud Photium Cod. 224. p. 751. ſq., Juſtinus lib. 40. ſub fin, Plutarchus in *Lucullo*, & *Pompejo*, Appianus in Syriacis ſub fin. p. 119, & de Bello Civ. lib. 5. p. 676. ſq., Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 3, & de Bello lib. 1. capp. 5, & 8, Joh. Malela in Chronog. p. 90, *Antiochum* hunc *Dionycum* adpellans, (quem ſibi incompertum fatetur Chilmeadus in Not. p. 25, ſed hoc *Dionyci*, ſive *Bacchi* nomine inſignitus legitur cum apud Moſem Choronenſem in Hiſt. Armen. lib. 2. cap. 13, tum in Nummis apud Haymium Theſauri Brittan. T. I. p. 107. ſq., & Froelichium in Annal. p. 121.), ab ipſoque prope morituro Regnum cum facultatibus Romanis fuiſſe legatum referens. Quam in rem conferendi Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. ad praecit. annos, Petavius Rat. Temp. edit. Ven. T. III. p. 405, ſq., Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p. 576. ſqq., & 586. ſqq. Vaillantius in Hiſt. Reg. Syriae, Daudaeus in Chron. S. Script. p. LXVII. ſq., Bayerus in Hiſt. Reg. Graecor. Comment. Acad. Petropolit. T. V, Froelichius in Annal. Reg. Syriae Proleg. cap. 6. p. 49. ſqq., Par. III. cap. 3. ſqq. p. 40. ſqq., & Annal. p. 9. ſqq. Annis itaque Aerae Seleucidarum 249. additi anni 12. ab *Alexandri* M. obitu ſcilicet uſque ad annum 1. *Seleuci* I. *Nicatoris*, adjectique anni 6. inſuper Regni Babylone initi ab *Alexandro* M., efficient annos 267: quot in Syria Graecorum Imperium duraſſe fuerat demonſtrandum.

XXXIII. Pro rei tam gravis complemento Graecorum Chronologiae attexendi nunc anni veniunt, quibus Romani Imperii ſubire jugum Syria uſque ad Chriſti D. in carne adventum viſa eſt; ut inde fiat evidens tandem Danielis *Hebdomades* LXX. fuiſſe in Chriſto D. adimpletas. Itaque ab anno Periodi Julianae 4651, ante Chriſtianam Aeram 63, Aerae Seleucidarum 250, quo Syriam a *Pompejo* Romanam in Provinciam redactam vidimus, uſque ad Chriſti D. natalem conſignatum, juxta nonnullos veriſimillime anno Mundi 4000, Olymp.

Olymp. 194. anno 1, U. C. 750, Juliano 42, Periodi Jul. 4710, *Octaviani Auguſti* 26. ab Epocha *Aegyptiaca*, Imperii ab obitu *Julii Caeſaris* 41, effluxere anni 59, ſcilicet uſque ad Monarchiae Romanae ſub *Auguſto* initium, hoc eſt annum M. 3977, Periodi Jul. 4687, ante Chriſtianam Aeram 27. anni 36, inde vero ad Chriſti D. natalem Mundi annum 4000, Periodi Jul. 4710., Aerae Vulgaris 4. anni 23. intercefferunt. Itaque collecti Perſarum Regum in Syria anni 208, Seleucidarum ibidem anni 267, Romanorum anni 59. efficiunt annos 534: a quibus detractae *Hebdomades* LXX, ſive anni 490. deducti, relinquunt annos 44; quibus triplex haecce Regum Perſarum, Graecorum, ac Romanorum Chronologia *Hebdomadum* LXX. computum ſuperat, exceditque. Eadem Epocha, (ut Macedonum Regum, ac Pontificum Judaeorum Chronologia, ex qua utraque eadem confici perinde facile poſset, modo praetermittatur), ex Chronologia Regum Aegypti *Alexandri* M. ſucceſsorum oſtendi poteſt. Nempe *Alexandro* M. Regni Babylonici annos 6. tributos verius, (contra Theonem, qui annos 8. tribuit,) vidimus; & poſt ipſum *Philippo Aridaeo* annos 7. adſcribunt Euſebius in Chron. verſ. S. Hieronymi Oper. T. VIII. edit. Veron. p. 536, Theon in Can. Aſtron., Syncellus in Chronog. p. 269. edit. Pariſ., Ven. p. 215. *Alexandro* II. *Aego*, (qui Clementi Alex., Tertulliano, Euſebio &c. praetermittitur), anni 12. adſignantur a Theone, Syncello &c., conferendus tamen Dodvvellus in Not. ad Theonem Oper. S. Cypriani edit. Felli Amſtel. p. 164, ubi cum Uſſerium, ac Pagium pro *Alexandro* legendum *Caſſandrum* opinatos falli, tum falli Theonem *Alexandri* hujus annos 12. ab *Aridaei* obitu dinumerandos arbitratum oſtendit. Inde vero Regni Aegyptiaci *Ptolemaeo Lago*, cognomento *Soteri*, adſcribuntur anni 20. a Theone, anno Nabonaſſari 463. inceptos: ubi tamen inceptos anno 454. Nabonaſſari, primae Periodi *Calippicae* anno 36. ex Ptolemaeo Almag. lib. 7. cap. 3. notat Dodvvellus; anni 23. a Porphyrio in Excerptis Graecis Scaligeri; anni 35. a Tertulliano adv. Judaeos cap. 8. edit. Haverc. Ven. p. 190; anni 40, ſupputati videlicet ab *Alexandri* M. obitu, a Clemente Alex. Strom. lib. 1. edit. Potteri Ven. T. I. p. 396,

p.396, ab Euſebio loc.cit., a S. Epiphanio de Menſ., & Ponder. §.11. Oper. T.II. edit. Petav. p.168, a Syncello p.271.edit.Pariſ., Ven.216, ab Auctore Chron. Alex. p.171. edit.Pariſ., Ven. p.137, a Cedreno Hiſt. Compend. T VII. Hiſt. Byzant. edit. Ven. p.129, a S. Nicephoro in Chronolog.ad calcem Syncelli p.399. edit. Pariſ., Ven. 318, ab Abulpharagio Barhebraeo in Tabul. Chronolog. in Chron. Orient. edit. Ven. p.117: unde patet falſo a Pagio in Appar. Chronolog. p.337. eidem annos 50. fuiſſe adſcriptos. *Ptolemaeo Philadelpho* annos 39. adſcripſit Tertullianus adv. Jud. loc. cit. in Editis, (unde erratum S. Hieronymo a Tertulliano annos 38. tributos referente in Daniel.x1.T.V.Oper.p.692. obſervatum eſt Pamelio, & Vallarſio); annos 38. Euſebius p.545, S. Epiphanius, Theon, Syncellus, Cedrenus p.132, S. Nicephorus, Auctor Chron. Paſch. p.172. edit.Pariſ., Ven. p. 138, & Abulpharagius loc. cit.; annos 27. Clemens Alex.loc.cit., ubi tamen pro Εικοσιεπτὰ 27, legendum facile Τριακοντεπτὰ 37, ex aliorum Scriptorum conſenſu datur intelligi.

XXXIV. Hujus porro Regni exordium cum Anno Nabonaſſari 501. a Theone copulatum, in annum 476. Nabonaſſari, ab *Alexandri* M. obitu 52. a Ptolemaeo fuiſſe conjectum Magnae Conſtruct. lib.10. p.252. Graec. admonet Dodwellus loc. cit. *Ptolemaeo Evergeti* I. anni 24. adſignantur a S. Epiphanio, a Syncello p.273. edit. Pariſ., Ven. 218; anni 25. a Clemente Alex., a Tertulliano, a Theone; ſed verius anni 26. ab ipſomet in Monum. Adulitano in fine, ab Euſebio p.551, ab Auctore Chron. Alex. p.174. edit. Pariſ., Ven.140, ab Abulpharagio loc. cit., a Cedreno p.132, quos inchoatos anno Nabonaſſari, non 526, ut habet Theon, ſed 507, quo cepit annus 83. ab *Alexandri* M. obitu, monet Dodwellus. *Ptolemaeo Pilopatori*, Patris ideſt *Amanti*, annos 21. tribuit S. Epiphanius; annos 17. Clemens Alex., Tertullianus, Euſebius, Theon, Syncellus, Cedrenus, S. Nicephorus, Auctor Chron. Paſchal., & Abulpharagius &c. *Ptolemaeo Epiphani* anni 22. adſcribuntur a S. Epiphanio; anni 23. ab Abulpharagio Barhebraeo in Tabul. Chron. p.117; anni 24. a Clemente Alex., a Tertulliano, ab Euſebio, a Porphyrio in Excerpt.Graec. p.225, a Theone, a Syncello, a Cedreno, ab Auctore Chron.Alex.; anni 26.

a S.Ni-

a S. Nicephoro loc. cit. *Ptolemaeo Philometori*, (qui Tertulliano praetermiſſus eſt), annos 34. adſignat S. Epiphanius; annos 35. Clemens Alex., Euſebius p.565, Theon, Syncellus, Cedrenus, S. Nicephorus, Abulpharagius, Auctor Chron. Paſchal.; annos 36. Porphyrius; qua de re, qui haud ſegniter diſputant, adeundi, ſi libet, Dodvvellus in Diſſert. de Tempore, quo ſcripſit Agatarchides T.I. Geograph. Min. p.72, & in Not. ad Theonis Canon. Aſtron. p.164, & Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron. p.565. ſqq., ubi *Ptolemaei* hujuſce Regni exordium non ab anno Nabonaſſari 602, velut habet Theon, ſed ab anno 567. exeunte, aut 568. ineunte ducendum eſſe ex Ptolemaeo Magnae Syntaxis lib.6. cap.5. docent. *Ptolemaeo Evergeti* II. *Philologo*, aliis *Phyſconi* denominato anni 29. adſignantur a Clemente Alex., a Tertulliano, a S. Epiphanio, a Theone, a Cedreno, ab Abulpharagio &c., quos inchoatos ab anno 197. ab obitu *Alexandri* M., Aerae Nabonaſſari 620, non 631, ut habet Theon, aut 621. ex Hipparchi Obſervationibus apud Ptolemaeum lib.5. p.112. Graec. adnotat Dodvvellus loc. cit. Porro *Evergetem* II. a *Phyſcone*, ipſis *Phuſco*, diſtinguunt Euſebius p.577, & 585, Syncellus p.290. edit. Pariſ., Ven. p.231., Cedrenus p.133, S. Nicephorus p.399. edit. Pariſ., Ven. p.318, ita ut *Evergeti* annos 29. tribuant Euſebius, & Cedrenus, 28. Syncellus, 17. S. Nicephorus; *Phyſconi* vero annos 18. Syncellus, in quo deſinit, 17, ac Menſes 6. S. Nicephorus, 17. Euſebius, ac Cedrenus tribuant. *Ptolemaeo Soteri*, aliquibus *Lathuro* etiam dicto, anni 38. imputantur a Tertulliano; anni 36. a Clemente Alex., a Porphyrio, a Theone; anni 18. ab Abulpharagio; anni 17. ab Auctore Chron. Paſch. p.145. edit. Pariſ., Ven. p.182, ipſoſque ſequuto Pagio in Appar. p.337; anni 15. a S. Epiphanio p.169. Sed aliter ejuſdem Regni rationes deducunt, quas tandem eòdem cum Porphyrii, & Theonis computo recidere oſtendunt Dodvvellus cit. Diſſert., & Vallarſius in Not. Euſeb. p.593, ſq. Poſt *Soterem* vero *Ptolemaeus Alexander* III, S. Epiphanio *Alexas*, & *Ptolemaeus* alter *Alexandri* hujus frater *Pothinus* aliquibus dictus, (uterque Theoni praetermiſſus), memorantur Euſebio, Porphyrio, S. Epiphanio, Cedreno, S. Nicephoro, Auctori Chron. Alex. &c., adeo

adeo ut *Alexandro* annos 12. S. Epiphanius, 10. Euſebius, Porphyrius, Cedrenus, S. Nicephorus, Abulpharagius, & Auctor Chron. Alex. tribuant; *Pothino* vero annos 8. iidem Scriptores omnes adſcribant; ac poſt ipſum *Ptolomaeo* alteri *Soteri* II. annos 29. Cedrenus unus adſignat. *Ptolemaeo Dionyſo* (non *Dionyſio*, uti vitioſe aliqui ſcribunt,) aliquibus *Auleti* etiam denominato, anni 13. minus vere a Pagio loc.cit.; anni 29. attribuuntur a Clemente Alex., & a Theone; anni 30. a Cicerone in Epiſt.4. Coelii lib.8. ad ipſum, ab Euſebio p. 597, a Cedreno, a S. Nicephoro, ab Abulpharagio, & ab Auctore Chron. Paſch.; anni 31. a S. Epiphanio; anni 38. a Tertulliano, ut in Editis reſtituit Pamelius, non 37, ut ex ipſo referunt S. Hieronymus in Dan.ix. T.V. p.692, & Pomerius. *Cleopatrae* demum annos 20, & Menſes, non 5, ut habet S. Hieronymus, ſed 6, ut reſtituit Pamelius, tribuit Tertullianus, cui iterum Regni cum *Auguſto* annos 13. alios adſignat, & *Auguſto* poſt *Cleopatram* annos praeterea alios 43, in quo emendandum adnotant Pamelius, & Vallarſius: *Auguſtus* ſiquidem *Cleopatrae* annis 29. dumtaxat ſupervixerit; multoque magis emendandum Tertullianum in eo, quod Chriſto D. nato ſupervixiſſe *Auguſtum* annis 15. ſcripſit, utpote qui ſecundum ipſius computum, ideſt poſt *Cleopatrae* 13, & ſui ipſius 41. non potuit, niſi annis 2. ſupervixiſſe: ſiquidem ipſo fatente, annis 56. non amplius in vivis *Auguſtus* egerit. *Cleopatrae* vero annos Regni 25. a Syncello in Cod.Mſs. Barberino, Pereziano, & Palatino tribui adnotat Goarus p.66; quin annos 32. tributos legimus a S. Epiphanio loc. cit.p.169; ſed annos 22. dumtaxat veri longe ſimilius adſcribunt Clemens Alex., Euſebius p.605, Theon, S. Nicephorus, Cedrenus, Auctor Chron. Alex. loc. cit., & Abulpharagius. Qui anni ſimul omnes collecti efficiunt annos juxta Theonem, non Σϛ'β. 292., ut habet Petavius Rat. Temp. edit. Ven. T. II. p.278. ſq., ſed annos Σϛ'δ. 294, uti ſcite ex Ptolemaeo Almag. lib.3. cap.8, ejuſque Interprete Cabaſilla in Ptolem. p.180. advertit Dodvvellus in Theonis Canon. Aſtron. Oper. S. Cypriani edit. Felli p.164, juxtaque Clementem Alex., Tertullianum, Porphyrium &c.; ſeu juxta Euſebium efficiunt annos 296, aut verius

Digitized by Google

verius 294, juxta S. Epiphaniun annos 306, (modo ab annis 32. *Cleopatrae* ab ipſo falſo tributis anni 10. demantur), Syncellum, Cedrenum, S.Nicephorum, Auctorem Chron.Alex., quos vulgo ſequuntur Chronologi; atque deſinunt in annum 1. *Auguſti* ab Aera Aegyptiaca, Nabonaſſari 720, Olympiadis 187. annum 4, Julio Afric. item teſte, Periodi Jul.4685, ante Chriſti natalem 29: quibus additi Perſarum Regum anni 208, nec non *Auguſti* anni 30, quibus vulgarem Chriſti D. natalem antevertit, efficiunt annos 534: quot ſcilicet ex Regum Syriae Chronologia ſuperius colligi oſtendimus. Conferendi Petavius in Not. ad S. Epiphanium de Menſ., & Pond. T.II. p. 382. ſq., Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p. 576. ſqq., Dodvvellus loc. ſup. cit., Rollinus in Tabul. Chronolog. T.XIII. Regn. Aegypt., Syror. &c. p.51.ſqq., Angli Scriptores Hiſt. Univ. edit. Ven. T. X. Par.II. cap. 10. p.49. ſqq., & T.XI. cap.11. p.87. ſqq. &c.

XXXV. Jam vero in Epocham inquirendo, e qua *Hebdomadum* LXX. initium ducere oporteat, definire pretium eſt operae perinde tempus, a quo Perſarum Regum pro Judaeis Edicta emanarint. Itaque a *Cyro* anno Periodi Jul.4178, ante Chriſtianam Aeram 536, Imperii Babylonici ab interfecto *Balthaſſare* anno 3, ab obitu *Darii Medi* anno 1, primum Edictum pro Judaeorum libertate, de quo II. Paralip. XXXVI. 22. ſq., Iſajae XLIV. 28, & XLV. 13, Hieremiae XXIX. 10, ac I.Eſdrae V.13.ſq., & VI.3. fit mentio, promulgatum eſt. A *Dario Hyſtaſpe* anno Per. Jul.4195, ante Chriſtum anno 519, Imperii anno 2. ſecundum de Templo reaedificando Decretum pro Judaeis latum eſt; de quo Aggaei I. 1. ſqq., Zacchariae I. 1.16, ac I.Eſd.VI, 1—14. Ab *Artaxerſe Longimano* anno Periodi Jul.4247, ante Chriſti natalem vulgarem 467, Regni anno 7, juxta Thucydidem, aut 2, juxta Diodorum, tertium prodiit Edictum, quo Judaeis in patriam redeundi facta iterum facultas eſt, eòque argentum deferendi, aurumque, tam quod a Rege e Fiſco Regio fuerat ſuppeditatum, quam quod ab ipſis Judaeis pro neceſſariis Templi expenſis, Deique pro cultu inſtaurando comparatum fuerat; ac denique Judaeis *Autonomiae*, propriis ideſt utendi legibus, moribuſque poteſtas, juſ-

que fiebat; de quo I.Eſdrae v i i. 11—26. Ab eodem *Artaxerſe Longimano* denique Regni anno 20, juxta Thucydidem, ſive 15, juxta Diodorum, Periodi Jul.4260, ante Chriſtum 454. quartum promulgatum eſt Decretum, quo una cum Judeae Praefectura *Nehemiae* ampliſſima Hieroſolymae reaedificandae facultas eſt facta; de quo II.Eſd., ſive Nehem. i i. 6—10. Conferendi Uſſerius Annal.Vet.Teſt.p.79,86,103.ſqq., Petavius Rat.Temp.Par.II. lib.3.cap.10.edit.Ven. p.188.ſqq., Nevvtonus in Chronolog.Vet.Regn.Emend.cap.4.ſq. edit.Ven.p.221.ſqq., Pridaeus Hiſt. Jud. Par.I. lib.5. edit. Ven.2.p.104.ſqq., Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p.568. ſqq., ubi fruſtra ſane *Artaxerſem Longimanum* in rerum fuiſſe natura inficiatur, neque fuiſſe *Mnemonem* quin etiam permittit, ſed alium quempiam utique ſic ab *Arta*, Perſice *Magno*, & *Xerſe*, Perſice *Bellatore*, Herodoto lib.6. p.417. teſte invocato, cognominatum *Magnum Bellatorem* proprio de ingenio comminiſcitur.

XXXVI. Itaque *Hebdomadum* LXX. initium, (ut de iis, qui a primo *Cyri* Edicto in gratiam Judaeorum promulgato I.Eſd.i. i.ſqq., ideſt ab ipſo Danielis Vaticinio, ſive a *Darii Medi* anno 1. ineundum *Hebdomadum* harum cardinem volunt, de quibus abunde, opinor, diſputatum eſt ſuperiori §.xiv. ſqq. p.130. ſqq., nunc nihil retexam), ab anno 2, aut 6. *Darii Hyſtaſpis*, I.Eſd.v i. i.ſqq., qui annus 6. fuit Periodi Jul. 4199, ante Chriſti natalem 515, quove *Darii* anno 6. Templi ſecundi finita ſtructura fuerat, I.Eſd.v i. 15. ſqq., ducendum ſtatuunt Euſebius apud S.Hieronymum in Dan.ix. T.V.p.687. ſq., hoc eſt Demonſt. Evang. lib.8. verſ. Donati Veron. p.134. ſq., (cui tamen alteram hac ipſa de re inſediſſe opinionem ſuper. §.xi. p.123. ſq. oſtendi), Jacobus Edeſſenus in Scholiis ad Daniel. loc. cit., & in Epiſtola ad Johannem Stylitam apud Cl. Aſſemanum Bibl. Orient. T.I. p.76. ſq., & S. Cyrillus Hieroſolym. Catech.xii. edit. Touttaei p.172; queis adſtipulari non dubitarunt Janſenius in Concord. Evang. cap.122, Driedo de Scripturis Sacr. lib.3. cap.5; ex Proteſtantibus, Medus, Calovius, Derodon, Livelejus &c. apud Polum: quibus adjungit Hottingerus diſſert.2. de Hebd. Dan. §.18. p.105. recte quidem Spanhemium Hiſt. Eccl. p.189, falſo tamen Joſephum, S.Hie-

S.Hieronymum, Petavium, Uſſerium, & Ludovicum Capellum, ut palam infra fiet. Namque *Darii Hyſtaſpis*, inquiunt, anno 6. adjecti Regni alii anni 30, *Xerſis* 20, *Artaxerſis Longimani* 40, *Xerſis* II, & *Sogdiani* 1, *Darii Nothi* 19, *Artaxerſis Mnemonis* 43, *Artaxerſis Ochi* 23, *Arſis* 3, *Darii Codomanni* 6, *Graecorum* 180, *Aſſamonaeorum* 70, *Herodis* Aſcalonitae 36, quo natus fertur Chriſtus D., fient anni 471. uſque ad Chriſti D. natalem diem; ideoque *Hebdomadibus* LXX, ſive annis 490. complendis deerunt anni Chriſti D. anno 19. abſolvendi. Ad haec unius proculdubio, ejuſdemque *Darii Hyſtaſpis*, ſubjungunt, ſermonem fieri I. Eſd. IV. 5, & 24. legenti facile patebit. Igitur quum eodem loci Templi, Urbiſque aedificatio, prius intermiſſa ſub *Aſſuero*, ideſt *Cambyſe*, & ſub *Artaxerſe*, ideſt *Oropaſte*, ſive *Smerde*, ut ibid. v. 6. ſq. habetur, anno 2. *Darii Hyſtaſpis*, ejuſdem Decreto reaſſumpta fuerit ibid. v. 24, ejuſque demum Regni anno 6. completa fuerit, ut I. Eſd. VI. 15. legitur; inde fit, ut ab anno *Darii Hyſtaſpis* 2, aut 6. exordiri *Hebdomades* LXX. liceat. Jungunt & pleraque, quibus *Hebdomades* LXX. nec a *Dario Notho*, nec ab *Artaxerſe Longimano* inchoandas fore contendunt, de quibus infra. Verum ex Perſarum, Graecorum, ac Romanorum Chronologia nobis ſuper. §§. XVII. ſqq. p. 137. ſqq. ex Veterum certioribus Monumentis digeſta, ſtabilitaque conſtat, a *Darii Hyſtaſpis* anno 6. uſque ad Chriſti D. vulgarem natalem annos 515. omnino effluxiſſe, ideoque Prophetiae in Chriſto D. proculdubio complendae ſpatium annis 25. omnino ejuſdem ChriſtiD. natalem antevertere. Opinioni praeterea huic illud obſtat, quod *Darii Hyſtaſpis* Decreto Templi quidem aedificatio anno ipſius 2. permiſſa legitur I. Eſd. IV. 24, Templique aedificatio perfecta ejuſdem Regni anno 6. habetur I. Eſd. VI. 15: at de Urbe iterum aedificanda eo in Decreto nulla omnino mentio occurrit: quum ab hoc alioqui de Urbe iterum aedificanda Decreto *Hebdomades* LXX. deducendas explicitiſſime docuerit Angelus. Quae demum contra eorum, qui *Hebdomades* has a *Dario Notho*, vel ab *Artaxerſe Longimano* exordiuntur, opinionem opponuntur, modo expedienda ſunt, & diſſolvenda.

XXXVII. Vice longe verſa itaque a *Dario Notho Hebdomades* LXX. inchoandas volunt Severus Sulpitius Hiſt. Sacr. lib.2, & poſt ipſum Scaliger de Emend. temp. lib.6. p.600. ſqq., iſtiuſque ſectator individuus, perpetuuſque Calviſius, Druſius item in Sulpitii loc. cit., L'Empereur Praefat. in Jachidem, & in Dan.IX, Grotius Crit. Sacr. T.III. edit. Francof. p.715, Junius, Medus, Ubbo Emmius, Caſaubonus, Coccejus, Rainoldus, Helvicus, Burmannus, Moegerlinus, Strauchius, Hottingerus diſſert.2. de Hebd.LXX. §.18. ſqq.p.105.ſqq., aliique Polo recenſiti Synop. Crit. Sacr. T.III. p.1552, quam hiſce ſtabilire momentis opinionem ſatagunt. Tres namque tantum Reges, quorum gratia, opeque Templi, Urbiſque opus ſucceſſit, Eſdrae memorantur, *Cyrus*, *Darius*, & *Artaxerſes*: at *Darium* huncce *Nothum* fuiſſe, *Artaxerſem* vero fuiſſe *Mnemonem* ſequentia ſuadent. Primo *a Darii Nothi* anno 2, ſive 6. Templi ſecundi conſtructio fuerat completa, indeque ad ejuſdem Templi Excidium ſub *Tito* anni 490. interceſſere. Ad haec *Darius*, ſub quo Templum aedificatum eſt, medius legitur inter duos *Artaxerſes* I.Eſd.IV. 23. ſq., VI. 14. ſq., & VII. 1; *Darius* hic vero *Nothus* fuit, qui ante ſe *Artaxerſem Longimanum* habuit, & poſt ſe *Artaxerſem Mnemonem*. Sed enim ſicuti nimis cito, qui a *Dario Hyſtaſpe*, ſic nimis tarde, qui a *Dario Notho*, *Hebdomades* LXX. exordiuntur: a *Dario Notho* namque uſque ad Chriſti D. natalem annos 420. dumtaxat interceſſiſſe ex Chronologia §§.XVIII.ſqq.p.139.ſqq. contexta ſit evidens; ideoque Prophetiae in Chriſto D. complendae, hoc eſt annis 490, deficere annos 70. Ad haec ſi *Darius* ille, qui poſt *Cyrum* Dei operi promovendo, Temploque aedificando ſtuduit, I.Eſd.VI.1.ſqq., mediuſque fuit duos inter *Artaxerſes*, quorum prior, ſicut ipſius Praedeceſſor, ſic ipſe Templi aedificationem impedivit, I.Eſd.IV.17.ſqq., poſterior alter Templi, Urbiſque aedificandae iterum poteſtatem Judaeis fecit, I.Eſd. VII.21. ſqq., & II.Eſd., ſive Nehem.II.1, 8. ſqq., ille *Darius*, inquam, *Nothus* fuiſſet, *Artaxerſes* ille autem prior fuiſſet *Artaxerſes*, *Xerſis* ex Eſthere filius; poſterior vero *Artaxerſes Mnemon*, veluti contendit Scaliger, duo inde graviſſima conſequerentur incommoda; tum quod ab *Eſtheris*

theris marito, & filio Dei opus, ſive Templum impeditum fuiſſet, quod falſum prorſus adparet Eſth.viii.5.ſqq., & xvi. 1.ſqq., unde liquet ob gratiam Eſtheris *Aſſuerum*, ſive *Artaxerſem* pronum admodum erga Judaeos animum geſſiſſe; tum quod inde, vel juxta Chronologiam noſtram a primo Decreto *Cyri* pro Judaeis uſque ad poſtremum ab *Artaxerſe Mnemone* pro Judaeis, uti placet Scaligero, item Regni anno 20. promulgatum, II.Eſd., ſive Nehem.ii.1.ſqq., anni 158. omnino interceſſiſſent: cui tam longo temporis intervallo, quo ſane Templum jacuiſſet, obſtant manifeſte tam Aggaei 1.1—14, Zacchariae 1.1—16, & vii.1—5 Vaticinia, quibus breve, nec ultra annos 70, Deſolationis tempus duraturum indicatur, quam I.Eſd.v.1.ſq., & vi.14.ſq. teſtimonium, quo longe brevius indicatur tria inter Decreta *Cyri*, *Darii*, & *Artaxerſis* pro Templo inſtaurando tempus. Junge & Johan.ii.20. locum, ubi Judaei veteri traditione, conſtantique Templum ſecundum annis 46. non amplius aedificatum fuiſſe referunt. Juxta Chronologiam vero Scaligero initam, a *Dario Notho*, loco *Smerdis*, aut *Hyſtaſpis* poſito, uſque ad Chriſti D.natalem anni 517.praeteriiſſent, ideoque longe prius *Hebdomades* lxx. completae fuiſſent. Stat igitur, juxta Chronologiam nobis ſtabilitam, inconcuſſum *Artaxerſes* illos ante *Darium*, qui Dei operi, Templi hoc eſt aedificationi, impedimento fuere, *Cambyſem* fuiſſe, & *Smerdem*, de quo Grotius ad Daniel.ix; *Artaxerſem* vero illum, qui poſt *Darium* Templum aedificari, quin etiam Urbem, permiſit, fuiſſe *Longimanum*, mediumque *Darium*, a quo Dei opus quoque promotum fuit, fuiſſe *Hyſtaſpem*. Poſtremo ſi a *Dario Notho* Decretum de Templi reaedificatione repetendum foret, indeque *Hebdomadibus* lxx. faciendum initium, incredibilis profecto longaevitas *Joſue* Pontifici, *Zorobabeli* Duci, aliiſque, queis Templi cum primi faciem, tum ſecundi perinde conſpectam fuiſſe perhibent Aggaeus ii.3. ſq., & I.Eſdras iii. 12, tribuenda foret: a *Cyri* ſiquidem anno 1. uſque ad *Darii Nothi* annum 6. interfuiſſent anni 120: quibus adjecti aetatis anni, quos ante *Cyri* annum 1. illos tranſegiſſe oportet, annorum efficiunt ſummam vix, ac ne vix quidem credibilem. Peremptorium illud

illud denique, quod jam ſuperius innui, contra Scaligerum, ipſiuſque pediſſequas videtur, quod Zachariae I. 12—16. Angelus conquerens, quod anno 2. *Darii* jam ſeptuageſimo necdum Jeruſalem miſertus fuiſſet Dominus, reſponſum a Domino de brevi futura Templi, Urbiſque reſtauratione tuliſſe legitur. Jam vero totum iſtud ſane *Darii Hyſtaſpis* tempori congruit, in cujus anno 2. Deſolationis anni 70. profecto completi ſunt, quo ipſo anno *Darii* 2. Templi opus ſub *Cyro* inceptum, ac dein impeditum, reaſumptum eſt, ejuſdemque Regni anno 6. completum legitur I.Eſd.VI. 11, 15, (omni ex parte demum ſub *Axtaſerſe Longimano* perficiendum, hoc eſt ſupellectili pro Dei cultu inſtruendum); namque ab Urbis, ac Tempi Excidio, quod anno *Sedeciae* 11, Nabonaſſari 160, Olympiadis 48 anno 1, Periodi Jul.4126, ante Chriſti natatalem 588, ante *Cyri* Regnum 31.contigit, IV.Reg.XXV.1.ſqq., Hierem.XXXIX.1, & LII.4, Ezech.XXIV.1. ſqq., & Zach.VIII. 19, uſque ad *Darii Hyſtaſpis* annum 2.effluxiſſe vix annos 70. ex Chronologia nobis ſuper. §.XVIII. ſq. contexta aperte conſtat. Contra vero ab Urbis, Templique Excidio uſque ad *Darii Nothi* annum 2. interfluxiſſent anni 167: quae tam longa annorum ſumma cum Angelo promiſſione a Deo facta plane non congruit; neque tam longa profecto temporis intercapedine Templum jacuit. Videndi, qui Scaligerum, ejuſque Aſſeclas operoſe confutarunt, Petavius Doct. temp. lib. 12. cap. 31, Natalis Alex. Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. diſſert. 5. edit. Luc. 4. T.III. p. 479. ſqq., Huetius Dem. Evang. T.II. p. 471. ſqq., Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron.Oper.S.Hieronymi T.VIII. p.487. ſq., Jacobus Capellus in Hiſt. Sacr., Lud. Capellus in Chronol. Sacr. Not. ad Tab.II, Pridaeus Hiſt. Jud. Par.I.lib.5. T.II. edit. Ven. p.117. ſqq., Vorſtius, & Soſtmannus in Comment. Chronolog., & Exegetico de Hebdom. LXX. &c.

XXXVIII. Vero itaque longe propior eorum ſit opinio, queis ab *Artaxerſis* Regni anno 7, quo ab eo pro Templo perficiendo, ſive neceſſariis ad Dei cultum inſtruendo, Decretum editum legitur I. Eſd. VII. 7. ſqq., aut Regni anno 20, quo Edictum alterum ab eo pro Urbe demum exſtruenda latum habetur II. Eſd., ſive Nehem. II. 1. ſqq., *Hebdomades* LXX. inchoan-

choandae omnino videntur. Sed enim quis *Artaxerſis* iſte fuerit, haud levis inter Eruditos lis eſt. Et non defuere ſane, qui *Xerſem* putarint, Joſephum Antiq. Jud. lib. 11. cap. 5. ſequuti. Sed enim *Xerſem* annis 20. dumtaxat regnaſſe ſuper. §. xx ſq. p. 142, & 146. palam eſt factum, *Artaxerſem* hunc autem regnaſſe annos 32. ſaltem fides indubia fit ex II. Eſd., ſive Nehem. XIII. 6. Fuiſſe viciſſim *Darium* quidam dicere ſubſomniarunt. Aſt enim *Dario* unum dumtaxat Edictum tributum legitur I. Eſd. VI. 7. ſqq., ubi ver. 14. *Darius* ab *Artaxerſe* diſerte diſtinguitur; *Artaxerſi* vero duo referuntur accepta Decreta, veluti modo demonſtratum eſt. Sunt & qui *Mnemonem* fuiſſe pugnent, atque ita, qui *Darium* illum, a quo Decretum ſecundum de Templi aedificio reaſſumendo prodjit, *Nothum* fuiſſe propugnant, Scaliger, Calviſius, Medus, Wanſmuth &c. Sed enim a *Mnemonis* anno 20. uſque ad Chriſti D. natalem diem annos 380. non amplius effluxiſſe ex Chronologia Perſarum ſuper. §. XIX. ſqq. p. 140. ſqq. ſtabilita fit evidens, ideoque *Hebdomadum* LXX. inde exordium deſumi nequire. *Artaxerſem* igitur illum fuiſſe *Longimanum* conſtans, ac liquida Julii Africani, Euſebii, S. Hieronymi, Theodoreti, Syncelli, Auctoris Chron. Alex., Cedreni &c. ſententia eſt, cui inhaerere religioni habuere Pererius, Salianus, Petavius, Bailius, Derodon, Uſſerius, aliique mox referendi, quibus *Darius* ille, a quo ſecundum exivit Edictum, indubius habetur *Hyſtaſpis*; quamquam poſtea inter ſe differunt, an ab *Artaxerſis* anno 7, an magis ab anno 20. *Hebdomadum* LXX. initium ducendum fit. Itaque ab anno ejus 7. *Hebdomades* has inchoandas eſſe multis oppido, contentioneque magna poſt Cedrenum Hiſt. Comp. p. 144. edit. Pariſ., Ven. Hiſt. Byzant. T. VII. p. 115. pugnant Joh. Lucidus de Emend. Temp. lib. 7, Tuccius, Cornelius a Lap., Tirinus, Sanctius in Dan. IX, Cluverius, Guillelmus Bonjour de Hebd. LXX, Gravezonius de Annis Chriſti diſſert. 15, Bertius Theolog. diſcipl. lib. 25. Prop. 3, Jacobus Mă Ayrolus de Hebd. LXX. cap. 9. ſqq. Oper. Menochii T. II. p. 448, ſqq., Tourneminius eodem de argumento diſſert. 16. eodem T. II. p. 470. ſq.; ex Proteſtantibus vero Capellus uterque in Chronolog., & Hiſt., Funcius, Helvicus, Sim-

Simpſonius, Bucholzerus, Calovius, Buntingus, Lanſpergius, Jungmannus, Nevvtonus Obſerv. ad Daniel. Vaticinia cap.10. p.90. ſq., Pridaeus Hiſt. Jud. Par.I. lib. 5. T. II. edit. Ven. p.109. ſqq., Stackhouſe de Senſu Litter. S. Script. cap. 5. T.I. edit. Gallic. p. 168. ſq., Benzelius diſſert. de Hebd. LXX. Poſitione 5. Oper. T.II. p.27. ſq., huic unico fere, atque potiſſimo innixi momento, quod ab hoc *Artaxerſis* Regni anno 7. ſupputati anni 483, ſive *Hebdomades* LXIX. incidunt in annum 15. *Tiberii*, quo Chriſtus D. baptizatus Evangelio promulgando operam primum dedit, atque ita ut anno 487, in medio ideſt *Hebdomadis* ultimae, morti traditus fuerit, ac tribus poſt obitum annis *Hebdomades* LXX. fuerint completae. Verum juxta veriorem nobis probatiſſimis ex Auctoribus deductam Chronologiam, juxta quam *Artaxerſis Longimani* Regni initium in annum Periodi Jul. 4240, aut 4244, Chriſti D. vero natalem in annum Periodi Jul. 4710, aut imo juxta eos, qui verum Chriſti natalem a vulgari Aerae Chriſtianae anno haud diſtinguendum veriſimillime ſtatuunt, in annum Periodi Jul. 4714, referendum duximus, infraque denuo ſtabiliendum curabimus, ab anno 7. *Artaxerſis Longimani* ad Chriſti D. natalem verum, aut vulgarem anni 463, aut 467. omnino elapſi ſunt, ita ut ex annis 490, ſeu ex *Hebdomadibus* LXX, relinquantur anni 27, aut 23. complendi vitae Chriſti D. anno 23, aut 27, ideoque *Hebdomades* LXIX, ſeu anni 483. in Chriſti D. annum 20, aut 16. inciderint, quo necdum ſane Evangelio promulgando operam impendere cepit; *Hebdomadis* vero LXX., ſeu ultimae dimidium, ſive anni 487. cum anno Chriſti D. 24, aut 20. concurrerint, quo ſane ille necdum Crucem ſubjit: at enim Chriſtum D. in dimidio *Hebdomadis* ultimae interficiendum ex Danielis Prophetia indubium fit. Accedit & illud, quod *Artaxerſis Longimani* anno 7. Edictum de Templo Dei cultui dedicando, expenſiſque ad id neceſſariis inſtruendo latum utique fuerit, non etiam de Urbe denique reaedificanda: qua tamen ab Epocha, hoc eſt ab Edicto, ſeu *Exitu Sermonis, ut iterum aedificetur Hieruſalem*, *Hebdomadum* LXX. exordium deſumendum explicitiſſime Danieli ab Angelo denuntiatum eſt. Neque tenet id vero, quod pro hac opi-

opinione reponi ſolet in primo *Artaxerſis* decreto implicite fuiſſe involutam facultatem aedificandi Urbem. Nam eo potiori jure dici poſſet facultatem hanc implicitam fuiſſe in primo *Cyri*, aut in ſecundo *Darii Hyſtaſpis* edictis: quod inficias tamen adverſarii ipſi eunt. Praeterea ſi in primo *Artaxerſis Longimani* Decreto comprehenſa fuit iſthaec fasultas, ut quid opus ſecundi fuit Edicti pro aedificanda Urbe, adeoque ut impetrandi ejuſdem gratia *Nehemias*, Regi alioqui gratiſſimus, ejuſque Pincerna, nonniſi ſubtriſti, maerentique vultu, animoque ad illud impetrandum componere ſe, ſeque comparare ſtuduerit? Denique rei non minoris erat momenti Urbis reaedificatio, quam Templi, ut propterea non tam pro Templo exſtruendo, quam magis pro Urbe a fundamentis excitanda ſpecialis, explicitaeque opus fuerit facultatis. Conferendi Salmeron in Epiſt. ad Stephanum Tuccium Oper. T. XVI. p. 411. ſq., ubi contra Conſocium multa hanc in rem valide diſputat; Huetius Dem. Evang. Prop. IX. cap. 8. §. 6. T. II. p. 470. ſqq., & Chignolius Exercit. in Daniel Par. II. Exerc. XXVII. p. 34. ſqq., ubi multis Berti opinionem exagitat.

XXXIX. Remanet ergo, ut in anno Regni *Artaxerſis Longimani* 20. *Hebdomadum* LXX. cardo inconcuſſe conſtituatur: quae ſententia eſt Julii Africani apud S. Hieronymum in Dan. IX. Oper. T. V. edit. Veron. p. 681. ſqq., a qua ipſe S. Hieronymus haud procul abhorret, apud Syncellum in Chronog. p. 322. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p. 256. ſqq., quam & ipſe Syncellus amplecti videtur, & apud Auctorem Chron. Paſch., ſive Alex. p. 164. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 131. ſq., cui & ipſe utroque ſubſcribit pollice, ultro vero citroque ſuffragantur S. Joh. Chryſoſtomus Orat. 5. adv. Judaeos §. 10. Oper. T. I. edit. Montfauc. p. 644, Theodoretus in Dan. IX. Oper. T. I. edit. Colon. p. 585. ſq., Gregorius Bar-Hebraeus apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. I. p. 77, Anaſtaſius Abbas lib. adv. Jud. Bibl. PP. Lugd. T. XIII. p. 345, V. Beda Expoſit. in lib. II. Eſd., ſive Neh. II. cap. 16. edit. Par. fol. 120, ſq., Zonaras Annal. lib. 3. §. 9. p. 134. edit. Par. Ven. p. 97. ſq., (qua parum abeſt Freculphus Lexov. in Chron. lib. 4. cap. 9. Bibl. PP. Lugd. T. XIV. p. 1095, *Hebdomades* LXX. ab anno 32. *Artaxerſis Longimani*,

quo Urbis aedificatio completa eſt, incipiens, finit in *Neronis* regno), Anonymus Seculi XII. Scriptor in Tract. adv. Judaeos e Codice Mſ. S. Petri Conchenſis in Dioeceſi Ebroicenſi annorum 500. circiter a Martenio Theſauri novi Anecdot. T.V. p. 1507. evulgatus §. 44. ſqq. p. 1540. ſqq., Rupertus Tuitienſ., & Dionyſius Carthuſ. in Dan. IX, Lucidus in Chron., Comeſtor, Petrus Galatinus, qui prae illa de *Hebdomadibus* LXX. ab anno 4. *Sedeciae* inchoandis hypotheſim poſtea hanc de inchoandis *Hebdomadibus* his ab *Artaxerſis Longimani* anno 20. longe probabiliorem habuit Crit. Sacr. T. III. p. 711, Salmeron in Evang. Hiſt. T. I. Proleg. 43. de Hebdom. LXX. p. 539. ſqq., Suarez in 3. Part. S. Thomae diſput. 1. ſect. 2. T. I. p. 10. ſqq., Torniellus in Annal., Gordonus in Chronolog., Salianus ad an. M. 3609, Spondanus ad eumdem an. M. T. I. p. 406. ſq., Huetius Dem. Evang. T. II. p. 475, Bartoloccius Bibl. Rabb. T. II. p. 350, Natalis Alex. Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. diſſert. 2. edit. Luc. 4. T. III. p. 432. ſqq., Tournely de Incarn. Q. 3, Le Pelletier apud Calmetium de Error. Pict., Bernardus Lamy in Appar. Chronolog. Par. II. cap. 4. §. 9. p. 178. ſqq., Calmetius in Chronolog. Dict. T. II. edit. Ven. p. 554, & Diſsert. de Hebd. LXX. T. I. p. 472. ſq., Antonius Caſſini Encyclop. Tract. 3. Prop. 5, Nicolaus Auguſt. Chignolius Exerc. in Daniel. Par. II. Exerc. XXVIII. p. 30. ſqq., Samuel item Baſnagius diſsert. 8. de Hebd. LXX. §. 9. Annal. Polit. Eccleſ. inſerta T. II. p. 534. ſq., & Jacobus Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 5. cap. 5. §. 8. ſqq. p. 101. ſqq. Sed enim primus Gerardus Mercator in Chronolog., & poſt ipſum Petavius Doct. temp. lib. 12. cap. 32. ſq., & Rat. temp. Par. II. lib. 3. cap. 10. T. II. p. 189. ſq., & ex ipſo Lamyus in Appar. Chron. Par. II. cap. 4. §. 4. p. 160. ſq., Tirinus in Chron. Sacr. cap. 35, Poſſinus in diſsert. de Hebdom. LXX. §. 14. ſqq., Ricciolius Chron. Refor. lib. 6. cap. 12, & Vorſtius in Syntag. diſsert. apud Crenium in Faſcic. 3. diſsert. &c. p. 890. ſq., aliique *Hebdomadum* LXX. exordium ab *Artaxerſis Longimani* anno 20. repetendum utique volunt, ita tamen, ut non ab eo repetatur, quo poſt *Xerſis* Patris obitum ſolus imperium geſſit, ſed ab eo, quo cum Patre *Xerſe* imperare cepit, regnaviſseque putatur annis 7, aut 8, aut 9, aut 13, aut 15. diverſas juxta

xta opiniones Langii, Riccioli, Petavii, Tirini, & Nicolai Abrahami, adeo ut proinde *Hebdomades* haſce auſpicari dicendi ſint hi potius ab *Artaxerſis Longimani* anno 13, aut 12, aut 11, aut 6, aut 5.

XL. Argumentum vero deſumunt, & grave quidem ex *Themiſtoclis* fuga ad Perſarum Regem; quem *Xerſem* utique fuiſse tradunt Ephorus, Dinon, Clitarchus, Heraclides apud Plutarchum in *Themiſtocle*, quos etiam ſequuntur Diodorus Sicul. lib. 11. cap. 57. p. 447, alias 271, & 669, & Strabo lib. 14. p. 943, alias 636. Contra vero fuiſse *Artaxerſem*, (non *Mnemonem*, veluti concordiae tentandae gratia ſcripſit Briſſonius de Regno Perſarum lib. 1. n. 151. p. 483, ſed *Longimanum*, ut recte ibid. in Not. advertit Trekellius), auctores ſunt Thucydides lib. 1. cap. 137, Charon Lampſacenus apud Plutarchum in *Themiſtocle*, Aemilius Probus in Themiſt. vita §. 2. ſq., quibus adſtipulantur Cornelius Nepos in *Themiſtocle*, & Plutarchus loc. cit., Thucydidis teſtimonium aliis anteponendum adfirmans. Qui diverſa ſcribentes Auctores ea demum una conciliantur ratione, ut dicatur cum *Xerſe* regnaſſe *Artaxerſes*, ex veteri Perſarum more, cujuſce teſtes accedunt Herodotus lib. 7. cap. 2, & Plutarchus in *Artaxerſe* p. 1024, ut nempe Rege in expeditione eunte, unus e filiis Rex eligeretur, qui abſente Patre Regnum adminiſtraret, eoque adveniente cum ipſo una Regni habenas retineret: quem juxta morem *Darius* contra Aegyptios, & Athenienſes Exercitum comparans *Xerſem* Regem ſui loco conſtituit: ideoque *Xerſes* item bellum adverſus Graecos inſtaurans, de quo Juſtinus lib. 2. cap. 15. ad fin., *Artaxerſem* pro ſe Regem conſtituiſſe credendus eſt: non ſecus atque ſubinde *Artaxerſes* ipſe *Darium* filium, ipſo vivente, Regem conſtituit, Juſtino teſte lib. 10. cap. 1, atque *Dario* filio quin etiam Regis ſolius inſigne Κίδαριν ὀρθὴν φέρειν *Cidarim erectam geſtare*, (erat vero *Cidaris* Tiarae ſpecies rectae, in Conum elatae, ac myrrho, & labyzo delibutae, atque Diademate ex faſcia candida praecinctae, de qua Schroetter loc. cit. §. 6.), indulſit referente Plutarcho in *Artaxerſe* p. 1024, qui teſtem inſuper ſe praebet cum ibid. p. 1012, tum de Fortuna Alex. lib. 11. p. 341. vivo adhuc Patre *Artaxerſem* jam Regem fuiſſe adpellatum: qua de conſuetu-

dine videndi etiam Briſſonius de Regno Perſar. lib. 1. n. 8. ſq. edit. Lugd. Batav. p. 436, & Franc. Ferdinandus Schroetter in Diatribe de Juriſprudentiæ Vet. Perſar. ſect. 2. cap. 1. §. 3. Contra vero *Artaxerſis* iſtud una cum *Xerſe* Regnum non una evertere ratione contendunt Bailius lib. 1. q. 11. p. 173, Pererius Comm. in Dan. lib. 11. Par. II. opin. 15, Huetius Dem. Evang. Prop. IX. cap. 8. §. 8. T. II. p. 475. ſq., Ayrolus in diſſert. de Hebd. LXX. cap. 5. ſq. p. 446. ſqq., Pridaeus Hiſt. Jud. Par. I. lib. 5. T. II. p. 141. ſqq., Graveſonius de An. Chriſti diſſert. 15. &c. Principio namque Perſis etſi morem fuiſſe permittant, quod negat tamen Juſtinus lib. 10. cap. 1, ut Pater in Bellum profecturus haeredem nuncuparet, quem mallet, filium, qui ipſi ſuccederet, non ita tamen, ut ſimul in Regni conſortium admitteretur; unde *Xerſem*, nonniſi *Dario* mortuo, regnare cepiſſe ex Herodoto conficiunt. Sed etſi Perſis filios ad Regni conſortium adſciſcere in more poſitum concedant, id factum a *Xerſe* cum filio *Artaxerſe* nullibi conſtare clamant. Adhaec Plutarchum ex Thucydide, Charonte Lampſaceno, vetuſtiſque Chronicis aliis diſerte ſcribere quidem, defuncto jam *Xerſe*, Themiſtoclem ad *Artaxerſem* veniſſe: aſt enim *Artaxerſem*, poſt *Xerſis* Patris necem, adhuc puerum fuiſſe, teſtificari Juſtinum lib. 3. ſubjungunt. Miſſis denique aliis, *Xerſem* annos 20. regnaſſe invictis Veterum teſtimoniis conſtare, ideoque fruſtra contra Diodori Sic., Cteſiae, Ptolemaei, ac Theonis explicita teſtimonia, *Artaxerſis* Regnum anteverti concludunt. Viciſſim aliam ingreſſi viam Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 102, & Joh. le Pelletier in Ephemer. Dombenſ., ſive Trevolt. nodum hunc ſolvere conati ſunt, ita nempe, ut cum Thucydide Diodorum componerent, annis 9, aut 10. *Xerſis* obitum anteriorem conſtituerent, ita ſcilicet, ut a *Xerſe* novem, aut decem ablatos *Artaxerſis* annis accummularent, ac *Xerſi* annos 10, aut 11. dumtaxat, *Artaxerſi* vero annos 49, aut 50. adſcriberent. Veterum e contra Scriptorum hac in re diſcordiam ita demum componendam duxere Dodvvellus in Annal. Thucydidis p. 100, ipſumque ſequutus Pridaeus Hiſt. Jud. T. II. p. 144. ſq., ut *Themiſtoclis* fugam annis 9. poſteriorem uterque faceret, atque in annum 3. Olymp. 79. conferret. Qua plane ab opinione parum abfuit Ayrolus de Hebd. LXX. cap. 5.

The-

Themiſtoclis fugam anno 4. Olymp. 78, ac mortem Olymp. 80. anno 1. adſtringens.

XLI. Verum enim vero, ut ut hae ſe habeant hypotheſes de *Artaxerſis Longimani* Regno anticipando annis vel 7, juxta Langium, vel 8. juxta Ricciolium, vel 9. juxta Petavium, vel 13. juxta Tirinum, vel 15. juxta Abrahamum, mihi ſane cum Uſſerio, le Pelletier, & Langleto in Tab. Chron. T.I. p.54, & 171. annis 10. retro trahendum multa ſuadent, ac valdequam urgent. Principio Thucydidis, quod prae aliis faciendum adfirmat Plutarchus, Charontis Lampſaceni, Aemilii Probi, ſive Cornelii Nepotis, ac Plutarchi teſtimonium, quo ad *Artaxerſem* veniſſe *Themiſtoclem* docemur, quodque proinde Ephori, Dinonis, Clitarchi, & Heraclidis, Plutarcho judice, fide longe praeſtat. Quid autem quod Diodorus loc. cit. *Themiſtoclis* fugam confert in annum 2. Olympiadis 77, a quo parum abſens in Olymp. 76. annum 4. eamdem refert Euſebius in Chron. verſ. S. Hieronymi* T. VIII. p.499.; qui ab obitu *Darii* eſt annus 13, aut 12; quove anno quum jam regnaviſſe *Artaxerſem* ex Thucydide, Charonte Lampſaceno, Aemilio Probo, ſive Cornelio Nepote, atque Plutarcho didicerimus, inde fit, ut *Xerſes* nonniſi annos 10, aut 11. Regnum, (ſolus ſaltem), tenuerit? Diodoro vero Siculo *Themiſtoclis* fugam ad annum 2. Olympiadis 77. referenti, Euſebioque in Olymp.76. annum 4. eamdem conferenti adſtipulatur Cicero in *Laelio*, ſive libro de Amicitia edit. Lugd. 1664. p.160, ubi *Themiſtoclis* Oſtraciſmum annis 20. poſt contigiſſe, quam Roma pulſus *Coriolanus* fugam arriperet. Quum itaque *Coriolanus* Roma pulſus fuerit anno U. C. 263, ſive Olymp. 72. anno 1, *Themiſtoclis* proinde fuga, non annis 9. utique poſterior, uti Dodvvello, & Pridaeo viſum, facienda eſt, ſed in annum 2. circiter Olymp. 77. eſt conferenda. Videndi & Uſſerius Annal. p.104, & Corſinius Faſt. Attic. T.III. p.180, & Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron. loc. cit. Juxta haec itaque *Artaxerſi Longimano* Regni annos 46, aut 50. adſerendos haud dubito, atque Regni exordium, (ſive a *Xerſe* Patre in Regni conſortium fuerit adſcitus, ſive a Patris *Xerſis* obitu ipſe ſolus regnare inceperit), exordium, inquam, auſpi-

auſpicari non haereo ab anno Periodi Jul.4240, aut 4244, Aerae Nabonaſsari 275, aut 279, anno 3. Olymp. 76, aut Olymp. 77. anno 3, ante Chriſti natalem 474, aut 470, (pro ut nempe verus Chriſti D. natalis anno Periodi Jul. 4710, aut 4714. adſtringi ſolet); quo ſic poſito *Artaxerſis Longimani* Regni principio, ab ejuſdem Regni anno 20, quo Edictum de Urbe reaedificanda emanaſſe legitur II. Eſd., ſive Nehem. II. I. ſqq., Periodi Jul. 4260, aut 4264, Nabonaſsari 295, aut 299, Olymp. 81. anno 3, aut Olymp. 82. anno 3, ante Chriſti natalem 454, aut 450, *Hebdomades* LXX. incipiendas ſic oſtendo. Enim vero ab *Artaxerſe Longimano* anno Regni 20. Edictum de Urbe aedificanda latum legitur II. Eſd., ſive Neh. II. I. ſqq., ut ſaepe dictum; cui & certiſſime Urbis aedificatio tribuitur II. Eſd., ſive Nehem. VII. I. 4, & Eccleſ. XLIX. 15, a quo proinde Anno, Decretoque profecto *Hebdomades* LXX. putandas Danieli edixerat Angelus. Et certe a primo *Cyri* Edicto haud putandas *Hebdomades* haſce ſiquidem manifeſtum ſit factum, a poſtremo *Artaxerſis* ut putentur, Danielis Prophetia ſuadet: veri quum non ſiat ſimile, ut ab Edictis intermediis de Templi inſtauratione, cujuſmodi fuere cum *Darii Hyſtaſpis* I. Eſd. VI. 6. ſqq., tum ejuſdem *Artaxerſis* regni anno 7. I. Eſd. VII. 6. ſqq. Edicta repetenda, tam inſignem ducendam Epocham Angelus docuerit. Junge, quod ejuſmodi Edicti *Artaxerſis Longimani* anno 20. editi de reaedificanda Urbe vi proprie, vereque regreſsus Judaeorum deſignatus eſt; quomodo illud *Ab exitu Sermonis, ut iterum aedificetur &c.*, Hebraico vocabulo *Lebaſcib*, Hebraeo, Syro, Arabi in *Hiphil* valet *Ad redire faciendum*, ita ut eodem Decreto & regreſſio Populi, & Urbis reaedificatio deſignata fuerit, ſiquidem neque Urbs abſque Incolis, neque Incolae abſque Urbe intelligi queant. Atque Prophetiae huicce profecto reſpondet approbe temporum ſupputatio. Ab anno namque *Artaxerſis Longimani* 20. uſque ad Chriſti D. natalem verum, anno Periodi Jul. 4710, aut 4714. adfixum, revera anni 454, aut 450. interceſsere, adeo ut in Chriſti D. anno aetatis 30, *Tiberii* 15, quo Baptiſmo ſuſcepto *Evangelio* promulgando operam impendere primo cepit, *Hebdomades* LXIX, ſive anni 483. finem

nem acceperint; inde vero poſt annos 3. cum dimidio, in dimidio videlicet *Hebdomadis* LXX, ſive ultimae, ſive anno 487. in Cruce mortem objerit, reliquis annis 3. cum dimidio poſt ejus obitum adimplendis, veluti Danielis praeſeferebat Vaticinium. Enim vero Danieli Gabriel Angelus ita totum illud *Hebdomadum* LXX, ſive annorum 490. ſpatium in tres quaſi partes diſtribuit, ideſt tum in 7, tum in 62, tum in 1, *Hebdomades*, ut unicuique veluti parti ſuam Epocham, ac ſingularem eventum ſuum illigatum indicarit. Nam *Hebdomades* VII, ſive annos 49. ab *Eſdra* ſtatui Judaico Civili, & Eccleſiaſtico inſtaurando inſumendos edocuit. Inde uſque ad *Evangelii* promulgationem, aetatis ideſt Chriſti D. annum 30, ſerie haud interrupta, *Hebdomades* LXII, ſive annos 483. praeterfluxuros indicavit. A *Baptiſmo* deinde Chriſti D. uſque ad ejuſdem obitum *Hebdomadis* I. dimidium, hoc eſt annos 3. cum dimidio elapſuros fore; atque poſt ejus obitum denique reliquos annos 3. cum dimidio, ſive *Hebdomadis* ultimae dimidium reſiduum adimplendum deſignavit. Cum hac etiam ſupputatione optime congruunt aliae temporum rationes Iſajae, Hieremiae, Danieli, Aggaeo, & Zachariae indicatae. Sicut enim ab anno 4. *Joachimi* Regis Juda ad primum Judaeorum e Captivitate regreſsum interfluxerunt anni 70; ab excidio *Templi* ad ejuſdem Templi aedificationem, ſive uſque ad annum 2. *Darii Hyſtaſpis*, anni 70. item effluxerunt, ita ab aedificatione *Templi* completa, ideſt ab anno 7. ejuſdem *Darii Hyſtaſpis* uſque ad Urbis aedificationem, videlicet uſque ad annum 20. *Artaxerſis Longimani* anni 70. etiam intercesſere: ab anno vero ejuſdem *Artaxerſis Longimani* 20, ideſt a Terreſtris Jeruſalem aedificatione, uſque ad Chriſti D. obitum, hoc eſt uſque ad aedificationem Jeruſalem Caeleſtis *Hebdomades* LXX. excurrerunt. Facit & huc approbe, quod egregie Tirino in Chron. Sac. cap. 38. inter alios obſervatum eſt, videlicet ſic ab *Igne* Caelitus dato *Nebemiae* in dedicatione Urbis Jeruſalem, de quo II. Macchab. I. 22. ſqq., uſque ad Deſcenſum *Spiritus S.* in Apoſtolos in ſpecie *Ignis* in die Pentecoſtes effluxiſſe totidem annos 487; quot effluxerant ab anno, quo primum *Moyſi* de Caelo *Ignis* miſſus fuerat, totique Populo in

in *Legis* promulgatione in Monte Sinai, de quo Exod. XI. 32. ſq., & Numer. IX. 15, uſque ad annum, quo *Ignis* etiam de Caelo *Salomoni* Regni ſui anno 11. Menſe 8. datus fuerat in dedicatione *Templi*, de quo III. Reg. VIII. 10. ſq. Quod fere unicum opponi de nimia *Nehemiae*, & *Sanballati* aetate opinioni huicce noſtrae ſolet, affatim, niſi meus me fallit amor, jam Super. §. XXIV. p. 149. ſqq. profligatum eſt, ideoque ad alia properandum.

XLII. Quod igitur ad 3.m propoſitae quaeſtionis partem attinet, ad *Perſonam* nempe, in qua *Hebdomades* LXX, juxta Danielis Prophetiam, adimplendae demum fuerint, Judaei vel in *Cyro*, Iſajae XLV. 1. *Chriſto* dicto, uti R. Salomon Jarchi, & R. Joſeph Jachiades; vel in *Agrippa* משיח *Maſchiah*, ſive *Chriſto* ipſis etiam temere nuncupato, veluti RR. Salomon, & Abarbanel apud Hulſium Theolog. Jud. Append. p. 548. ſqq. dicere ſomniarunt. Verum *Cyrum* non utique *Meſſiam*, ſive Chriſtum, ſed hujus Typum fuiſſe tantum, ita ut ſicuti *Meſſias* poſt *Hebdomades* LXX. a Captivitate Daemonis liberatum homines erat adventurus, ita *Cyrus* Judaeos a Babylonica Captivitate poſt annos LXX. liberavit, veteribus Judaeis arcte perſuaſum erat in Codice מגילה *Meghilla* cap. 1. fol. 12, ibique ſignatim RR. Nachmanidi, Salomoni, & Abenezrae Comment. in Iſajae XLV. 1. diſerte negantibus *Cyrum* fuiſſe *Meſſiam* eo loci ab Iſaja, & a Daniele IX. 25. ſqq. deſignatum. *Agrippa* vero etſi Rex, *Chriſtus* tamen dici nequivit, qui tum neque interemptus eſt, ſed Romanis magis confoederatus fuit, teſtibus Joſepho de Bello Jud. lib. 2. cap. 3. ſq., & Tacito Annal. lib. 5; tum nunquam unctus fuit, quia ſacrae Unctionis Oleum cum Arca reconditum in ſecundo Templo non extitiſſe teſtatum habetur in Cod. כריתות *Cherithoth* cap. 1. fol. 5, & in Cod. מדרש שיר השירים *Medraſc Sir Haſcirrim*, ideſt in *Expoſitione Super Canticum Cantic*, cap. 8. fol. 38. col. 2. apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T. II. p. 333, ubi plura contra Judaeos perſequitur; cuique jungendus, qui ejuſdem opus perſequutus eſt, Imbonatus T. V. p. 80. ſqq., ubi plurimis Judaeos pro *Meſſiae* adventu premit, & opprimit. Longe vero pejus Judaeorum plerique alii, neque niſi veluti praephreneſi

neſi delirando, pro Chriſto, ſive pro *Meſſia* intelligendum eſſe vel *Templum* ipſum volunt, uti RR. Salomon, & Jachiades, vel ipſum *Sacerdotium*, veluti RR. Levi in Dan. IX, & Saadias in *Sepher Haemunoth*, ideſt *libro Fidei*; quae ſuapte commenta ſane concidunt, adeo ſunt abſurda, & abſona: quis enim ſanae mentis *Templum* interficiendum fore adfirmet? Vel *Zorobabelem*, uti Judaei Recentiores nonnulli; aut *Jeſum* filium *Joſedechi*, ut R. Levi; aut *Eliaſibum*, & *Ananum*, ut Orobius; aut *Nehemiam*, ut R. Azarias in *Meor Enajim* cap. 41. apud Baſnagium Hiſt. Jud. T. V. edit. Amſt. lib.5. cap.5. §.20. p. 113. Quae alioqui Thalmudiſtarum deliria, & figmenta diſpuncta affatim, exploſaque inſpicere licet a Lyrano in Dan. IX. Gloſſ. Ordin. T. IV. p. 1613. ſq., a Raymundo Martini in Pugione fidei Par. II. cap. 3. §. 29, a Bailio in Dan. Q. 1. p. 16. ſqq., ab Huetio Demonſt. Evang. Prop. VII. §. 20. T. I. p. 406. ſqq., & Prop. IX. §. 15. T. II. p. 486. ſqq., a Natali Alex. de Hebd. LXX. diſſert. 2. Prop. II. T. III. p. 440. ſqq., & a Baſnagio loc. cit. p. 113. ſqq.; quae nobis etiam commenta paullo infra contra Marshamum, Grotium, Harduinum &c. diſputaturis tam ex ſacro Danielis IX. ſcopo, quam ex toto Prophetiae contextu penitus explodentur. Primores interea, ſapientioreſque profecto Rabbinorum Megalandri Prophetiam hanc ad Chriſtum D. pertinere, in eodemque fuiſſe complendam inficias haud quaquam ire, diffiterique auſi ſunt, uti ſcite advertit Huetius loc. ind., non R. Barachias in *Bereſchit Rabba*, non R. Moyſes Ben Nachman in Dan. IX, non R. Samuel in Epiſt. ad R. Iſaacum memorata Dionyſio Carthuſiano. Quin etiam Iſajae LV. 4. ſq. memoratum *Nagbid* נָגִיד, Graece Ἡγούμενον, Latine *Ducem*, etiam Danieli IX. 25. uſurpatum de ſolo, veroque *Meſſia* proculdubio intelligendum docere non verentur Paraphraſtes Jonathan, Thalmudiſtae in Codice *Meghilla Nikrath*, nominatimque R. Salomon, & R. Abenezra cum in Iſajae loc. cit., tum in Dan. IX. Iterum Dan. IX. 24. *Juſtitia Sempiterna* nonniſi de *Meſſia* capienda certiſſime viſa eſt Thalmudiſtis ipſis in Codice *Cerachot Meematai*, in *Rabba Bathra* cap. 5, in *Bereſchit Rabba*, in *Echa Rabbati*, & in *Midraſch Thehillim*; ſignatimque R. Joſepho

Albo in Libro *Fundamentorum*, R. Davidi Kimchio in Libro *Radicum*, & R. Moyſi Nachmanidi Gerundenſi in Dan.cap.IX.

XLIII. Judaeorum deliriis exploſis, diverſae Chriſtianorum expendendae modo, expediendaeque opiniones occurrunt. In quibus, (ut ſingularem Apollinarii Laodiceni opinionem ſilentio modo premam, operoſe jam alioquin, opinor, ſuper. §.XVI. p.135.ſqq. refutatam), S.Hippolytus apud S.Hieronymum Oper. T.V. edit. Vallar. p. 689, hoc eſt in Homil. de Chriſto, & Antichriſto Bibl. PP. Lugd. T. III. p. 255. ſq., & T.XXVII. p.8. ſq., ab anno 20. Captivitatis ita quidem *Hebdomades* LXIX. exorditur, ut cum Chriſti D. nativitate eaſdem concludat. S. Cyrillus Hieroſol. vero Catech. XII. edit. Touttaei p.172. eaſdem *Hebdomades* LXIX. ab anno 6. *Darii Hyſtaſpis* ita inchoandas ſtatuit, ut *Hebdomadem* LXIX. in Chriſto D. quoque adimpletam fuiſſe adfirmare non dubitet: ultimam tamen uterque in *Antichriſti* adventu fore complendam perſuaſum habeat. Sed enim hypotheſim utramque in eo, quo *Hebdomadum* initium ducitur, abs vero longe aberrare demonſtratum jam eſt ſuper. §§.XVI, & XXXVI.ſq. p.134.ſq., 170.ſqq.; in eo vero, quo *Hebdomas* ultima in fine Mundi complenda ſtatuitur, ab hiſtorica Danielis Vaticinii, obviaque intelligentia longius abhorrere paullo infra palam fiet. Jam vero eam primus, omnino improbabilem, induere Euſebius viſus eſt opinionem Dem. Evang. lib.8. verſ. Donati Veron. p.130.ſqq., relatus etiam S. Hieronymo in Dan. IX. T. V. p. 684. ſqq., atque Syncello Chronogr. p.309. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.246. ſq., ut putaret verba illa: *Ab Exitu Sermonis .... Uſque ad Chriſtum Ducem* ita accipienda eſſe, ut initio *Hebdomadum* LXX. ab anno 1. *Cyri* ducto, impletae ſint primo *Hebdomades* VII. in perſona *Joſedechi*, ſive ipſius filii *Joſue*, atque perinde *Zorobabelis*. Deinde *Hebdomades* LXII. a *Darii* anno 7. uſque ad *Alexandri Jannaei* Regis, ac Pontificis annum 27. in Pontificibus *Joachimo*, cognomento *Joſedecho*, *Eliaſibo*, *Jojade*, *Johanne*, *Jaddo*, *Onia* I, *Eleazaro*, *Onia* II, *Simeone* I, *Onia* III, *Juda Macchabaeo*, *Jonathane*, *Simeone* II, *Johanne*, *Ariſtobulo*, & *Alexandro Jannaeo* abſolutae ſint: quos ad unum omnes *Chriſti Ducis* nomine deſignatos arbitratur;

Heb-

Digitized by Google

domas vero ultima demum in *Hircano* ſit adimpleta. Alteram ejuſdem Euſebii eodem loci ſubtexit S. Doctor, ex Chronico nempe Oper. T. VIII. p. 617. ſqq., hypotheſim, juxta quam *Hebdomades* VII, & LXII. a *Darii Hyſtaſpis* anno 6. inchoatae tandem in *Hircano*, a Daniele *Chriſti* nomine deſignato, e Macchabaeis Pontifice ultimo ab *Herode* jugulato adimpletae fuerint, ita tamen ut Chron. p. 645. ſqq. ultimae *Hebdomadis* dimidium in Chriſti D. Principatu completum fuiſſe affirmare non dubitet, qui ſub *Herode* natus, tribus annis, ac Menſibus ſex Evangelio promulgando opera impenſa, veteris Legis Sacrificiis, ac Ritibus finem impoſuit. Qui rurſus in Hiſtoria Eccleſ. lib. 1. cap. 6. *Hebdomades* LXII. cum Chriſti D. Nativitate, ac Principatu finitas perhibere non ambigit. Horum porro ſimillima, ex Euſebio profecto hauſta, referre, acceptamque hypotheſim utramque habere nec dubitarunt Auctor Chronici Alex., ſive Paſchalis edit. Ducangii Pariſ. p. 189; Ven. p. 151; qui tamen p. 163. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 131. ſq. Julii Africani ſubinde praeferre ſupputationem videtur, de qua poſt; atque Euſtathius Antiochenus in poſtrema Hiſtoriae parte Lugduni poſtea edita ad Olympiadem 186. apud Goarum in Annot., & Emend. ad Syncelli Chronog. edit. Ven. p. 68. ſq.; qui ſubinde tamen alteri potius Julii Africani ſupputationi, juxta quam *Hebdomades* LXX. in Chriſto D. completae ſunt, adhaerere videtur. Haud procul hinc abluſit Quintus Julius Hilarion de *Mundi duratione* Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 375. *Hebdomades* LXX. a *Cyro* ita exorſus, ut ſub *Antiocho Epiphane* abſolutas eaſdem opinatus ſit. Qua ipſa perinde ab opinione parum abſuere Eſtius in Matth. XXIV, & Sixtus Senen. Bibl. Sanc. lib. 8. p. 644, quibus Vaticinium iſtud ad *Antiochi Epiphanis* tempora, Templique profanationem ab eo factam ſpectare viſum eſt. Quod utrique haud parvo vertens crimini Harduinus ab eodem ſe fruſtra excuſaſſe poſtea modo palam fiet.

XLIV. Nec inde procul abhorruit Marſhamus in Canone Chron. Aegypt. &c. Seculo XVIII. p. 610. ſqq., qui jamdiu oblitteratos Joſephi Antiq. Jud. lib. 10. cap. 14, ſive ult., atque Porphyrii errores, S. Hieronymo in Praefat. lib. 11. Comment.

in Iſajam, & in Praefat. Comm. in Daniel. notatos, revocare non veritus, *Hebdomades* has ita expoſuit, ut *Hebdomades* VII, ſive annos 49. a *Dario Medo* uſque ad *Cyrum* effluxiſſe ſupponat. Inde *Hebdomades* LXII, ſive annos 434. a *Cyri* anno 1. Regni Babylone initi uſque ad annum 1. *Antiochi Epiphanis* fuiſſe elapſas opinetur. Indidem vero *Hebdomadis* ultimae dimidium uſque ad annum 3. cum dimidio ejuſdem *Antiochi*, ſub quo Templi profanatio contigit: ac reliquum inde *Hebdomadis* dimidium uſque ad expiationem Templi ejuſdem per *Judam* Macchabaeum factam expletum fuiſſe concludat. Itaque illud *Occidetur Chriſtus* de Sacrorum ceſſatione, Sacerdotumque diſperſione ſub *Antiocho Epiphane* accipiendum vult, indeque ſuadere nititur, quod in Graeca Verſione LXXVirali legatur: ἐξολεθρευθήσεται Χρίσμα. *Exterminabitur Unctio*. *Ducis* vero, ſive *Chriſti* nomine intelligendos cum primo *Cyrum*, tum poſtremo *Judam* Macchabaeum jubet; quae ut loco, uti jubet, ſuo ſtent, totum ſuſque deque Danielis Vaticinium vertit, pervertitque. Quo non uno ſane is peccaſſe errore deprehenditur; tum 1.° , quod inique ſiniſtrum prorſus in ſenſum manifeſtiſſimam Danielis de Chriſto D. Prophetiam intorquet; tum 2.° , quod Prophetiam ipſam peſſime interpretatus, Deſolationem uſque ad *Conſumationem*, *& finem* perſeverandam a Daniele praedictam ſub *Antiocho Epiphane*, tribus ideſt dumtaxat annis duraſſe I. Macchab. IV, ſub eoque deſiiſſe ſupponit; tum 3.° , quod contra Temporum rationes annum 1. *Darii Medi* cum anno 21. Captivitatis, quo Danielem alloquutum Angelum, & *Hebdomadum* VII. exordium ducendum, Captivitatis autem initium cum anno everſae a *Nabuchodonozore* Urbis copulandum autumat: quum e contra annus 1. *Darii Medi* in annum 68. inciderit; Captivitatis autem initium ab anno 4. *Joachimi* Regis Juda verius deducendum alio in loco demonſtratum ibit; tum 4.° , quod *Hebdomades* III, quas in jejunio, fletu, & planctu tranſegiſſe *Daniel* legitur cap. X, annorum *Hebdomades* fuiſſe abſurde prorſus opinatur, quas dierum fuiſſe dumtaxat nemo non ſentit; tum 5.° , quod ab anno 1. *Cyri* uſque ad *Judam* Macchabaeum interfluxiſſe annos 440. putat: quum anni 377. dumtaxat effluxerint; quot

ed by Google

quot nempe ab anno Periodi Jul. 4176, ante Chriſti natalem 538, quo *Cyri* annum 1. conſignandum oſtendimus, uſque ad Periodi Jul. annum 4548, ante Chriſtianam Aeram 166, quo *Judas* Macchabaeus poſt obitum Patris Principatum injit, de quo I. Macchab. 11.49.70, & Joſephus Antiq. lib. 12. cap. 8. anno Graecorum 146. id contigiſſe referentes, interceſſere. Videndi Uſſerius in Annal. Veter. Teſt. p. 314, Harduinus in Chronolog. p.592, Tournelius de Incarn. Q. 3, Calmetius diſſert. de Hebdom. LXX, Daudaeus in Tabul. Chronolog. Aetat. VI. Bibl. edit.Ven. T.I. p.LXVIII, & in Not. Chron. ad I. Macchab. 11. T.II. p.149, aliique infra laudandi, atque in his e Proteſtantium grege Franciſcus Buddeus Hiſt. Eccleſ. Vet.Teſt. T.II. Periodo II. ſect.5. p.689. ſqq., ubi multis oppido Marshami hypotheſim exagitat, ac profligat.

XLV. Hac ipſa ab Hypotheſi a P. Bernardo Lamy ſibi impacta liberare ſe ſe quamvis adnixus ſit P. Harduinus in ſui Defenſione de Hebdomadibus LXX. Syſtematis p. 902. ſq., parum tamen abfuit, in eoque, quod rei caput eſt, & ſumma, cum Marshamo approbe Harduinum in Chronolog. Vet. Teſt. p.592. ſqq., & in Defenſ. p.880. ſqq. conveniſſe probatum dedere poſt Lamyum Graveſonius de Myſter., & Annis Chriſti diſſert. 15. §. 1. T. I. p. 253. ſq., Jacobus Baſnagius Hiſt. Jud. T.V. edit. Amſt. lib. 5. cap. 5. §. 6. p. 96. ſq., aliique infra recenſendi. Enim vero in eo a Marshamo diſcrepat Harduinus, quod ille Prophetiam de Chriſti perſona fuiſſe prorſus inficiatur, ipſe vero Chriſtum D. praecipue, directeque in Prophetia ſpectatum adfirmat. In eo praeterea, quod in *Onia* Typum Chriſti D. fuiſſe ſtatuit Harduinus, de quo ne volam quidem, leveque γρὺ habet Marshamus. Praecipue vero in eo differt; quod iſte *Hebdomades* LXX. ab excidio Hieroſolymitano ſub *Nabuchodonozore* auſpicatus, ſeptem priores in *Cyro* anno 1. Regni Babylone initi expletas exiſtimat; ipſe vero *Hebdomades* LXX. annis 19. ante illud Excidium, anno 4. *Joachimi* Regis, ante Chriſtum annis 606, cui *Exitus Sermonis* e Hieremia XXV. illigandus ipſi videtur, inchoandas duxerit, atque priores ſeptem in *Cyro* anno 1. in Media imperante, ideoque ante annos 25. abſolutas cenſet. Verum cum Marshamo

mo in eo, quod rei caput eſt, & cardo, conveniſſe negare oppido nequit, nempe quod 1.° cum ipſo *Hebdomades* VII. in perſona *Cyri*, qui pro *Chriſto*, ac *Duce* utrique profecto accipitur, completas opinatur: quod 2.° cum ipſo *Hebdomades* LXII. in purificatione *Templi* finitas adfirmare non dubitat. Quin in eo poſtea Marshamo pejus deliquiſſe Harduinus videtur 1.° Quod ille in *Juda* Macchabaeo, quem *Ducem* credidit, veri certe ſimilius, ipſe vero in *Onia* Pontifice, cui *Ducis* nomen parum ſane congruit, *Hebdomades* LXII. fuiſſe adimpletas putat. 2.° Quod duos, quin imo tres ipſe diſtinguit *Unctos*, ſive *Chriſtos*, ac *Duces*, *Cyrum*, *Judam*, & *Oniam*, ita ut *Hebdomades* VII. in *Cyro*, *Hebdomades* LXII. in *Juda* Macchabaeo, ac ultimam in *Onia* Pontifice litteraliter expletas opinetur: quorum neutri tamen congruit ſane ſive *Ducis*, ſive *Chriſti* Danieli commemorati character. 3.° Quod *Oniam* in Pontificem inauguratum ſtatuit ſub exitu *Hebdomadis* LXII: qui eodem tamen anno occiſus eſt, annoſque 30. ante Pontificatum adeptus fuerat: quo tempore *Hebdomades* LVIII. necdum efluxerant. Miſſa facio, quae p. 883. ſqq. falſo, ac perperam ſcribit de *Dario Medo*, quem ante Chriſtianam Aeram anno 533. Babylone regnare cepiſſe, anno vero 531. ibidem Regnum initum a *Cyro* ſupponit; quum anno 536. Babylone primum *Darium Medum*, annoque 538. poſtea *Cyrum* imperare cepiſſe ſuper. §. XX. ſq. p. 141. ſqq. palam fecimus; quae de *Aſſuero Medo*, quem omnino a *Cambyſe* diſtinguit, illumque Babylone, iſtumque in Media Regnum obtinuiſſe fingit; quae de *Dario Hyſtaſpe*, quem Babylone annos 6. dumtaxat regnaſſe, in Media vero annos 22. praeterea vult; quae de *Artaxerſe*, quem *Dario Hyſtaſpi* proxime ſucceſſiſſe, ipſumque fuiſſe, a quo Eſdras, ac Nehemias Regni anno 7, & 20. Edictum pro Templo inſtaurando, Urbeque aedificanda impetraſſe putat, poſt quem unum dumtaxat adhuc *Xerſem* inter Perſarum Reges Babylone imperantes agnoſcit; omniumque Regni ſpatium annis 66. omnino concludit: quae omnia profecto ipſius ex praejudicata opinione procuſa ex Chronologia Regum Perſarum nobis probatiſſimis ex Auctoribus ſuper. §§. XVIII. ſqq. p. 139. ſqq. contexta funditus corruere neceſſe eſt.

Etſi

Etſi vero Harduini Syſtema hocce nihil habere fidei repugnans, ideo quod Chriſtum D. totius Prophetiae ſcopum ponit, quò primum collineaſſe Spiritum S. adfirmat, adfirmare non dubitarit Calmetius in Diſſert. de Hebdom. LXX. T. I. edit. Ven. p.470. ſqq.; quin imo haud multum ipſemet ab illo abhorruerit, aliudque ipſe ab Harduiniano parum abhorrens Syſtema proponere haud veritus ſit, (in quo ſane venia haud ſe dignum praebuit), ita nempe Vaticinii Danielis verba *Ab exitu Sermonis* &c. interpretatus, ut ab exitu Captivitatis uſque ad *Chriſtum Ducem*, videlicet *Cyrum*, *Hebdomades* VII, ſive annos 49. effluxiſſe cenſeat; inde vero a reſtitutis in libertatem, juſque priſtinum Judaeis *Hebdomades* LXII. uſque ad reaedificatam Urbem, & *Chriſti* occiſionem, nempe *Oniae* Pontificis, elapſas exiſtimet: indidem vero *Hebdomadis* ultimae a profanatione *Templi* facta ab *Antiocho Epiphane* ducendum ſtatuat initium, ac ita ut in medio *Hebdomadis Hoſtia* defecerit, & abominatio *Deſolationis*, *Jovis* Simulacrum ideſt in Templum inductum, facta fuerit, & uſque in finem, *Hebdomadis* ideſt poſtremae, *Deſolatio* perſeveraverit: tutius attamen demum, factuque optimum exiſtimavit *Hebdomadum* LXX. exordium ab *Artaxerſis Longimani* anno 20. auſpicari, exitumque in Chriſti D. obitu conſtituere, ita ut ultimae caput a Chriſti D. Baptiſmo inire, finem vero cum Chriſti D. nece concludere ſatius arbitratus ſit.

XLVI. Verum his omnibus hypotheſibus Joſephi, Porphyrii, Judaeorum, Euſebii, Euſtathii &c., ac Marshami quammaxime, & Harduini, quas geminas poſtremas a temeritatis nota haud facile abſtergere fas eſt, queis utpote ſi fieri locum ſemel liceat, harumque ſimillimas pro ingeniorum libidine ad quodlibet audendum proclivium confingendi fiat libertas, in Sacris nihil amplius Prophetiis integrum, ac ſartum, tectumque relinquetur; (cujuſce temeritatis inſigne proſtat ſane in Grotio exemplum, qui poſtquam toto de Veritate Relig.Chriſt. lib.5. Prophetiis quammaxime Judaeorum pervicaciae frangendae incubuiſſet totus, in Commentariis poſtea Vet., & Nov. Teſtamenti id unum totis praeſtare viribus poſt Socinianos adlaboravit, ut Prophetiarum ſenſum proprium, litte-

litteralem, ac proximum aliis, quam Chriſto D., Perſonis ſub eo tempore adaptaret, Chriſto D. remotum, myſticum, & allegoricum dumtaxat adaptaſſe contentus: qui digna pro temeritate propterea a Noſtratibus recepit, ſpeciatimque a Cl. Huetio Demonſ. Evang. Prop. vii. edit. Ven. T.I. p.355. ſqq., diffuſeque a P. Balto in Defenſ. Prophet. tribus operoſe Voluminibus, egregieque confecta; quo de argumento & nos quoque, Deo favente, copioſe alio in loco); hypotheſibus, inquam, his obeſt 1.° Totius manifeſte Prophetiae ſcopus, quae eò tota collineabat, ut indicaret liberationem Judaeorum a Captivitate Babylonica Typum fore libertatis Hominum futurae a Captivitate Daemonis per Adventum Chriſti D. comparandae, ita videlicet, ut ſicuti per annos 70. Captivitatis ſcelerum poenam Judaei pertulerant, poſt quos libertatem adepti fuerant, ſic poſt annos ſepties 70. a Captivitate Daemonis liberandi Homines forent per Chriſti D. paſſionem, & mortem, inque libertatem filiorum Dei adſerendi. Quo patet non typice, & allegorice, ſed hiſtorice, & litteraliter in Chriſto D. adimplendam Danielis Prophetiam hancce fuiſſe. Obeſt 2.° Prophetiae totius manifeſte textus, & ſenſus, qui nonniſi Chriſti D. perſonae aptari, deque ipſo recte intelligi poteſt. En integer locus: *Septuaginta Hebdomades abbreviatae ſunt ſuper Populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſumetur praevaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Juſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum* Dan. ix. 24. Rogo vero, quae iſthaec *Praevaricatio*, niſi *Protoparentum*? Quale *Peccatum* iſtud, niſi *Originale*, quod inde in Mundum intravit Rom. v. 12? Quae *Iniquitas* iſta, niſi cetera, quae ex Originali profecta ſunt mala? Qua de re Verſiones Syriaca, Graeca, Arabica, Pagnini, Junii, & Tremelii, Ariae Montani, Tigurina, Piſcatoris, Munſteri, Vatabli &c.; Caſtalio, Grotius &c. A quo vero, quaeſo, niſi a Chriſto D., de quo Joh.1. 29. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum Mundi*, conſumanda *Praevaricatio* fuerat, *Peccatum* accipere finem, & *Iniquitas* deleri poterat? Quo ſane loci verba *Ut conſumetur Praevaricatio, & finem accipiat*

piat peccatum &c. accipienda fore, non de Peccatorum expiatione per Chriſtum, ſed de Peccatorum finali punitione quidam opinati audiendi profecto non ſunt. Nam verbum Hebraeum tum לְכַלֵּת *Lecalleth*, tum לְהָתֵם *Lebatem* cum ה h. *He* in medio nempe ſecundum *Keri*, non לְחָתֵם *Lechatem* cum ח *Heth Ch* in medio ſecundum *Ketibh*, veluti per errorem ſcriptum legitur in Polyglottis Londin. T.III. p. 216, inde profectum, quod Verſiculo ſq. 25. ad *Sigillandam Viſionem* verbum לַחְתֹּם *Lachtom* cum ח *Heth Ch* in medio ſcribitur; atque recte ſane, nam ita *Sigillare* hocce loci proprie ſignificat: qui error proinde in Verſiculo ſuper. 24. emendatus ad marginem eſt, utrumque, inquam, Verbum *Lecalleth*, ac *Lebatem* pro *Finire*, & pro *Froenare* proprie accipitur, tum Verbum לְכַפֵּר *Lecaper* pro *Expiare* accipi debet: qua de re conferendi Pridaeus cit. T. II. p. 107. in Not., Guſſetius in Lex., Clodius in Supplem. Lex. Guſſet. p. 208, &c. etſi pro eodem ac *Finire* hoc ipſo loci *Obſignare* accipi docent. Atque ita quidem Hebraica verba *Lecalleth*, *Lebatem*, & *Lecaper*, quae Vulgatus Interpres vertit *Ut conſumetur*, *Finem accipiat*, *&* *Deleatur*, Hebraeus Textus legit *Ad Conſumandum*, *ad Sigillandum*, *ad Expiandum*; ſive uti vertunt Pagninus, & Vatablus, *Ad Conſumendum*, *ad Finiendum*, *ad Expiandum*; Syriaca Verſio *Ut Aboleantur*, *ut Conſumantur*, *& ut Remittatur iniquitas*; Arabica *Ut Abſumantur*, *ut Obſignentur*, *& Deleantur*; Graeca LXXViralis Συντελέσαι, ſive Συντελέσθῆναι, Σφραγίσαι, ſive Ὄρασιν, καὶ Ἀπαλεῖψαι, *Ut Conſumentur*, *Signentur*, *& Deleantur iniquitates*. Quae jam vero, peto, *Juſtitia Sempiterna* iſthaec, quae adducenda promittitur, niſi Chriſtus D., de quo Pſal. LXXI. 7, Iſaj. XI. 4, XLII. 6, XLIV. 8, LI. 5, LIII. 11, LXII. 1. ſq., & LXIII. 1, Hierem. XXIII. 5. ſq., Zach. IX. 9, Malach. IV. 2, & 1. Corinth. 1. 30? Ita per Chriſti necem plane hoc futurum promittebatur bonum, ut *Peccatum* aboleretur; ſed & in hac ipſa Chriſti nece id mali adceſſurum erat, ut Judaici Populi impietas ad cumulum perveniret, de qua Iſaj. VIII. 14, & XVIII. 16, Luc. II. 34, Rom. IX. 32, & 1. Petri II. 6. De quo vero, amabo, alio *Viſio*, *& Prophetia* loquebatur, in quove adim-

plenda erat, niſi de Chriſto, & in Chriſto, unde Matth. xi. 13. *Omnes Prophetae ... uſque ad Johannem prophetaverunt?* Quae *Unctio* iſta vero, rogo, quiſve Ἠλειμμένος *Unctus* iſte, ut vertit Aquila, notavitque Lactantius lib. 4. cap. 7, quiſve rurſus *Sanctus Sanctorum* hic ungendus, niſi Chriſti Divinitas humanitati ab Incarnatione copulata, de qua Pſal. xliv. 8, Iſaj. lxi. 1. ſq., & lxii. 1. ſq., Chriſtus ipſe Luc. iv. 17. ſqq., Daemones item Marci i. 23. ſqq., & Luc. iv. 33. ſq., S. Petrus Act. iii. 14, iv. 27, & x. 43, 1. Epiſt. i. 15. ſq., S. Paulus ad Rom. 22. ſqq., 1. ad Corinth. i. 30, ad Coloſſ. i. 9, & ad Hebr. i. 8. ſq., & S. Johannes i. epiſt. ii. 20: quibus jungendi Judaeorum nonnulli apud S. Hieronymum in Dan. ix, ac inter hos RR. Levi Ben Gerſom, & Moyſes Ben Nachman in Dan. ix, ubi id de *Meſſia* ſane interpretantur, ac pro *Juſtitia*, pro *Uncto*, pro *Sancto Meſſiam* profecto intelligendum fore nullatenus ambigunt. Et ita ſane de Chriſto D. id totum interpretantur Verſiones Vulgata, Graeca, Syriaca, Arabica, Junii, & Tremelii, Piſcatoris, Tigurina, Caſtelionis, Pagnini, Ariae Montani, Vatabli &c.

XLVII. Sequitur apud Danielem loco cit. verſ. 15. *Ab Exitu Sermonis ... uſque ad Chriſtum Ducem* &c. Quis hocce loci, precor, *Chriſtus*, atque *Dux*, niſi ille, qui Iſajae lv. 4. *Teſtis*, *Dux*, & *Praeceptor* Gentibus a Deo dandus denuntiatur, quemve ultro citroque Judaei ipſi agnovere Matth. ii. 5. ſq., & Johan. vii. 42, *Ducis* nomine indicatum *Meſſiam* a Daniele ix. 25, & Michaea v. 2? Pergit S. Propheta verſ. 26: *Et poſt Hebdomades Sexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus Populus, qui negaturus eſt* &c. Quiſnam, amabo, *Chriſtus* hic occidendus, quam ille, quem Iſajas liii. 4. ſq., & Hieremias Thren. iv. 20. ob peccata hominum interficiendum praenuntiarunt, cujus idcirco interfectionis cauſſa, cujuſve interfectores Judaei, Chriſtum ipſum negaturi ab eodem repudiati ſunt, de quibus Oſeae i. 9, & Rom. ix. 26. Concludit denique cum Daniele Angelus verſ. 27: *Confirmabit pactum multis Hebdomada una, & in dimidio Hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium, & erit in Templa abominatio Deſolationis, & uſque ad conſumationem, & finem per-*

perſeverabit Deſolatio. Quibus ſane verbis quid aliud, quaeſo, indicatur, daturque intelligi, quam foedus Deum inter, & homines Chriſti D. baptiſmo, & praedicatione, operibus, & prodigiis, vita, & obitu demum ineundum, confirmandumque: quo de foedere, Chriſto D. ſequeſtre in Cruce futuro, complendo in Chriſti D. morte jam pridem loquuti ſunt Iſajas XLII. 6, & XLIX. 8, Hieremias XXXI. 31. ſq., Ezechiel XVI. 60.ſq., Oſeas II. 18. ſq.; & S.Paulus ad Hebr. VIII. 8. eventu comprobavit: cujuſce demum cum obitu defecit apud Judaeos Sacerdotium, & Sacrificium, juxta Prophetias David Pſal. XXXIX. 7. ſq., Iſajae I. 11, Hierem. VI. 20, Oſeae II. 11, & III. 4, Amoſi V. 21, Michaeae I. 10. ſq., & Malachiae I. 11. ſq.; quibus calculum poſtremo ſuum appoſuit S. Paulus ad Hebr. VIII. 6. ſq., & X. 4.ſq. Quo a tempore inducta in Templum Judaeorum, Urbemque Jeroſolymam *Deſolatio*, & *Abominatio* in hodiernum durat adhuc diem, velut etiam praeviſum eſt pridem Davidi Pſal. LXVIII. 26, Iſajae XXV. 2, Hieremiae XVIII. 16, XIX. 8, XLIX. 13, & L. 13, Oſeae III. 4, & Zachariae XIII. 8, & XIV. 2; ac denuntiavit demum Chriſtus D. ipſe Matth. XXIII. 37. ſq., & XXIV. 1. ſq., ac Luc. XIX. 43. ſq. Quae fuſe perſequuntur adverſus Judaeos praeſertim Tertullianus cap. 8. edit. Haverc. Ven. p. 190. ſq., & S. Joh. Chryſoſtomus Orat. 5. T. I. edit. Montf. p. 642. ſqq. Marshami vero, Harduinique Danielis Prophetiam jam ſub *Antiocho Epiphane* adimpletam opinantium jugulum petunt, eorumque Syſtema confodiunt Verba ipſius met Chriſti D. Matth. XXIV. 15, Marci XIII. 14, & Lucae XXI. 20. *Cum videritis Abominationem Deſolationis, quae dicta eſt a Daniele Propheta* &c., quibus apertiſſime declaravit praedictam a Daniele *Abominationem Deſolationis* necdum factam eſſe, ſed propediem executioni demandandam, a *Tito* videlicet, a quo Urbs, ac Templum vaſtatum eſt: unde clarius Lucae loc. cit. *Cum videritis circumdari ab Exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit Deſolatio ejus*: ubi Chriſtum D. ſane de Deſolatione a *Tito* inferenda loquutum nemo facile non intelligit.

XLVIII. Mirari denique valdequam ſubit, qua fiducia adfirmare Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p. 592. ſq. haud

fuerit veritus ex Patribus ſive Graecis, ſive Latinis neminem Verba illa *Occidetur Chriſtus* de Chriſto D. noſtro intelligenda docuiſſe, ſive *Hebdomades* LXX. in Chriſto D. fuiſſe adimpletas: perpetua ſiquidem, liquidiſſimaque SS. Patrum Eccleſiae traditio ſit in Chriſti D. perſona *Hebdomades* LXX. litteraliter, & hiſtorice fuiſſe completas, indeque Chriſti D. in Carne adventum, maxime adverſus Judaeos, manifeſte, invicteque oſtendi. Cui ſane Traditioni illuſtre teſtimonium adjungunt Julius Africanus apud S. Hieronymum in Dan. IX. T.V. p.681. ſqq., & Syncellum in Chronog. p.322. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 256. ſq.; Clemens Alex. Strom. lib. I. edit. Potteri Ven. p. 393. ſq.; Origenes in Matth. Tract. 29. Oper. T. III. edit. Caroli de la Rue p.859; Tertullianus adv. Jud. cap. 8. p. 189. ſqq.; S.Cyprianus in Computo de Paſchate edit. Felli Amſtel. p. 216. ſq.; S. Jacobus Niſibenus Serm. 18. adv. Jud. ex Armeno Latine edito ab Emin. Nicolao Antonelli §.5. ſq. p.394.ſqq.; Euſebius Dem. Evang. lib. 8. verſ. Donati Veron. p. 130. ſqq., & Hiſt. Eccleſ. lib.1. cap.6; S. Athanaſius de Incarn. Verbi Dei T.I. edit. Colon. p.92. ſq.; S. Joh. Chryſoſtomus Orat. 5. adv. Jud. §.9. ſqq. Oper. T. I. p. 642. ſqq.; Euſtathius Antioch. ad Olymp. 86. apud Goarum in Annot. ad Syncellum edit. Ven. p.69; S.Cyrillus Hieroſolym. Catech. XII. §.19. edit. Touttaei p.172; S. Hieronymus in Dan. IX. T. V. Oper. edit. Vallarſii p.682, 694. ſq.; S. Auguſtinus epiſt. 78. ad Heſychium Oper. T.II. edit. Lovan. p.110; Baſilius Seleuc. Orat.38. adverſ. Jud. p.195. ſqq.; Theodoretus in Dan. IX. Oper. T. I. edit. Colon. p. 585. ſq.; S. Julianus Tolet. adv. Jud. lib. I. Bibl. PP. Lugd. T.XII. p.616.ſqq.; Anaſtaſius Abbas lib. adv. Jud. Bibl. PP. Lugd. T.XIII p.345; Syncellus in Chronog. p.323. edit. Pariſ., Ven. p.257; Zonaras Annal. lib.3. §.9. edit. Pariſ. p.133. ſqq., Hiſt. Byzant. edit. Ven. T.X. p.98. ſqq.; Auctor Chron. Alex., ſive Paſchal. edit. Par. p. 164, Ven. p. 131; Rupertus Tuitienſis in Dialog. inter Chriſt., & Jud. ad calcem S. Anſelmi edit. Gerberonii; Petrus Alphonſus ex Judaeo Chriſtianus in Dialogo cum Moyſe Judaeo Tit.9. ex Poſſevino in Appar. Sacro tranſlato in Bibl. PP. Lugd. T.XXI. p.204. ſq.; Ven. Petrus Cluniac. in Tract. adv. Judaeos cap.4. Bibl. PP. Lugd. T. II. 22. p. 998. ſqq.;

ſqq.; Petrus Bleſenſis in libro contra Perfidiam Judaeor. cap. 13. Bibl. PP. Lugd. T. XXIV. p. 1195. ſq.; Fulbertus Carnot. Serm. 2. contra Judaeos Bibl. PP. Lugd. T. XVIII. p. 43. ſq.; Eberhardus Bethunienſis in libro contra Waldenſes cap. 27. in Diſput. contra Jud. Bibl. PP. Lugd. T. XXIV. p. 1578. Qua de Traditione conferendi quoque Huetius Dem. Evang. T.I. p. 408. ſqq., & T.II. p. 482. ſqq.; Natalis Alex. Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. edit. Luc. 4. T. III. diſſert. 11. Prop. 11. p. 440. ſqq.; Suarezius in 3. Part. D. Thomae T.I. diſp. 1. ſect. 2. p. 7. ſqq.; Salmeron in Evang. Hiſt. Proleg. 43. de Hebd. LXX. Oper. T. I. p. 541. ſqq.; aliique longe plures: ex Proteſtantibus vero Ludovicus Capellus in Chronolog. Sacr. Tab. XI. in Not. Appar. Waltoni p. 68. ſqq.; Pridaeus Hiſt. Jud. Par. I. lib. 5. T. II. p. 106. ſqq.; Benzelius de Hebdom. LXX. p. 29. ſq.; Polus, & quam longe plures apud ipſum Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 1519. ſqq.; & qui ſignatim adverſus Marshamum ſcripſere, & Harduinum e Noſtris Bernardus Lamy in Appar. Chronolog. Par. II. cap. 4. §. 10. p. 181. ſqq.; Ferrandus in *Reflexions ſur la Religion Chretienne*; Graveſonius de Myſt., & An. Chriſti diſſert. 15. T. I. p. 253. ſq.; Tourneminius de Hebd. LXX. diſſert. 16. ad Menochii T. II. calcem p. 465. ſq., ubi tacito Harduini nomine, ab eo deinde opinionem hancce fuiſſe ejuratam teſtis accedit; Chignolius Exercit. in Daniel. exerc. 26. p. 18. ſqq., aliique, qui poſtquam egregie hoc in ſtadio deſudarunt, exerceruntque ſe ſe, amplum nobis otium fecerunt: ex Proteſtantibus vero Wagenſeilius in Mantiſſa ad Tela Ignea Satanae de Hebd. LXX. adv. Marshamum; Campegius Vitringa Obſervat. Sacr. lib. 6. cap. 1; Samuel Baſnagius diſſert. 8. de Hebd. LXX. §. 4. ſqq., & §. 13. ſqq. Annal. Polit. Eccleſ. T. II. p. 532. ſqq.; Limborchius Theolog. Chriſt. lib. 3. cap. 27. §. 13. ſqq.; Benzelius cit. diſſert. de LXX. Hebd. Oper. T. II. p. 25.; Hottingerus diſſert. 2. in Hebdom. LXX. Daniel. §. 9. ſqq. p. 89. ſqq.; Jacobus Baſnagius Hiſt. Jud. T. V. edit. Amſt. p. 90. ſqq.; aliique longe plures memorati Fabricio de Verit. Relig. Chriſt. cap. 31. p. 591. ſqq., Carpzovio Introd. ad libros Bibl. Vet. Teſt. Par. III. cap. 6. §. XI. T. III. p. 263. ſqq., Scheteligio in Biblioth. Diſputat. in Vet., & Nov. Teſt. ad Dan. cap. IX. p. 324. ſqq., ac Joh. Chriſtopho-

ſtophoro Dom Bibl. Theolog. Crit. Par.II. lib.6. cap.xi. §. 21. T.II. p.311. ſqq. &c.

XLIX. Operoſiſſimae, proque gravitate, dignitateque molli profecto, levique haud pertractandae brachio Periodo huicce annorum 490. colophone, uti Superis placuit, multam ſic poſt operam impoſito, ad reliquas, quae expediendae manent, Periodos ut gradus fiat, jam ordo, ratioque poſtulat; in quibus pro hujuſce coronide Articuli Periodus *Victorina* locum obtinet. *Cyrilliani* itaque Cycli annorum 95. defectibus, vitiiſque, ut jam ſuper. Art. II. §. xviii. ſq. p. 89. ſqq. innui, deprehenſis, Latinorum primus *Victorius* Aquitanus ſub Seculi V. initio Cyclum annorum 532., ex Cyclo *Lunari* 19. per *Solarem* Cyclum 28, viciſſimque ex Cyclo *Solari* 28. per *Lunarem* Cyclum 19. multiplicato conflatum reperiſſe fertur: quo completo eamdem Feriarum *Apocataſtaſim*, eumdemque *Noviluniorum*, ac *Paſchalium* dierum ordinem aeque in orbem regredi arbitratus fuerit. Iſtiuſmodi Cycli Laterculum ab anno Aerae Chriſtianae 547. incipiens in veteri Lapide Eccleſiae Veſunnicae, ſive Petrocorienſi in Aquitania ſcalptum inſpiciebatur a Grutero in Theſauro Inſcript. deſcriptum p.1161. n.5, a Baronio in Annal. ad annum 545. n.18, & a Spondano ad eumd. an. n.4: quod iniquas poſtea Calviniſtarum paſſum manus diſperiit. *Victorio* tamen iſtiuſmodi in Cycli inventione praeiviſſe videtur *Metrodorus* quidam Aegyptius genere apud Photium Bibl. Cod.115. p.291. ſq., a quo Cyclum annorum 532, & quidem ex Cyclis *Solis* 28, ac *Lunae* 19. invicem ductis confectum, & a *Diocletiano* inchoatum memoriae prodidit. Praeiviſſe item *Panodorus*, & *Anianus* inſignes in Aegypto Monachi ſub *Arcadio* videntur, a quibus *Paſchalis* annorum 532. Tabula egregie digeſta memoratur Georgio Syncello in Chronog. p.35. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p.27. ſqq., juxta quam Chriſti obitum anno 213. Periodi II. annorum 532. conſignare non dubitant p. 320. ſq., edit. Pariſ., Ven. p.255. ſq. Hinc ex duumviris hiſce Aegyptiis potius, quam ex *Victorio* Gallo homine, Cycli iſtiuſmodi 532 (quem a Chriſti D., non Obitu, uti *Victorio* viſum eſt, ſed a Baptiſmo Orientalibus inchoari conſueviſſe obſervat recte Bucherius p.

182.),

Digitized by Google

182.), mentionem ingeſtam fuiſſe cum a S. Maximo in Computo Eccleſ. cap. 18, tum ab Auctore Chron. Alex., ſive Paſchal. p. 10. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p. 8. ſqq., ubi fuſe illum deſcribit, Feſtiſque per annum accommodat, *Biſſextis*, atque *Lunae* diebus etiam notatis, non ſecus atque perinde de *Lunari* Cyclo 19. p. 288. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 230. ſq. operoſe agit, a Martii die 21, & *Diocletiani* anno 59. iſtum auſpicatus, in eoque diebus *Lunae* 14. Paſchati celebrando deſtinatis, *Epactis* item, & *Emboliſmis* in circulo adnotatis; qui denique p. 373. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 297. ſq., Imperii Juſtiniani anno 35, Indictione 10, a Chriſti D. obitu Cyclum hunc annorum 532. completum fuiſſe ſcribit. Verum contrario, quo veterum Latinorum Cyclum annorum 84. laboraſſe ſuo loco oſtendimus, laborare vitio deprehenſus eſt deinde *Victorinus* Cyclus. Cujuſmodi ſane Cycli vitia in *Metrodoro* jampridem ab Anonymo quodam in libro de Paſchae feſto reprehenſa fuiſſe refert Photius in Bibl. Cod. 116. p. 294; neutiquam vero deprehenſa fuere vitia iſthaec a Syncello p. 36. edit. Pariſ., Ven. p. 28. in *Aniani* Cyclo 532, qui ab *Aniano* ideo merito reprehenſum Euſebium fuiſſe ſubdit, quod in Chronico ab *Adamo* uſque ad Vicennalia *Conſtantini* M. annis 290. aberraverit, dum annos 5526. dumtaxat collegit; quandoquidem, *Aniano* judice, colligere annos 5816. debuiſset, quot ideſt Annos ipſe *Anianus* Periodi 532. ope collegerat: ita nempe animo infixum *Aniano* erat, ut Periodi 532. retroductae ope Aerae Mundanae caput invicte demonſtraretur: quo de *Aniani* errore adeundus Vander Haagen de Cyclis Paſchal. Par. I. p. 65. ſqq.; qui eodem perinde in errore obverſatum fuiſse *Panodorum*, dum e Periodo 532, ducto ab ipſo Mundi exordio Periodi cardine, decurrentem in Aera Mundana Annum rite deprehendi & ipſe putavit, oſtendere pergit ibid. p. 93. ſqq. Contrario itaque, quo veterum Latinorum Cyclum 84. laboraſse alibi oſtendimus, laborare vitio *Panodori*, *Aniani*, *Metrodori*, ac *Victorii* Cyclus 532. deprehenſus eſt demum: namque, veluti ſuperiori Artic. II. §. XV. ſq. p. 85. ſqq. demonſtratum eſt, Cyclo illo 84. *Novilunia* poſthabebantur, adeoque ut poſt annos 84. inferius prolaberentur die 1. hor. 6. min. 51.′ 4.″; contra vero

Cyclo

Cyclo *Victorino* 532. *Novilunia* praeverti cognita ſunt, adeoque ut poſt annos 532. citius die 1.hor.16.min.51.′ 15.″ 8.‴ contingerent. Qua in re venia dignus ſane non videtur *Victorius*, qui *Lunaris* Προηγήσεως, ſive *Anticipationis* notitiam necdum fuerit aſsequutus: quamvis idem vitium jampridem in *Calippi* Periodo annorum 76. praenotatum Hipparcho fuiſſet: quae utique Periodus *Calippica* ſepties ducta hunc efformat *Victorii* Cyclum annorum 532, erroremque aucta multiplicat.

L. Error tamen non illico deprehenſus in cauſsa demum fuit, ut *Victorinus* hic Cyclus multo in Eccleſia Latina, ac praeſertim Gallicana, in qua Cyclum hunc diu obtinuiſse liquet ex Synodo Aurelianenſi IV. anno 541. habita, & S. Gregorio Turon. Hiſt. Franc. lib.5. cap.17; ac in Hibernia, velut ex V. Beda Hiſt. Angl. lib.3. cap.4, & Auctore lib. de *Mirabilibus* S.Script.Oper.S.Auguſtini T.III.arguit Noriſius diſsert. 3.de Cyclo Paſch.Raven. cap.3.edit. Veron.T. II. p.775, ſq., multo, inquam, in Eccleſia tempore adhibitus cum *Aequinoctium* a die 21. Martii, Nicaeno termino, ad diem 10. retraxerit; tum etiam *Novilunia* ultra quatriduum praecipitaverit. Cui deinde errori obviam iviſse *Victorem* Capuanum, editoque Paſchali Canone, (qui ad nos haud pervenit), illum confutaſse, atque diem, quo Paſcha anno 550. celebrandum foret, loco recte defixiſse auctor eſt V. Beda de Temp.Rat.cap. 49. in fine, quove de *Victoris* Capuani Cyclo adeundus, qui egregie diſserit, Aegidius Bucherius Doctr. temp. cap.11; atque omni demum ex parte rite ſub *Gregorio* XIII. obviam eſt itum, ut ſuo dictum loco eſt. *Victorini* porro iſtiuſmodi Cycli annorum 532.variae Tabulae in vetuſtis paſſim Eccleſiaſticis Codicibus Paſchalibus diebus deſignandis ſervatae ſunt; cujuſmodi ea eſt, quae Operum V. Bedae T.I.edit. Baſilien.1563. proſtat p.232: quam tamen valde mendoſam, ac tredecim in eam omnino turpes irrepſiſse errores adnotavit Bartoloccius Bibl. Rabb. T.II. p.513. ſqq., quos emendare curavit. Inter alias inſignis, erroriſque ferme immunis eſt Tabula a Mariano Scoto digeſta, quae in Codice Mſ. Bibl. Vaticanae num.830. ejuſdem Chronici eſt, vulgata deinde, Notiſque illuſtrata a Bartoloccio cit. T.II. p.494. ſqq. Exorditur ea vero Tabula ab anno

no 1. Aerae *Dionyſianae*, finitque cum anno ejuſdem Aerae 532, quo Dionyſius Exiguus in vivis agebat, inde ſecundo iniit, & in annum 1064. terminat, quo Marianus ipſe Scotus florebat, ac tertio ab eodem incipiens anno ducitur uſque ad annum 1596: quod indicio eſt non obſcuro Mariani Scoti adhuc ſub aetate, Seculo XI. ideſt, *Victorini* in Eccleſia, maxime Germanica, Cycli uſum obtinuiſse. Verum & huic *Victorini* Cycli errori Noriſius ipſe ut obviam iret, novum Cyclum *Luni-Solarem* annorum 1932. excogitavit, quibus emenſis *Novilunia*, & *Plenilunia* ad eamdem horam ejuſdem diei, ejuſdemque Feriae, a qua digreſsa fuerant, denuo regredi perſuaſum habuit. Periodum hancce porro *Noriſianam* lato exponendam calamo, & ad Kalendarium accommodandam *Gregorianum* adſumpſit P. Guillelmus Bonjour Auguſtinianus & ipſe Kalendario Romae edito anno 1701, demonſtrandumque Cyclo 84. *Novilunia* deſcendere die 1. horis 6. min. 51.′ 4.″; Cyclo vero 532. *Novilunia* anticipare die 1. horis 16. min. 51.′ 15.″ 8.‴; at Periodo *Noriſiana* 1932, ex Cyclo *Solari* 28. vicibus 69. repetito, & ex Cyclo *Latino* 84. vicibus 23. in ſe ducto conflata, *Novilunia* eadem die, eadem Feria, eademque hora in orbem aeque reduci. Ita quidem recte in hypotheſi annorum mere *Julianorum*: aſt enim de *Gregorianis* loquendo annis, Periodum hancce P. Guillelmi Bonjour, non ſecus atque Periodum a P. Auguſtino Aëtino deſcriptam, praeter quam quod cum irregulari *Epactarum* incremento procedit, (ſiquidem *Epactae* ſingulis eliciendae annis eſſent juxta exigentiam Cyclorum mere Aſtronomicorum, modo 10, modo 12, velut in Periodo *Blanchiniana*, de qua infra), quodque cum duplici *Epactarum* deſcriptione procedit, altera ſcilicet Latino, Arabico, ſive Saracenico altera Charactere inſcripta, ideoque Kalendarii a *Gregoriano* diverſi indigeret, vice plus ſimplici in *Paſchatis* indictione peccare, quod nempe cum ante *Plenilunium* aliquando, tum in Aprili celebrandum indicaret, quod in Martio peragi tum debet, quum *Plenilunium* medium die 22. Martii contingit, oſtendit Jacobus Bettazzius Oper. Paſch. cap. 17. n. 489. Epitom. p. 172. ſq. Ex hac iterum Periodo *Victorina* 532. per *Aureum Numerum* 19.

multiplicata Periodum ſuam alteram, quam *Solis Auream* denominavit, annorum 10108. compegit Ricciolius, ea ratione permotus, quod Periodus *Juliana* ſiquidem annos 4713. dumtaxat ab Orbe condito uſque ad Chriſti D. vulgarem natalem complectatur, impar proinde ſit tot complectendis annorum ſpatiis, quot ab Orbe condito ad Aeram Chriſtianam, juxta pleroſque ſupputari diverſimode ſolent: aliquibus quippe numerari anni 5000. ſoleant. & amplius; qua de varia ſupputatione fuſius ſuo infra loco. Ex hoc ipſo porro *Victorino* Cyclo 532, ſive Cyclo *Lunae* XIX. ducto per Cyclum *Solis* XXVIII. effectam ab Hebraeis fuiſſe Periodum annorum 3724, eamque pro Aera ad ſupputandos Annos ab ipſis adſumptam, atque Aerae annorum 3760, quot a Mundi exordio ad Aeram Chriſtianam ipſis dinumerari ſolent, fuiſſe ſuffectam, obſervatum jam nobis eſt ſuper. Art. II. §. XII. p. 79. De Periodis etiam Chaldaicis annorum 600, ac 3600. abunde dictum eſt Art. II. §. XIV. p. 83. ſq.; quo ipſo Art. II. §. II. p. 62. ſqq. actum eſt de Siamenſium Periodis annorum 800, ac 1182. Aegyptiacis denique de Periodis annorum 960, & 1183, recolenda, quae nobis ſuper. Art. III. §. II. p. 99. ſq. abunde tradita ſunt.

DE

DE PERIODIS, SIVE CYCLIS ANNORUM

1181. 1183. 1184. 1200. 1440, 1460. 1520. 1539. 1700. 1932.
1942. 2030. 2835. 2900. 2920. 2922. 3367. 3400. 3600.
3724. 3760. 4000. 4560. 4617. 5320. 5493. 5501.
5509. 5700. 7980. 9000. 10000. 10108. 10400.
10800. 11600. 12000. 15960. 20300. 36426.
36500. 36525. 40000. 41192. 74800.
81200. 86400. 129000. 143127.
247600. 300000. 165580000.
5472046400. 12246927268.
73481563604.

Articulus IV.

I. POſtquam haud parvo Chronologiae bono antiquum *Julii Caeſaris* Kalendarium Romae vetera inter fori Palatino proximi rudera repertum fuit, in eoque Kalendario, tam oculorum, quam mentis acie defixa, diligenter inſpecto omnium primus Cyclum *Lunarem* inſertum Vir Cl. Franciſcus Blanchinius deprehendiſſet, tum Viri doctiſs. ea confeſtim animum cogitatio ſubiit eodem de Kalendario, & Cyclo anno communi, ac *Solis*, atque *Lunae* rationibus aequando, Feſtoque *Paſchali* ſuo legitime peragendo tempori, ſi Superis placeret, accommodando. Elucubrata itaque Diſſertatione de Caeſaris Kalendario, & Cyclo, evulgatoque Opuſculo altero inſcripto: *Solutio* Problematis Paſchalis: *An diſponi poſſit Cyclus Paſchalis conſtans annis Gregorianis, qui Paſcha ſemper indicet tempore congruo, hoc eſt Menſe primo, die Dominica intra Hebdomadam tertiae Lunae*: Cycli *Octogrammataei* annorum 1184, ex Caeſaris Cyclo conflati, ope ita Civilis anni curſum cum *Solis*, atque *Lunae* rationibus componere ſtuduit, ut *Novilunia*, & *Plenilunia* ſtato Paſchali ſolemnitati legitime peragendae die integro eo decurrente Cycli ſpatio indicarentur. Tribus porro Tabulis Cyclus iſtiuſmodi

conſtat, in quarum prima deſignatur Menſis primus Eccleſiaſticus pro *Novilunio* Paſchali a die 8. Martii ad diem 5. Aprilis, & pro *Plenilunio* item Paſchali, ſive pro *Luna* XIV. a die 21. Martii ad diem 18. Aprilis, ita ut ſingulis diebus Martii a die 8, & Aprilis uſque ad diem 18. e regione reſpondeant cum *Epacta* pro indicando *Novilunio*, tum *Littera* pro indicando *Plenilunio*. Sunt vero *Epactae* XXIX, Romano numero expreſſae, addito * Aſteriſco, ac Martii a die 8; & Aprili uſque ad diem 5, diebus adſiguntur ſingulis; Litterae vero ſunt 8, L. M. N. O. P. Q. R. S, atque ſingulae numeris Indicis, ſeu Arabicis ſignatae 1. 2. 3. 4. 5. 6, indicant diem *Lunae* XIV, ita ut ab *Epacta Novilunii* dies 13. numerandi ſint uſque ad Litteram *Lunae* XIV, uſque ad *Plenilunium* vero, ſive *Lunam* XV, dies 14. ſint numerandi, atque Martii a die 21, & Aprilis uſque ad diem 18. ſingulis diebus adſignantur. In ſecunda Tabula Anni Cycli *Octagrammataei* 1184. expanſi exhibentur, incipientes ab Anno *Gregoriano* 1600, deſinenteſque in anno 2700, ita ut ſingulis Cycli annis reſpondeant ex adverſo tam *Epacta* pro indicandis *Noviluniis*, quam *Littera* pro indicandis *Pleniluniis*. Itaque ſi ex prima Columna Tabulae ſecundae ſub anno 1600. ſcire velis, qua die anno v. g. 1699. Novilunium Paſchale contigerit, procedendo uſque ad Cellulam 5, in qua ſignatus habetur annus 99, reperies huic e regione primae Tabulae reſpondere in ſecunda Columna Aprilis *Epactam* XXIX, quae pro *Novilunio* ejuſdem anni 1699. Paſchali indicat diem 1. Aprilis. Inde, nempe diebus 13. numeratis, occurrit ex adverſo *Littera* Q. 6, qua pro *Luna* XIV. dies 14. Aprilis indicatur. In tertia Tabula demum Litterae *Dominicales* pro indicando Paſchali die ordine deſcribuntur, in qua Littera reſpondens eidem anno 1699. eſt D; qua dies 19. Aprilis pro Feſto Paſchali deſignatur.

II. Verumtamen Cyclum hunc *Octogrammataeum*, ut ut ingenioſe alioquin a Viro doctiſs. excogitatus fuerit, explanatuſque, inſigni eo laborare vitio demum advertit Doctiſs. Jacobus Bettazius in Operis Paſchal. Epitome p. 151. ſq., 172, quod in hoc Cyclo, praeterquam quod cum irregulari procedit *Epactarum* incremento modo X, modo XI, modo XII, ideo-

ideoque Kalendarium exigit a *Gregoriano* diverſum, (quod extrema abſque neceſſitate admittendum non eſt), in hoc, inquam, Cyclo annorum 1184, (*Biſſextis* novem expunctis), dies inſunnt 432447, amplectentes *Syzygias* 14644, atque ex dierum numero abundant dies 1. hora 0. minuta 8.′ 32.″ 37.‴ 28.⁗ *Biſſextis* vero expunctis octo dumtaxat, dies inſunt 432448, *Syzygias* 14644. non plures complectentes, atque dies 2. ſuperabundant. Quo perinde fiet, ut in hac Periodo annorum 1184. media *Novilunia*, & *Plenilunia* verſus Menſium initium die 1, aut 2, & hor. 0. minutis 8.′ 32.″ 37.‴ 28.⁗ retrogrediantur. Quae rurſus minuta prima, & ſecunda reſoluta in tertia efficiunt minuta 30757.‴, quae ducta per *Syzygias* augent profecto *Syzygiarum* magnitudinem duobus tertiis, atque ſuperſunt adhuc tertia 1469, quae reſoluta pariter in minuta quarta producunt minuta 88140.⁗, quae ducta rurſus per eaſdem *Syzygias* augent *Syzygiarum* magnitudinem ſex quartis, ulterioribus aliis neglectis fragmentis. Fieret itaque demum *Syzygiae* magnitudo dierum 29. hor. 12. min. 44.′ 3.″ 12.‴ 44.⁗; quantam neque Lansbergius, neque Vendelinus, quorum alioqui poſt Hipparchaeam, & Ptolemaicam ſupra ceteras Aſtronomorum obtinuit hucuſque hypotheſis, *Syzygiae* magnitudinem unquam tradidit. Inde profiſci igitur obſervat Vir rei hujuſmodi peritiſſimus dubio procul, ut in hoc Cyclo *Paſcha* interdum ante *Plenilunium* indicendum foret, ſecundo praeterea Menſe, videlicet poſt diem 18. Aprilis, quamvis *Plenilunium* medium die 22. Martii contingeret. Haec obiter; pleniori rei hujuſmodi diſcuſſione peritis, otioque abundantibus derelicta. Adeundus interea, qui Cyclo in hoc *Octagrammo* multa etiam reprehenſione digna deprehendit, Vir doctiſſ. Thomas Pius Maphaeus de Cyclorum Soli-Lunar. inconſt. &c. Prop. XX. p. 142. ſqq.

III. Periodum *Octagrammataeam* hancce nihiloſecius *Olympicis* Arcadum dinumerandis annis Vir doctiſſ. accommodare non dubitavit Opuſc. Var. T. II. in Dialogo de Cyclo Octagram. p. 83. ſqq., haud melioribus, opinor, auſpiciis, magiſque fauſtis ſyderibus. Enim vero Graecis certe olim in Ludis *Olympicis*, non ſecus atque *Pythicis*, *Nemeis*, & *Iſthmiis*

miis ſuo legitime indicendis tempore, quod certa lege, conſtantique *Plenilunium* erat *Solſtitio* Aeſtivo proximius, certam Periodum adhiberi conſueviſſe, eamque fuiſſe, non *Octaeteridem*, veluti Scaligero, & Dodwello viſum, ſed *Enneadecaeteridem*, uti verior Petavii, & Corſinii ſententia praeſert, multis in palam facere adnixi ſumus ſuper. Art. I. §. IV. ſqq. p. 9. ſqq., quibus jungenda, quae iterum §. XXI. p. 38. ſqq. Graeca de *Pentaeteride* operoſe, puto, diſputata nobis ſunt. Itaque ſuorum in Arcadum gratiam, *Olympiadibus* inſtaurandis, Cl. Blanchinii animum ſubiit cogitatio de Periodo inſtituenda, cujus ope deinceps *Olympiades* hae recens invectae ſupputari certa veluti lege, eaedemque ad *Solis*, atque *Lunae* rationes exigi, conſtantique veluti methodo dirigi quirent. Principio itaque quatuor *Olympiadis* uniuſcujuſque annos ita diſpoſitos fuiſſe putat in Dialogo cit. p. 90. ſqq., & in Diſcurſu Acad. IV. de Chronologia, & Genealog. *Anci Martii* Regis Rom. quarti p. 163. ſqq., ut *Olympiadis* annus 1. a *Novilunio Solſtitio* Aeſtivo proximiori inciperet, annus 2. a primo *Lunae* quadrante, annus 3. a *Plenilunio*, & annus 4. a quadrante *Lunae* quarto, ſive poſtremo; adeoque ut *Olympias* inſequens a *Novilunio* iterum inciperet. Cujuſce rei ea Viro doctiſſ. viſa ratio eſt, quod *Lunae* Periodis 12. poſt dies 354. abſolutis, Anni *Olympici*, ſive *Arcadici* Communis dierum 362, (ex diebus nempe communibus 360, diebuſque aliis 2. inſuper, qui appendicis veluti loco aggregari ad finem anni ſolebant, quoſque dicere Ἀνάρχυς ἡμέρας *Dies Anarchos*, Magiſtratu ideſt carentes, veteri Athenienſibus in more poſitum erat, conflati), dies adhuc 7. horae 15. min. 12. ſupereſſent: quibus in quatuor diviſis partes, quot nempe quadrantibus *Lunatio* quaelibet conſtat, producentur horae 6. ſupra quamlibet *Lunationum* quartam partem, adeoque proinde, ut quilibet annus Civilis *Arcadicus* quemlibet *Lunarem* Annum ſuperet quarta *Lunationis* parte, diebus ideſt 7. hor. 15. min. 12; ideoque fiat, ut ſi Annus I. *Olympicus*, ſeu *Arcadicus* a *Novilunio* inceperit, annus 2. inſequens poſt dies 7. hor. 15. min. 12. incipere debeat, ideſt a primo *Lunae* quadrante, & ita annus 3. a *Plenilunio*, & annus 4. a quadrante *Lunae* ultimo. Quan-

Quandoquidem vero pariandis *Solis*, atque *Lunae* rationibus, in quolibet quadriennio Menſis unus *Cavus* dierum alternatim 29, & 28. a Graecis addi ſolebat, quo fiebat, ut Annus *Embolimaeus* dierum viciſſim 391, & 390. eſſet, anni vero 4. dies 1467. colligerent, quae ſunt *Syzygiae* 44. minus minut. 1.′ 16.″ 40.‴, proinde *Olympiadem* quamlibet a *Novilunio* quidem incepiſſe Vir doctiſſ. obſervat, non ab eadem tamen die, qua inceperat *Solaris* Annus *Tropicus*, ſive *Julianus*, ſive *Gregorianus*, ſed Menſe uno cum dimidio ante. Nempe *Solaris* Annus diebus 11. ſiquidem *Lunarem* ſuperet, inde ſequitur, ut ſingulis quadrienniis *Lunaris* a *Solari* diebus 44, Menſe ideſt *Lunari* uno, cum dimidio ſuperetur; ideoque *Olympias* quaelibet inſequens hoc dierum 44. ſpatio anteriorem praevertat. Quin etiam praeter dies 11. *Solaris* anni *Juliani* ſupra *Lunarem* exceſſus poſitus ſiquidem fuiſſet horarum 6, (quamvis horarum 5. min. 11.′ 14.″ 43.‴ dumtaxat eſſe deprehenſus poſtmodum ſit), inde fiebat item, ut annorum 4. intervallo *Solaris* anni ſupra *Lunarem* exceſſus ad diem 1. circiter aſſurgeret; ideoque ſequebatur, ut *Olympias* quaelibet die 1. praeterea anteriorem praecederet, atque ideo ſingulis *Olympiadibus*, ſive quadrienniis Menſis 1. dierum 29. inſeri ſolebat. Rurſus Annus *Solaris Arcadicus*, ſive *Olympicus* ſiquidem diebus 362. conſtaret, *Solaris* autem *Tropicus*, ſive *Julianus* diebus 365. hor. 6, inde fiebat, ut Annus quilibet *Julianus* diebus 3. horis 6. *Arcadicum* ſuperaret; ideoque ſingulis *Olympiadibus*, ſive quadrienniis *Arcadicus* ſuperaretur a *Solari* anno diebus 13, duarum vero *Olympiadum* ſpatio, ſive Octenniis ſingulis, exceſſus dierum 26. eſſet: quum tamen inſititius olim Menſis fieret dierum 28, aut 29. Cujuſce rei hanc fuiſſe cauſſam autumat Vir doctiſs., quod veteribus Arcadibus propoſitum eſſet *Olympiades* a *Novilunio* auſpicari. Nempe ſpatio haud praeciſe duarum *Olympiadum*, ſive Octennii *Solaris*, *Syzygia* centeſima accidit, ſive *Lunae* cum *Sole* conjunctio centeſima fit, ſive *Novilunium* centeſimum, ſed octo praeter annos diem poſt unum, horaſque 14. ferme. Namque 99. vicibus dies 29. horae 12. min. 44, quot *Lunaris Synodicus* conſtat, multiplicati efficiunt dies 2923. horas 12. min. 36. Jam vero in Anno

Sola-

Solari Tropico dies 365. horae 5. min. 49. circiter inſunt, qui 99. vicibus in ſe ducti producunt dies 2921. horis 22. min. 32. Itaque *Lunae* centeſima cum *Sole* conjunctio non fiet, niſi poſt diem 1. hor. 14. circiter, quam *Sol* octo annorum ſpatium abſolvit; ideoque praeter dies 26, ſingulis duabus *Olympiadibus*, ſive ſingulis Octenniis, dies 2. praeterea *Arcadibus* olim inſeri ſolebant, ideſt dies 28, ut nempe *Olympias* quaelibet cum *Novilunio* inciperet. Atque iſthuc collineaſſe idcirco cenſet primum *Metonis* Periodum annorum 19, ac poſtea *Calippi* annorum 76, qua *Olympiades* 19. menſurabantur, ut certa nempe *Olympiadibus* a *Novilunio* exordium lege deinceps firmaretur.

IV. His itaque loco ita poſitis, jam Periodum ſuam *Octagrammataeam*, ideſt annorum 1184. ſic exornare, ſtabilireque Vir eruditiſſ. ſatagit. Atque poſtquam componendo anno Civili cum *Solis* motu a *Tropicis*, ac *Lunae* a *Sole*, neque *Metonis* Cyclum 19, neque *Calippi* 76, neque Cyclum 160, (a Creſcimbenio in libro vulgaris Poeſeos *Arcadum* menſurandis annis adhibitum), ſufficere demonſtraſſet; quibus utpote Cyclis *Novilunia* in orbem reſtitui nequeant, ſed adhuc ſingulis annis 19. *Novilunia* anticipare hora 1. min. 27.′ 31.″ 55.‴, ſingulis annis 76. horis 5. min. 50.′ 7.″ 40.‴, ac ſingulis annis 160. dimidia fere diei parte anticipare deprehenſa ſint; eò convertitur, ut in *Arcadum* Periodo Cycli *Octagrammataei* periculum faceret, illum a Caeſaris Kalendario, eque Cyclo Paſchali transferens ad *Olympiadum* annos indicandos, ejuſdem Cycli ope de Anno *Olympico*, ſeu *Arcadico* cum *Solis*, atque *Lunae* Periodis exaequato perſuaſus. Itaque in Tabula I.ª Martii, & Aprilis loco Junium, & Julium ſufficit, pro *Novilunii*, & *Plenilunii Olympiaci*, ſeu *Arcadici* initio, & termino die 7. Junii, & die 5. Julii determinatis. Ita vero diſpoſiti invicem Menſis utriuſque dies eadem in Tabula I.ª conſpiciuntur, ut ſinguli dies ſingulis *Epactalibus* numeris denotentur, ſuntque *Epactae* xxix, addito * *Aſteriſco* loco *Epactae* xxx, quot nempe dies a Iunii die 7, quae primus eſt terminus, ſeu initium *Novilunii Olympici*, uſque ad diem 5. Junii, quae pro *Olympici Novilunii* termino altero deſignatur, intercedunt;

dunt; utque ſinguli item dies a Junii 21, cui primus *Olympici Plenilunii* terminus adſigitur, uſque ad diem Julii 19, cui *Plenilunii Olympici* terminus adſcribitur alter, totidem denotentur Litteris octo L. M. N. O. P. Q. R. S: quae litterae numeris Indicis, ſeu Arabicis 1. 2. 3. 4. 5. 6. totidem afficiuntur. Itaque diei 7. Junii e regione *Epacta* XX. adpoſita conſpicitur, qua *Novilunium* eadem die indicatur: ab hac vero die numeratis diebus 14, ideſt uſque ad diem 21, e regione *Littera* R. 3. reperitur, qua *Plenilunium* eodem die deſignatur. Diei 5. Julii denique adſigitur *Epacta* XXI, qua *Novilunium* indicatur, inde vero dinumeratis diebus 14. pervenitur ad diem 19. Julii, cui diei ex adverſo reſpondet *Littera* Q. 3, qua *Plenilunium* oſtenditur. In Tabula II.ª Anni Cycli *Octagrammataei* 1184. expanſi ab anno 1600. uſque ad 2700, ac ita digeſti ſunt, ut cujuſque Seculi anni 99, numeris Indicis, ſeu Arabicis deſcripti, ac in Cellulis 6. ordinate diſpoſiti, ſingulis vero anni 1. *Olympiadum* Aſteriſco notati adpareant, e regione vero eiſdem reſpondeant in Cellulis aliis 12. *Epactae*, & *Litterae* deſignandis, uti dixi, *Noviluniis*, & *Pleniluniis* adpoſitae. Quae demum *Epactae*, & *Litterae* in Tabula I.ª Menſis Junii, & Julii dies indicant *Novilunii*, & *Plenilunii* quaeſiti. In Tabula III.ª demum in 1.ª Columna dies exhibentur, a quibus incipit *Hecatombaeon*, ſive *Olympiadis* annus 1; in Columnis 2.ª 3.ª & 4.ª dies, a quibus ejuſdem *Olympiadis* annus 2. 3. & 4. incipiunt; adeo ut in I.ª Tabula Junii, & Julii reperta dies *Novilunii* indicet in Tabula III.ª diem 1. Anni 1. *Olympiadis* in I.ª Columna, dieſque primos deinceps Anni 2. 3. & 4. ejuſdem *Olympiadis* in Columna 2.ª 3.ª & 4.ª In Editione porro Opuſcul. Blanchinii, qua utor, Romana 1754. in Tabula II.ª, ſive Canone *Octagrammataeo* deſunt *Epactae*, & *Litterae*, quae Annis cujuſque Seculi expanſis reſpondere deberent, dieſque *Novilunii*, & *Plenilunii* in Tabula I.ª indicare. Fallit praeterea computus *Noviluniorum*, & *Pleniluniorum* initus p. 120. ſqq. *Olympiadis* 622, ſive anni 1709, cui adſignatur *Epacta* XX, quae fuit XVIII; *Olympiadis* 621, ſive anni 1705, cui adponitur *Epacta* VI, quae fuit IV; *Olympiadis* 620, ſive anni 1701, cui adſcribitur *Epacta* XXI, quae fuit XX. Optime vero anno

 1693,

1693, ſive *Olympiadi* 618. tribuitur *Epacta* XXIII, & *Olympiadi* 616, ſive anno 1685. *Epacta* XXIV. adfigitur, cujuſmodi fuere certe iis in *Gregorianis* annis *Epactae*; quibus revera pro *Novilunio Olympico*, (a die 7. Junii ad Julii diem 5. ducto termino), deſignatur anno 1693. dies 3. Julii, (diem incipiendo ab occaſu *Solis*), ſive dies 4. Julii, (diem incipiendo a media nocte), ideoque poſt dies 14, ideſt die Julii 17. hora meridiana *Plenilunium* contigit; & pro *Novilunio Olympico* anni 1685. Julii dies 2, vel 3, (prout nempe dies a *Solis* occaſu, vel a media nocte incipitur), ideoque poſt dies 14. *Plenilunium* incidit in ejuſdem Julii 16. media nocte. Ad haec autem eo duplici ingenioſa alioqui Periodus iſthaec *Octagrammataea* laborat morbo; primo, quod *Olympicos* ludos olim peragi conſueviſſe in *Novilunio* ſupponit: quae perſuaſio Scaligerum etiam inceſſerat, opinatum veteribus Graecis uſu fuiſſe videlicet *Olympia* peragere in *Novilunio* diei 9. Julii proximiori; ac ita *Herculi* inſtitutori, ita *Atraeo* poſt annos 19. inſtauratori, ita etiam *Iphito* &c. *Olympia Novilunio* ineunte celebrata comminiſcentem. Verum *Olympiades* in *Plenilunio Solſtitio* Aeſtivo proximiori celebrari in *Elide* conſtanti lege conſueviſſe cum Petavio, & Corſinio planum, opinor, abunde factum eſt ſuper. Art. I. §. IV. ſq. p. 9. ſq. Poſtremo in hacce Periodo 1184. dies 2. (*Biſſextis* 8. dumtaxat expunctis), aut dies 1. hor. 0. min. 8.′ 32.″ 37.‴ 28.⁗ (expunctis *Biſſextis* 9.) ſuperabundant, velut aperte a Jacobo Betazzio ſupra laudato demonſtratum eſt; quo proinde fieret, cum ut *Novilunia*, & *Plenilunia Olympica* ſpatio annorum 1184. diebus 2, aut die 1. hor. 0. min. 8.′ 32.″ 37.‴ 28.⁗ anticiparent; tum ut *Syzygiae* diebus 29. hor. 12. min. 44.′ 3.″ 12.‴ 44.⁗ conſtarent: quam tamen ad magnitudinem nulla in Aſtronomorum hypotheſi *Syzygias* adſcendere ex Schemate Menſis *Synodici* exhibito ſuper. Volum. III. Proleg. IV. p. 4. adparet. Confer eumdem Bettazzium loc. cit., ubi graviora inde abſurda emerſura advertit, ſi Periodus haec *Blanchiniana* cum Tabula aequationis ope Cycli tertii ab ſe excogitati conferatur.

V. De Periodo annorum 1200, qua ſuis *Novilunia* reſtituere locis tentavit Maphaeus de Cyclor. Soli-Lun. inconſt.

&c.

&c. Prop. XXVI. p. 177. ſqq., id unum obiter advertiſſe ſufficiat, eo temporis ſpatio *Novilunia* ſuo ab exordio diebus 2, hora 1, minutis 14.′ 49.″ 55.‴ 42.⁗ aberrare, ideoque nullius *Paſchati* deſignando eſſe utilitatis. De Periodo adhaec Chaldaica *Majori* annorum 1440, quae Perſarum deinde propria facta eſt, non ſecus atque de Periodo altera *Maxima* annorum 3600. dictum, pro ut oportebat, diffuſe, opinor, nobis eſt ſuper. Proleg. V. de Periodis, & Cyclis Art. I. §. XXVIII. p. 50. ſqq., & Art. II. §. XIV. p. 83. ſq. Inter alias inſignis apud Aegyptios vetuſto, longoque diu uſu obtinuit Periodus *Sothiaca*, ſive *Canicularis* annorum 1460, a *Canicula*, Aegyptiis *Sothos*, denominata, cujus ortus die 18. Julii Cenſorino de die Nat. cap. 17, & Plinio Hiſt. Nat. lib. 18. cap. 28. conſignatur. Hocce vero ab exortu Canis *Heliaco*, ſive Matutino Aegyptiis *Magnam* hancce Periodum incipere, quoties dies 1. *Thoth* cum eodem *Canis* exortu congrueret, (congruere vero poſt annos 1461. *Aegyptios*, ſive poſt *Julianos* 1460. perſuaſum ipſis erat, atque ideo Periodo hac elapſa, tum demum Feſta, quae toto eo ſpatio per totius anni curſum libere pervagata fuerant, in orbem, diemque priſtinum regredi), in more poſitum fuiſſe, abunde, puto, Vol. II. Art. I. de Menſ., & Annis Aegyptiorum &c. §. III. ſqq. p. 230. ſqq. expoſitum eſt. Quo loci obſervatum praeterea eſt ex *Magna* Periodo iſta *Caniculari* annorum 1460. vigeſies quinque repetita Aegyptiis Periodum *Maximam* annorum 36525. fuiſſe conflatam; qua univerſa fieri Caeleſtium Orbium Ἀποκατάστασις credebatur. Sed hocce de *Sothiaco* Aegyptiis celeberrimo antiquitus Cyclo rurſus ſq. Volum. V, quum de Aegyptiorum Epochis, ſeu Aeris ſermo fiet. Ex hac ipſa porro *Sothiaca* annorum 1460, ſive 1461. Periodo *Lunarem* alteram ex annis 2920, ſive 2922, atque *Solarem* ex annis 2835. confectam, uſu olim Aegyptiis veniſſe, magna non abſque ſane veri ſpecie, arguit Vir doctiſſ. quidam Anonymus in Diſſertatione nuper edita in locum Herodoti celebrem in Euterpe, ſive lib. 2. cap. 142, edit. Vallae p. 70, in Excerptis Europae Litter. anni 1763. Eberoduni, ſed vere Mediolani, editis T. I Jan. &c. Excerp. XI. p. 193. ſqq. Ab Aegyptiis nempe Sacerdotibus accepiſſe ſe refert Herodotus a primo Rege uſque

ad *Vulcani* Sacerdotem , atque Regem poſtremum *Sethonem* , qui aetate *Sennacheribo* fuit aequalis , progenies hominum 341. effluxiſſe , totidemque Pontifices , atque Reges imperaſſe. Progenies 300. porro annos 10. mille implere, pro tribus generationibus annis 100. computatis; atque Progenies 41. ſupra trecentas annis 1340. aequivalere . Intra hocce jam vero annorum 11340. ſpatium quater *Solem* praeter conſuetudinem ortum fuiſſe, atque bis quidem illuc exortum , ubi nunc occidit , (Herodoti ſcilicet aetate); bis autem , unde nunc oritur , illic occidiſſe adfirmat . Difficili huic itaque loco , haud depravato ſane , velut aliquibus falſo viſum eſt , aliis dimiſſis interpretationibus , (ex quibus attamen ea magna haud caret utique probabilitate , quae ex Abbate doctiſſ. Bellangero in Reflex. ad Relat. Itin. Aegyp. Grangeri expoſita nobis eſt Volum.II. de Menſ., & Annis Aegypt. &c. Art.I. §.xxxvi.p.298. ſq.), hanc ipſe Anonymus cit. diſſert. adhibendam exiſtimat . Nempe *Solis* hocce loci nomine *Annum* , velut a *Sole* efficitur , accipiendum fore primo conjicit , adeo ut *Solis* ortu , & occaſu heic Annorum Periodus deſignata fuerit; atque Periodus iſthaec utique Annorum 11340. fuerit inſtaurata , principio ſcilicet ab eo Anni capite ducto , a quo vagus Aegyptiis iniri Annus , in orbemque redire ſolebat . Duplicem adhaec Aegyptiis adhiberi conſueviſſe Annum obſervat , *Solarem* vagum dierum 365 , qui in orbem regredi , niſi annis 1460. Tropicis , aut 1461. Vagis , expletis , nequibat; *Lunarem* alterum dierum 354 , cum horis 9; adeo ut *Lunaris* Menſis apud Aegyptios dierum 29 , horar. 12 , minut. 45.′ eſſet , ideſt *Synodicum* , qui diebus 29 , horis 12 , minutis 44.′ 3.″ revera conſtat , minutis 11. excederet . *Lunaris* jam vero Annus hic in orbem cum *Solari* regredi , niſi poſt *Lunares* Annos Aegyptios 2920, ſive poſt integros 2922, atque poſt *Solares* 2835, nequibat: quae ſane Periodus Annorum 2920 , ſive 2922. dupla eſt Periodi *Solaris* annorum 1460 , ſive 1461. Quarta jam vero pars Annorum 11340 eſt Periodus iſthaec Annorum 2835; quam ideo quater Annorum 11340. ſpatio expletam fuiſſe recte ſcripſit Herodotus; adeo ſcilicet ut eadem Periodus bis ab eo ceperit tempore , quo apud Aegyptios Annus inibat; atque bis

bis eo, quo Annus incipiebat Aegyptius, tempore finita eadem fuerit. Itaque cum Anno 659. ante Chriſti natalem, ipſius opinione, Periodus integra Annorum 11340. finem habuit, ideoque Chriſtianam ante Aeram *Proleptico* anno 11991. ſumpſit exordium. Caeterum quin ad fabulas amandanda ſint, quae Sacerdotibus ab Aegyptiis de Generationibus 341, totidemque Pontificibus, atque Regibus, ideoque de tam immani annorum 11340. ſpatio, accepiſſe ſe refert Herodotus, Auctor ipſe cit. diſsert. non dubitat: quo de argumento nos quoque affatim Volum. II. de Menſ., & Annis Aegyptiorum &c. Art. I. §. II. ſqq. p. 227. ſqq.

VI. Neque perinde multis eſt opus retexere, quae de Sinenſium Periodis tum *Minoribus* annorum 1520, & 1539, tum *Majoribus* annorum 4560, & 4617, tum *Maximis* annorum 10000, & 143127, quae ex Cyclo vel *Metonico*, vel *Calippico* diverſis in ſe vicibus ducto conflatae ſunt, copioſiori proſequuti calamo ſumus, ac prout oportebat, niſi mea me fallit opinio, ſuper. Proleg. V. de Periodis, & Cyclis Art. II. §. XII. ſq. p. 79. ſqq. praeoccupavimus. Neque magis *Noriſianam* heic morabor iterum Periodum annorum 1932, ex Cyclo *Solari* 28. vicibus 69. repetito, & ex Cyclo *Latino* 84. vicibus 23. multiplicato contextam, quam latis exponere Tabulis, cumque Gregoriano accommodare Kalendario impenſa ſtuduit opera P. Bonjourius, de qua utpote ſuper. Art. III. ad calcem §. I. p. 200. ſq., quantum operae ferebat pretium, diſputatum eſt: conferenduſque, ſi placet, qui Cycli hujuſce vitia caſtiganda ſuſcepit Thomas Pius Maphaeus Ord. Praed. de Cyclorum Luni-Solar. inconſtantia &c. Prop. XX. p. 144. ſq. Attingenda nunc paucis, quoad ejus fieri poterit, Arabum Sinenſium Periodus ex annis 1942. conflata, de qua jam aliqua ſummis delibata ſunt labiis ſuper Volum. III. de Menſ., & An. Arabum, Moham. &c. Art. I. §. XXVIII. p. 159. ſq. Enim vero ex Perſis, Aegyptiis, Arabibus, Mohammedanis, aliiſque ſectis Indoſtanis multos oppido, commercii quammaxime cauſſa, in Sinas Chriſtiano Seculo VII. tranſmigraſſe, multamque ibi Aſtronomiae operam dediſſe ex Hiſtoria *Juên Chaô* Dynaſtiae XX. refert P. Gaubilius Soc. J. in Hiſt. Compend. Aſtron. Sinenſ. T. II. Ob-

Obſervat. Mathem. Aſtron. Geogr. Chronolog. Phyſ. Sinenſ. p. 131. ſq. Itaque in Sinis imperante, Dynaſtiae *Mim Chaò* XXI. Imperatore I, *Hong-Vou*, ſive *Hùm-Vù* ab Aerae Chriſtianae anno 1368. uſque ad annum 1384. Cycli *69. Sinenſis* annum 17, Mohammedani, ſive Arabis nomine *Haita-Eul* Sinice, *Haitar* Perſice, ſeu Arabice *Leonis*, quo affectam cognomine *Ali* ſtirpem, & ſectam adnotat eodem loci P. Gaubilius, hujus, inquam, *Haitar* Arabis opera Aſtronomiae Mohammedanae, ſeu Arabicae ſtudium invectum in Sinas fuiſſe ex praecit. Hiſtoria *Juen* perhibet laud. P. Gaubilius. Periodus vero una cum Aſtronomicis rationibus inducta, ac in Sinis Arabibus uſurpata, eodem referente, annis 1942. conſtabat; cujus uſum tamen hactenus ſibi incompertum ultro citroque fatetur. Siquidem vero Menſibus mere *Lunaribus*, ut veteres olim Arabes, libereque per anni totius orbem vagis hi Arabo-Sinenſes ad hanc uſque diem utantur, Anno vero *Solari* dierum 365, ſingulíſque annis 30. Menſes *Lunares* II. intercalare ſoleant, Periodo hacce fortaſſe temporis ſpatium definire voluiſſe, quo elapſo *Solaris* cum *Lunari* Annus in orbem, diemque regredi viſus ipſis ſit, pronum eſt ſuſpicari. Sed enim Arabo-Sinenſium Aſtronomicos calculos non uno, nec levi laborare adhanc uſque diem vitio deprehenſos fuiſſe auctor idem accedit P. Gaubilius. Aerae namque Chriſtianae anno 1703. ab Imperatore *Cam-hi* cujuſdam Aſtronomi Sinenſis opera compertum demum tradit ab Arabo-Sinenſibus aliquando Menſibus *Lunaribus* intercalationes adhiberi, quum non debent, viciſſimque praetermitti aliquando, quum deberent adhiberi. *Lunarem* item Menſem interdum *Magnum* adſumi pro *Parvo*, atque viciſſim interdum *Parvum* pro *Magno* ſupputari: quod non eſt aliud, quam *Novilunia*, & *Plenilunia* Caeleſtia integro Menſe qua praecipitare, qua praevertere. Reliqua miſſa facio vitia, quae in Computos Aſtronomicos Sinenſium Arabum ex indigeſta, rudique admodum eorumdem rei Aſtronomicae cognitione irrepſiſſe obſervat ibidem P. Gaubilius, utpote quae ad rem parum meam faciunt, & ad Periodos, quibus de ago, haud plurimum conferunt. De Periodo annorum 3367, qua *Novilunia*, atque *Plenilunia* ad eamdem diem, ac

ac horam reſtituere tentavit Vir doctiſs. Thomas Pius Maphaeus de Cyclor. Soli-Lun. inconſtantia &c. Propoſ. xx. p.138. ſqq. id obiter adnotare praeſtat, hacce Periodo expleta *Novilunia*, & *Plenilunia* ab eo, quo digreſſa fuerant, puncto minutis 16.' 17." 22.''' 36.'''' diſtare, ideoque veluti *Paſchati* rite perpetuo ſtabiliendo imparem ab ipſo Maphaeo reſpui.

VII. Fucum imperitis pleriſque, imprudentibuſque haud levem quia fecit aliquando Periodus annorum 3400. a Franciſco *Vieta* Propoſ. 39. excogitata, & propoſita, ut quae ſane veri non facile ſpernendam praeſeferre ſpeciem videbatur, epigraphe juncta, qua *Graegoriani* emendati nomen peſſime ab ſe fabricato praefigere Kalendario non fuerat veritus, de ea proinde mihi ſilendum prorſus non eſt, ſed rei hujuſmodi penitus rudes, ut ab ea ſibi praecaveant, opportune admonendi. Atque principio, ut de abnormi Periodo illa annorum 165580000, quam pro Kalendarii *Gregoriani* emendatione, ſive pro *Aequinoctiis*, ac *Noviluniis* in orbem, eamdemque Meridiani ſedem reſtituendis excogitavit idem Franciſcus *Vieta*, proponereque non dubitavit, nihil prorſus dicam: quis enim, quaeſo, non ſtatim videat, potius quam locum Periodo tam enormi facere, ſatius fuiſſe propoſito uti a Clavio cap.11. expoſito conſilio, adfirmante nempe *Gregorianum* Kalendarium poſt annum 8100. emendatione demum indigere; quod imo Kalendarium reformatione, quoad *Aequinoctium* Vernum uſque ad annum 5000. non indigere, utpote quod toto eo temporis intercedente ſpatio a die 21. Martii non receſſurum ſit, obſervavit Jacobus Bettazzius Oper. Paſchal. Epit. Cap. de Anno Solari n.120. p.6. ſqq., ſatius, ideſt, fuiſſe *Gregoriano* integro loco relicto Kalendario, multa poſt Secula demum *Epactarum*, prout opus fuerit, aequationes inſtituere novas, ſive *Lunae*, atque *Solis* rationes in orbem reponere? Aequandis itaque *Epactis* annorum Centeſimorum, ideoque *Paſchali* feſto ſuo deinceps legitime indicendo tempore, & loco, Periodum annorum 3400. alteram elucubraſſe legitur *Vieta* apud Clavium cap.24. n.13. p.585, & 590: qua expleta, *Novilunia*, & *Plenilunia* ſedem in priſtinam ſe reſtituiſſe arcte perſuaſum habuit; adeoque ut Tabularum ope ſuarum,

queis

queis *Epactarum* Centeſimorum aequationes rite ſibi exhibuiſſe viſus eſt, ad *Solis* rationes in orbem *Epactas* repoſuiſſe putavit. Verum a Viro Cl. Jacobo Bettazzio in Epitome Oper. Paſch. p. 150. ſq. hae *Vietae* Tabulae non uno ſane peccare vitio facile deprehenſae ſunt. Ac primo quidem in *Paſchatis* indictione ab anno 1600. uſque ad annum 3200. incluſive nedum eodem peccare modo eaſdem oſtendit, quo *Gregoriano-Claviana* peccat *Epactarum* aequatio, de qua infra, ſed inſuper in Seculis anni 1900, 2000, & 2100, quotieſcumque nempe *AureusNumerus* VI. recurrit; in Seculis item anni 2600, 2700, & 2800, quotieſcumque videlicet recurrit *Numerus Aureus* IX; in annis iterum 3116, 3154, 3173, & 3192, in quibus *Paſcha* ultimo *Lunaris* Anni deſinentis indicitur Menſe. Quid amplius! *Vietaeum* peccare Kalendarium altero praeterea vitio demonſtrat Vir doctiſſ. in Seculis anni 1900, 2000, 2100, & 2300, in quibus *Paſcha* deſignatur in Hebdomada quarta, quoties *Luna* quartadecima *Cyclaris* Dominico ipſo die contingit. Sed enim longe ante Bettazzium *Vietaei* Kalendarii forma a *Gregoriana* abnormiter, veritateque ipſa abſcedere Clavio demonſtrata eſt, ſolideque adeo refutata, ut Clemens VIII. P. M. Conſtitutione 300. *Quaecumque* Bullar. Rom. edit. noviſs. Rom. T. V. Par. III. p. 3. anno 1603. Martii die 17. edita *Vietae* Kalendario ignominiae notam inflixerit, exulareque perpetuo ab Eccleſia juſſerit, velut illud, quod erroribus refertiſſimum, & *Gregoriano* plane contrarium deprehenſum fuerat; quodque a *Gregoriano* ea diſcerni nota ſcite admonet Pontifex, tum quod ad diem 1. Januarii *Epacta* * Aſteriſco notata, ſive *Epacta* XXIX. in illo adſcripta non ſit, ut in *Gregoriano*; tum quod Annus cum *Epacta* XXIX. a Martii die 8. incipiat: quae res inaudita eſt, Nicaenique Concilii Patribus prorſus adverſa. *Gregorianum* itaque Kalendarium a Clavio ita emendatum, explicatumque loco in Eccleſia ſtare ea denique Pontifex ratione praecipit, quod praecipuis ſuis partibus incorruptum perpetuo unum illud perſiſtat; & quamvis *Epactarum* Cyclus, in Kalendarii dies diſtributus, in *Noviluniis*, & *Lunis* quartiſdecimis *Paſchalibus* indicendis cum *Solis*, atque *Lunae* rationibus aliquando non omnino congruere deprehendi

hendi queat, huicce tamen errori obviam iri tum poſt multa tandem elapſa Secula poſſit, alterius *Solaris* Anni, ac *Lunaris* aequationis ope, *Gregoriano* interea Kalendario integro permanente, velut eo, in quo omnium hactenus perfectiore, multo rarior heic occurrere poſſe error, & in quo diſpoſitio *Epactarum* nulli obnoxia deinceps errori deprehenditur: nulla quandoquidem ejuſmodi Kalendarii forma ad hanc uſque diem excogitata fuerit, impoſterumque forſan excogitari queat, quae nullo unquam tempore a motibus Caeleſtibus diſcrepatura vel minimum ſit. Qua Pontificis efficaciſſima plane ratione tum confoditur *Vietae* Kalendarium nedum, ſed & illud, quod *Gregoriano* ſufficere, objicereque Scaliger non fuerat veritus, a Clavio validiſſime exploſum; ſed & *Gregoriani* Kalendarii Elenchus, quem exponere perinde Calviſium perpetuum Scaligeri Eʼπετῆν, ac Symmiſtam non depuduit a Guldino operoſe refutatum; tum duriſſimum Proteſtantibus obſtruitur os, quos non tam ex veritatis amore, quam ex veterno in Pontifices odio pluſquam vatiniano, invidiae quoque, veſaniaeque aeſtu in Kalendarium oblatrare *Gregorianum* jamdiu a Noſtratibus, dilucideque demonſtratum eſt, velut adverſus Scaligerum, & Maeſtlinum a Clavio, adverſus Latoſium a Rozciſzewskio, adverſus Leveram etiam virum alioqui Catholicum a Ricciolio, a Buſaeo adverſus Herbrandum, a P. Melitone noſtro Perpinianenſi adverſus Mullerum, & Deſplacaeum Catholicum & hunc caeteroqui poſtremum: quin & ab Orientalium calumniis *Gregorianum* vindicare Kalendarium Joſepho Accurenſi Maronitarum Patriarchae doctiſſimo, religioſiſſimoque cordi fuiſſe refert fide digniſſimus Stephanus Edenenſis in Maronitarum Vindiciis apud Cl. Aſſemanum Bibl. Orient. T.I. p.553. ſq., quo de argumento pauca adhuc ad hujus Articuli calcem attingenda erunt.

VIII. In Lineam, unde paulliſper digreſſus fueram, modo ut me recipiam, in Periodum geminam annorum 5700. *Majorem*, alteramque *Minorem* annorum 5320. ſermo incurrit meus. Utriuſque porro Periodi iſtius ex Cyclo *Victorino* decies in ſe ducto, ac ex *Metonico* vigeſies multiplicato contextae auctor extitit ſaepe laudatus, virque ſupra omnem ſane

laudem, Franciſcus Blanchinius Opuſc. Var. T. II. Orat.11. Acad. de duratione Anni Solaris p. 50. ſqq. Nempe eo laborare vitio Scaligeri Periodus *Juliana* Viro doctiſſ. viſa eſt, tum quod eadem annis 700. amplius ante Orbem conditum exordium ducere cogatur; tum quod annis dumtaxat Julianis dinumerandis uſu eadem veniat, quorum forma diu poſt apud Latinos, nec ubique gentes apud alias, praeſertim Orientales, obtinuit. Ad haec Vir doctiſs. advertit Aerae Chriſtianae annum 1700. tribus prae aliis Characteribus inſignitum fuiſſe, 1.° *Aequinoctio* Autumnali proxime antecedente, quod in *Novilunium* incidit, atque totali *Solis* Eclipſi inſigne fuit; 2.° *Solſtitio* Hyberno, atque Verno *Aequinoctio*, quod cum *Novilunio* pariter utrumque concurrit; 3.° *Biſſexto* Communi, in quo nempe dies intercalaris die 24. Februarii omiſſus fuit, ideoque annum *Julianum* inter, & *Gregorianum* diſcrimen inde dierum 11. eſſe cepit, quod ante dierum 10. dumtaxat erat. Periodum igitur ex decem Cyclis *Victorinis* annorum 532, atque ex viginti *Metonicis* annorum 19. ingenioſe admodum ipſe excogitavit, quae nempe conflata ex *Victorinis* 10. annos 5320, ex *Metonicis* 20. annos 380, ex utriſque vero annos ſimul 5700. efficiat; ita ut Periodus iſthaec a Mundi exordio inita in anno Aerae Chriſtianae 1700. exitum habuerit; indeque rurſus ab anno 1701. ineunda ſit altera: quo anno 1700. *Saturnus* erat in *Piſcium* gradu 11. motus apparentis, ſive in gradu 17. motus medii, Cycli *Solis* numerus 20, *Lunae* 9. Poſtremo ex Cyclis *Solis* 28, & *Lunae* 19. invicem ductis Periodum *Victorinam* annorum 532. confici poſtquam ſuppoſuit, ex *Saturni* quoque Periodis 18, ſeu ex ejuſdem 18. revolutionibus ab uno *Zodiaci* ſigno ad idem ferme, Cyclum eumdem annorum 532. conflari obſervat. A *Saturno* ſiquidem integer *Zodiaci* orbis annis 29. Julianis, ac diebus 156. abſolvatur, inde ſequitur, ut ſpatio annorum 532. a *Saturno* idem *Zodiacus* vicibus 18, cum uno, vel altero inſuper Signo perluſtretur. Itaque ex Periodo annorum 5700. abjectis Cyclis *Metonicis* 20, id eſt annis 380, reliquos annos 5320, ex Cyclo *Victorino* decies multiplicato confectos, deſignandos ſuſcepit Periodo *Saturni*, quam *Indictionis* loco ſufficit, vicibus 18. in

ſe

ſe ducta annorum 532, adeo ut quilibet annus Periodi *Majoris* annorum 5320. diſtincto *Saturni* Charactere deſignetur diſtinctum in Signis *Zodiaci* locum obtinentis, ſpatio decurrente Periodi *Minoris* annorum 532: qua Periodo *Minore* completa, *Saturno* ad idem, quo digreſſus fuerat, Signum regreſſo, Periodus altera *Minor* 532. incipiat, totidemque redeat vicibus, donec abſoluta decima, Periodus *Major* 5320. alterna in orbem reducatur. Sed enim quam Periodus illa *Major* probe, utiliterque rei accommodari Chronologicae poteſt, tam minus rei Aſtronomicae aptari Periodus iſta *Minor* poteſt, ut pote quae eo triplici laborat vitio, tum quod *Saturni* Periodus per Signa 11. dumtaxat *Zodiaci* peragi ſtatuitur; tum quod diſtincto *Saturni* diverſo in *Zodiaci* Signo extantis Charactere Periodi *Minoris* 532. anni quidem ſinguli deſignantur, non etiam anni ſinguli Periodi *Majoris* 5320, quae ideo cum Periodo *Minori* parum congruit; tum quod annorum 532. ſpatio ad idem omnino Signum haud regreditur *Saturnus*, ſed duo ferme Signa praetergreditur; neque *Solem* perinde eodem in aſpectu Conjunctionis, aut Oppoſitionis aſſequitur in eodem *Zodiaci* Signo, & gradu, niſi poſt Menſem, ideoque rationibus utriuſque exaequandis impar dignoſcitur, & inepta. Sed hac gemina de Periodo ſatis haec, atque ſuper; aliiſque valere juſſis, in quibus plus imaginationis, qua ſe exercere ingenia voluere. quam veritatis ineſſe, utilitatiſque deprehenditur, ad eas, quae aut uſu Populis fuerint, aut utilitate praeſtare queant, noſtra progrediatur oratio.

IX. Tergeminam itaque, celeberrimamque, ut Superis placuit, tandem attigimus Periodum, qua Chriſtianos apud Orientales nihil uſu frequentius, cujuſque abſque cognitione ſpiſſis ubique nebulis obſita Hiſtoria Orientalis adparet: quae ſane Periodus ab ipſo Mundi exordio ita incipienda ſtatuitur, ut cum *Incarnatione* Chriſti D. colligetur. Quocirca etſi de Mundi aetate diſputationi opportunior alter nobis deſtinatus ſit locus, qua tamen Periodus iſthaec cum *Incarnatione* Dominica cognationem habet intimam, & Orientalibus indivulſa aeſtimari ſolet, de ea pauca diſſerere, pro ut ratio poſtulat operis, nec injucundum erit, nec inane. Ex tribus itaque Periodis iſtis

prima aliquibus dicitur apud Petavium Doct. temp. Auctar. lib. 8. cap. 1. *Antiochena*, quae ab Orbe condito ad Chriſti D. in Carne natalem annos 5493. numerat, & cum *Juliano* Anno 45. unanimi Chronologorum conſenſu conjungitur. Etſi vero *Alexandrina* verius dicenda viſa ſit Goaro in Annot. ad Theophanis Chronog. edit. Ven. p. 3, *Antiochena* tamen denominari conſuevit, ut hoc ab *Alexandrina* diſtinguatur nomine, quo deinceps nobis adpellabitur; ejuſque auctor fertur *Panodorus* Aegyptius Monachus Syncello frequens in ore; quam ſequuti deinde ſunt Cyrillus Scythopolitanus, Dionyſius *Exiguus*, & Elmacinus in Hiſt. Saracenica, amplexata ultro citroque eſt Antiochena Eccleſia; nec ab ea procul abſuere Theophilus Antioch. in lib. ad Autolycum ab Orbe condito ad Chriſtum annos 5491. dinumerans, & Q. Julius Hilarion in Chron. Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 376. annos 5497. ſupputans. Conferendus Ducangius in Praefat. ad Chron. Paſchale edit. Ven. p. xv. ſqq. Secunda *Alexandrina* communiter nuncupata; etſi aliis *Aethiopica* apud Petavium in Animad. ad S. Epiphanii Haer. 66. Oper. T. II. p. 269; *Aegyptiaca* etiam aliis, veluti Syncello, Theophani &c., denominata, quae a Mundi exordio ad Chriſti D. natalem vulgarem annos 5501. computat, ac in Annum *Julianum* 54. confertur a Petavio, in annum 45. a Scaligero, verius in annum 43. a Pagio, qua de re poſtea, ejuſque inſtitutor Goaro videtur *Julius Africanus*; eaque paſſim utuntur Eccleſia Alexandrina, Aethiopica teſte Ludolpho Comment. in Hiſt. Aethiop. p. 385, S. Amphylochius, ſi tamen ejus eſt auctor, in vita S. Baſilii p. 164, etſi in Latino excuſum 6600. pro Eφ 5500, Anianus Monachus Syncello ſaepe memoratus, Euſebius ad calcem Chron. Paſchal p. 421, Meletius apud S. Joh. Damaſcenum T. I. p. 650, Philippus Solitarius in Dioptra lib. 3. cap. 8, S. Maximus de Computo Eccleſ. cap. 32, Georgius ipſe Syncellus in Chronogr., Dorotheus Monebaſiae Metropolita in Synopſi Miſcellanea Graeco-Barbara apud Seldenum, Eutychius Alex. in Annal., Theophanes Syncelli continuator in Chronog., Auctor Chron. Orient. p. 30. edit. Ven., Nicetas, Glycas, S. Nicephorus Conſtantinopolit. in Chronog. ad Syncelli calcem, Auctor Pſeudo-Evangelii Nicodemi, Euchologium

Ara-

by Google

Arabico-Graecum Bombic. Bibl. Vatic. n.43. p.251. apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T. I. p. 84. ſq., Auctor Codicis alterius Arabici MS. n. 143. Vatic. *Tartib Alagbebernia*, *Ordo Vigiliarum* inſcripti in fine apud eumdem Bartoloccium p.85, Suidas V. Ἀδάμ T. I. edit. Kuſteri p. 48, ubi pro Ἔτη εφ.' 5500. legendum Ἔτη εφα' 5501. recte monet Kuſterus in Not.; eademque pridem uſos Periodo S. Hippolytum Julio Africano coaevum, S. Epiphanium Cyprium, & Heronem Philoſophum, & Confeſſorem ex S. Cyrillo Monacho in vita S. Euthymii Magni Abbatis apud Cotelerium Monum. Eccl. Graecae T.II. cap. 109. oſtendit Pagius in Diſſert. de Periodo Graeco-Rom. §.26. S. Hippolyto rurſus eamdem uſu Periodum veniſſe auctor eſt Syncellus in Chronog. p. 318. edit. Pariſ., Ven. 251, ubi ex S Hippolyti Chronico, de quo Euſebius Hiſt. Eccl. lib.6. cap.22, idemque Syncellus p.358, ſive 285, ex Aniani Monachi Cyclo Paſchali II. annorum 532, & S. Maximi Computo Eccleſ. ſe didiciſſe ſcribit diem Chriſti *Natalem* anno Mundi 5501, *Auguſti* 43, (in quo tamen egregie cum S. Maximo eum falli oſtendit Pagius cit. diſſert. §.xx1, ſiquidem *Julianus* Annus 43, quo *Natalis* Chriſti ab iiſdem adſigitur, eſt *Auguſti* 42, *Julio* Caeſari namque *Auguſtus* ſucceſſit, non anno 1. *Juliano*, ut illi arbitrati ſunt, ſed anno 2. ab ejuſdem *Julii* nece), Cycli 11. annorum 532. anno 181, (qui ſane Cyclus undecimus anno Mundi 5321. injit), conſignare. Ex praelaudato jam vero S. Cyrilli teſtimonio, quo patet a S. Epiphanio ſecundam hanc Aeram *Aethiopicam* fuiſſe adbibitam, & cum Mundi anno 5501, ac *Juliano* 43. Chriſti *Natalem* copulatum, ſcite animadvertit Pagius §.xxv1. p.278. mendum irrepſiſſe in S. Epiphanii textum Haer. 66. n.50, ubi tradit Chriſtum D. Baptiſatum fuiſſe anno aetatis 30, Mundi 5509, unde Petavius in Animad. T. II. p.269. colligit ex S. Epiphanii ſententia Chriſtum natum anno M. 5480, mendum, inquam, irrepſiſſe, ac pro Mundi anno 5509, ideſt loco Ἔνατον *Nonum*, legendum fore Τριακοστὸν Ἕνα *Trigeſimum primum*, ideoque perperam S. Epiphanio diverſam ab Alexandrina Eccleſia opinionem de anno Natalis Chriſti a Petavio affingi. Tertia *Conſtantinopolitana* Periodus, ſive *Romana*, inde dicta, quod

quod Conſtantinopolis nova paſſim *Roma* dici ſoleret, *Alexandrina* etiam Calmetio perperam nuncupata, adpellatur: cujus inventor licet Antiquus in obſcuro adhuc latet, quae a Mundi Creatione ad Chriſti D. in Carne adventum annos 5508. computat, ac in annum 45. Julianum, non ſecus ac prima *Antiochena*, conferri communiter ſolet a Chronologis; atque totum per Romanum Imperium pervagata eſt, atque paſſim admiſſa legitur in Synodo VI. Conſtantinopolitana anno 680, & in Quiniſexta Synodo, ſive Trullana anno 692. habitis; ab Auctore Chronici Alex., ſive Paſchal., & Anonymo ad ejuſdem Chronici calcem, a Bulgaris, ab Albanis, a Georgianis, ab Illyricis, atque Ruthenis, ſive Moſcovitis, ab Aſtronomo Graeco MS. apud Jacobum Capellum, a Duca Michaelis Nepote apud Bullialdum in Not., ab Aethiopibus quibuſdam, Ludolpho referente, a Graecis in Officiis Eccleſ., ac in Horologio maxime, ab Orientalibus aliis in Cyclo Paſchali conſtruendo, a Juriſconſultis in conſignandis Imperatorum Edictis, Sacriſque Divalibus; ab Auctore Opuſculi V. Bedae perperam attributi, *Computi Ratio* inſcripti, a Syris deinde, qui *Antiochena* Aera abdicata, ſeu verius in *Conſtantinopolitanam* transfuſa, hujuſce deinceps uſum fecere, qua de re poſtea, a ceteris aliis Eccleſiae Conſtantinopolitanae moribus addictis, a qua neque procul abfuere Perſae apud Ricciolium annos M. 5506. ad Chriſti Natalem putantes, Cedrenus totidem, Nicephorus Calliſtus 5505. numerantes &c.

X. Sed enim Scaliger ad Excerpta S. Maximi, ſuo pro ingenio novitatum percupido, Periodis iſtis diverſa indere delectatus eſt nomina, atque primam *Lunarem*, mediam *Orientalem*, poſtremam adpellare *Paſchalem* maluit, confutatus ideo, convictuſque a Petavio, ipſomet teſte Doct. temp. lib. 9. cap. 5. Petavius ipſe viciſſim cum eodem loci, tum Auctarii lib. 8. cap. 1. ſqq. duplicem tantum Periodum, non triplicem putandam, duobuſque numerandam dumtaxat nominibus contendit; atque Periodum ſecundam *Alexandrinam* 5501. cum Anno Juliano 54, *Dionyſianae* Aerae 9. conjungit, ita conjunctam a Syncello, a S. Maximo, aliiſque eamdem amplexis exiſtimans. Qua in opinione cum Petavio fuere Hervvartus in

Chon-

Chronolog., Bollandus, & Henſchenius in Actis S. Clementis Ancyrani §.1. n.2. edit. Ven. T.II. Januar. p.458, aliique in ea perſuaſione defixi, quod Alexandrini Chriſtianam Aeram annis 8. ſerius, quam Latini ordiri ſolerent. Sed enim cum Herwarto, Bollando &c. Petavium refellendum primus adſumpſit Goarus in Not. ad Theophanem p.4, eo praeſertim momento, quod Syncellus, & Theophanes, qui Aeram ſecundam *Alexandrinam* 5501. adhibuere, annis 7, vel 8. Aera prima *Antiochena* majorem, poſtea tamen ex *Diocletianaei* Imperii annis totidem 7, vel 8. reſectis, cum prima Aera concordem hanc ſecundam effecere, aequalique greſſu deinceps Aeram procedere utramque coegerunt. Documento eſſe, argumentoque oſtendit *Diocletianaei* Imperii exordium, ſive annum 1, qui a Syncello p. 386. edit. Pariſ., Ven. p.308. in annum M. 5778, Chriſti 278. confertur; a Theophane vero p.5. edit. Pariſ., Ven. p.4. in annum M. 5777, Chriſti D. 277. rejicitur: (quibus adjungendi Eutychius, alias Said Ebn Batrik Arabicus, de Origin. Eccl. Alex., ſive Annal. T.I. p.401, ubi a Chriſto Nato ad Imperium *Diocletiani* inceptum annos 276. fluxiſſe ſcribit, & Chronici Orient. Auctor edit.Ven.p.36, & 78, ubi *Diocletiani* annus 1. cum Mundi anno 5777, Incarnationis 277. conjungitur:) quum tamen *Diocletianaei* Imperii exordium cum Aerae Chriſtianae anno 284, (qui ideo Syncello eſſe debuiſſet Mundi 5786, Theophani, & Auctori Chron. Orient. Mundi 5787.), unanimi Chronologorum conſenſu illigari ſoleat, ideſt annis 7, vel 8. fieri poſterior in Aera *Chriſtiana*, in Aera vero *Alexandrina* poſterior annis 9, vel 10. Enim vero ad *Panadori*, ſeu *Antiochenam* Periodum, ſeu Aeram 5493. ſi adjungas Aerae *Dionyſianae*, ſive Chriſtianae annos 284, ſummam inde colliges annorum 5777, quot ideſt ab Orbe condito ad *Diocletianum* ſubducuntur Theophani, ac fere Syncello, Auctori Chron. Orient., aliiſque Aeram ſecundam *Alexandrinam* ſectatis. Viciſſim annis M. 5777. ſi adjicias annos 10, obtinebis annos M. 5787, Aerae Chriſtianae 284: quo revera *Diocletianus* imperium primo injit. Inde patet itaque Aeram ſecundam recurrere in primam, atque a prima annis 7, vel 8, non ſecus atque a tertia pari ſpatio diſta-

re;

re; poſtquam vero facta detractione in primam ſecunda refuſa eſt, prout prima annis 15, aut 16. a tertia differt, ſic ab eadem tertia annorum totidem 15, aut 16. intervallo ſecundam disjungi. Quae cauſſa eſt, ut Theophanes ſecundam Aeram ſuam 5501. annis 7. tantum prima 5493. Aera poſteriorem, ac totidem annis 7. tantum anteriorem Aera poſtrema 5508, ante *Diocletianum* annis 7. mutilatis, effecerit, atque Aeram ſuam aeque, ac primam annis 16. tertiam praecedere adfirmet: unde Chronog. p.94. *Anaſtaſium* imperare cepiſſe ſcribit ab *Adamo* anno 5999, juxta Romanos, (Aeram ideſt *Conſtantinopolitanam*), verius juxta *Alexandrinos*, (Aeram hoc eſt ſecundam), anno 5983, a *Diocletiani* Imperio 207, a Divina Incarnatione 483: qui tamen ante *Dionyſianae* Aerae 490. imperium exorſus eſt: unde patet a *Dionyſiana* Aera detractos a Theophane annos 7. fuiſſe. Clarior Syncelli Chronog. p.312. ſq. edit Pariſ., Ven. p.248. ſq. mens adparet; quo loci a *Panodoro* Aeram Mundi adhibitam ſcribit annorum 5493, annis ideſt 7. integris, aut 8. inceptis minorem ab ea, quae ſibi magis adhibenda viſa eſt, ideſt annorum 5501. Tum vero ſuam Aeram ſecundam cum Aera prima a *Panodoro* admiſſa ſic componit, ut ubi *Panodorus* Aeram *Aegyptiacam*, ideſt a capta Alexandria, in Annum 22. *Auguſti* confert, ipſe in *Auguſti* annum 15. eamdem conjcit Aeram, uterque vero in eumdem Mundi annum conditi 5472: unde, uti vides, ab *Auguſti* Annis 22. reſecatis 7, Syncellus Aera ſua 5501. ſecunda, quae annis 7. *Panodori* Aera prima major eſt, ita demum Aeram hancce primam aſſequutus eſt, ut pari deinceps utramque procedere gradu Aeram compulerit. Ita plane *Julii Africani*, & *Panodori* Aera, ſive Aera *Alexandrina*, & *Antiochena* in unam, eamdemque tandem coaluit; remanente tamen biennii diſcrimine inter utramque in Aera *Dionyſiana*. Quatenus *Alexandrina* cum Anno *Juliano* 43. copulata annum 1. *Diocletiani* in Aera *Dionyſiana* numerat 277; e contra *Antiochena* cum *Juliano* anno 45. connexa *Diocletiani* annum 1. in *Dionyſiana* Aera 275. computat. Quocirca ut invicem demum utraque cohaereat, vel *Antiochenae* duo anni ſunt addendi, vel ab *Alexandrina* duo anni detrahendi ſunt. Juxta haec itaque

que Pagio in Diſſert. de Periodo Graeco-Rom. §.xxiii. Appar. in Baronium edit. Lucen. p.276. Periodus *Alexandrina* 5501. Syncello incepta a die 25. Martii, a nonnullis aliis ab Aprili, communiter autem a Kalendis Septembribus, incipienda ab anno *Juliano* 43. verius ipſi viſa eſt, annis 10. ante *Antiochenam* 5493, & annis 16. ante *Conſtantinopolitanam* 5508; Mundi exordium auſpicata ſcite animadvertitur; ita tamen, ut a Syncello, Theophane, aliiſque eamdem amplexatis a *Diocletiani* imperio annis 7. detractis, cum *Antiochena* conciliata tandem fuerit, ut modo a Goaro rite obſervatum eſt. Quamobrem recte Pagius ibid. §.xxv. p.278. docet, quod Aera *Alexandrina* decem *Indictionibus* Aeram *Chriſtianam* ante *Diocletianaei* imperii exordium ſuperat, ideoque ab annis Aerae *Alexandrinae* decem numeris abjectis; qui relinquetur cum *Indictione* Romana congruet. Poſt annum 1. vero *Diocletiani*, quo nempe *Alexandrina* Aera mutilata eſt, eadem ſemper tam in *Alexandrina*, quam in *Dionyſiana* Aera *Indictio* decurret. Quia vero hoc ipſo *Diocletiani* anno 1. ex Aera *Dionyſiana* ab Alexandrinis, uti dictum eſt, anni 7. detracti ſunt, (*Diocletiani* namque annus 1, qui in Aera *Dionyſiana* fuit 284, in *Alexandrina* 277. factus eſt), idcirco in Aera *Alexandrina* Incarnationis annis ſemper addendi ſunt anni 7, ut Incarnationis annum in *Dionyſiana* Aera aſſequaris. Nec una tamen iſtiuſmodi mutilationis extitit cauſſa *Alexandrinam* componendi cum *Antiochena* Aeram, alteram ſe detexiſſe putat Pagius §.xliv. p.283. ſq., Cycli nempe *Decemnovennalis* uſum ab Anatolio Laodiceno Epiſcopo, genere Alexandrino, inductum. Ut enim à primo *Diocletiani* anno Cyclum 19, non ſecus ac Cyclum 532, (quem a Metrodoro Aegyptio, ac deinde ab Aniano itidem Aegyptio elucubratum fuiſſe, & a *Diocletianaei* imperii anno primo inceptum memoriae prodidere Photius in Bibl. Cod. 115. edit. Rothomag. Schotti p.291. ſq., ac Syncellus Chronog. p. 35. edit. Pariſ., Ven. p. 27.), repetere rite poſſet, utque Aera *Alexandrina* per Cyclum 19. diviſa ejuſdem Cycli annum 1. redderet pro anno 1. *Diocletianaei* Imperii, decennio eamdem *Alexandrinam* decurtare Aeram Anatolius debuit, adeo ut pro anno Mundi 5787, pu-

tandum duxerit M. annum 5777, qui per Cyclum 19. partitus Cycli numerum 1. pro anno 1. *Diocletiani* reddebat; cui anno reapſe Cyclus *Lunae* 1. adfixus legitur; adfixumque ſane ab Anatolio credidit etiam Calviſius Iſagog. Par. II. cap. 16; Anatolio vero laudi diu vertit Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 7. edit. Ruffini cap. 28, Valeſii cap. 32, quod Cyclum 19. apud Chriſtianos omnium primus invexerit.

XI. In eadem perinde Goari veſtigia Pagius Diſſert. de Periodo Graeco Rom. §. XXVIII. ſqq. p. 278. ſqq. ingreſſus, Petavii ex S. Maximo, Syncello, Theophane, S. Nicephoro &c. ſuadere conantis ab iis, aliiſque Periodum *Alexandrinam* ſequutis Chriſti D. natalem anno Mundi 5501. conſignatum, cum *Juliano* anno 54, *Dionyſiano* 9. fuiſſe copulatum, ideoque *Chriſtianam* Aeram annis 8. ſerius, quam a Latinis, inceptam fuiſſe, argumentis prorſus everſis, a Graecis illis potius ad annum primum *Diocletiani*, tam *Alexandrinam* Aeram, quam *Incarnationis*, e priori decem ſubductis numeris, e poſteriori ſeptem ablatis, mutilatam fuiſſe pergit oſtendere §. XXXVIII. ſqq. p. 281. ſqq.; ita videlicet, ut ab Aera *Incarnationis* ſub anno 1. *Diocletiani* anni etiam 10. abjecti fuerint; poſtea tamen quam a Dionyſio Exiguo *Incarnationis* Aera vulgaris inſtituta fuit, ac primus *Incarnationis* annus tribus an nis tardius, quam a Julio Africano, conſignatus fuit, ab *Incarnationis* Aera ſeptem anni dumtaxat in *Alexandrina* deinceps fuerint detracti; ipſiſque met, quae ſua pro opinione adfert Petavius, exemplis rem egregie conficere ſuſcipit. Sic enim S. Maximus Computi Eccl. Par. I. capp. 17, & 21. *Heraclii* Imperatoris annum 31, quo Opus ſuum ab ſe abſolutum tradit, cum anno Mundi 6133, *Incarnationis* 633, *Indictione* XIV, Dominica in diem 4. Februarii incidente, conjunxiſſe legitur: qui plane Aerae *Dionyſianae* fuit annus 641; a quo detracti anni 7, reliqui oſtendunt annum 633. a S. Maximo deſignatum: quo patet ab eo Aeram *Dionyſianam* annis 7. fuiſſe diminutam. Ab *Indictione* XIV. rurſus ablatis X, reliquae IV. annum Aerae *Dionyſianae* 641. indicabunt, quo revera *Indictio* IV. decurrebat: quo patet item *Dionyſianae* Aerae *Indictiones* decem numeris in *Alexandrina* fuiſſe decurtatas. Idem

S. Ma-

S. Maximus iterum capp. 18, & 32, poſteaquam Chriſti D. Natalem anno M. 5501, Baptiſmum 5530, Obitum 5534. conſignavit, inde a Chriſti D. Natali uſque ad *Heraclii* annum 31. colligit annos 633, a Baptiſmo 604, ab Obitu 601: quibus abjectis decem annis, quot nempe *Dionyſianam* Aeram ab Alexandrinis mutilatam fuiſſe ſaepe diximus, fient a Chriſti D. Natali anni 641, a Baptiſmo 614, ab Obitu 611: in quos nempe *Heraclii* annus 31. revera incidit. Sic etiam Theophanes in Chronog. p.28. edit. Pariſ., Ven. p.22. *Conſtantini M.* obitum in Mundi annum 5829, *Incarnationis* 329. confert: cui anno *Dionyſiano* anni 7. adjuncti dabunt in Aera *Dionyſiana* annum 336, cujus Menſe Septembri annus ille M. 5829. incepit, finjitque anno *Dionyſiano* 337, quo die 22. Maji *Conſtantinus M.* hominem exuit. Rurſus Theophanes p. 36, ſive 31. *Conſtantii* Imperatoris, poſt acceptum ab *Euzojo* Ariano baptiſmum, anno M. 5852, duodecima, poſt undecimam exactam, annorum 532. redeunte Periodo, mortem conſignavit. Incipit is Mundi annus cum anno *Dionyſiano* 359. a Kalendis Septembris, Periodi Julianae 5072. Jam vero ab anno M. 5852. retrotracta Periodus XII. annorum 532. recurrit in annum M. 5321. Aſt a Periodi Julianae anno 4531, quo eadem Periodus XII. incepit, uſque ad annum Periodi Julianae 5072, anni intercedunt 542: quod indicio eſt manifeſto *Alexandrinam* Aeram annis 10. decurtatam fuiſſe. Theophanes iterum p.46, ſive 36. *Valentiniani* Senioris Imperii exordium cum anno M. 5856, *Incarnationis* 356. illigat, (non cum anno M. 5857, *Incarnationis* 357, uti ſcribit Petavius). Sed enim computo ejuſmodi *Incarnationis* ideſt anno 356. adjuncti anni 7. efficient annos 363, inſequenti vero Aerae *Dionyſianae* anno 364. revera *Valentinianus* Imperium auſpicatus eſt: quo fit evidens a Theophane *Dionyſianam* Aeram, annis 7. decurtatam, fuiſſe adhibitam, ac praeterea anno 1. Theophanem in computo defeciſſe. Theophanes tandem p.91, ſive 72. Chalcedonenſe Concilium celebratum tradit Menſe Octobri Indictione V, (a Septembri ſcilicet inchoata), *Marciani* Imp. anno 2. a duobus Menſibus incepto, Mundi 5944, *Incarnationis* Dominicae 444: cui ab Aera *Dionyſiana* reſecti anni 7.

adjuncti dabunt annum 451 : quo revera celebrari Synodus Chalcedonenſis die 8. Octobris cepit, finivitque die 1. Novembris. Sic etiam S. Nicephorus Conſtantinopolit. in Chronog. ad calcem Syncelli p.401. edit. Pariſ., Ven. p.310. Concilium Nicaenum *Conſtantini M.* anno 20, *Incarnationis* Dominicae 318, a *Reſurrectione* 285. celebratum ſcribit; ab *Adamo* vero uſque ad *Conſtantinum* annos colligit 5836: inde liquet itaque ab Aera *Dionyſiana* annos 7. fuiſſe detractos, qui anno 318. reſtituti efficiunt annum 325, quo Nicaena Synodus revera habita eſt. Ad haec S. Nicephorus p.402, ſive 321. *Juſtini* cognomento *Curopalatis* anno 7. *Paſchalem* unam Periodum annorum 532. a Chriſti D. in Cruce obitu fuiſſe evolutam, a Mundi conditu anno 6065, *Indictione* VI. ſcribit. Siquidem itaque cum Syncello Chriſti D. *Incarnatio* a S. Nicephoro conſignetur anno M. 5501, *Auguſti* 42, Obitus vero anno *Dionyſiano* 31, liquet inde S.Nicephori opinione Mundi annum 6065. in Aera *Dionyſiana* cum anno 562. concurriſſe: nam Periodo 532, quam in Chriſti D. obitu completam adſerit, adjuncti Chriſti D. anni 31. efficiunt annos 562. At enim *Juſtinus* Aerae *Dionyſianae* anno 565. imperium adeptus eſt, ideoque ejuſdem Imperii annus 7. in annum 572. *Dionyſianae* Aerae, *Alexandrinae* vero annum 6072. incidere debuit: id ergo indicio eſt manifeſto S. Nicephorum *Alexandrinam* Aeram amplexatum fuiſſe decem annis decurtatam. Poſtremo iſtiuſmodi mutilationis inſigne proſtat exemplum in Philothei Alexandrini Patriarchae Jacobitae Epiſtola Synodica ad Dionyſium ejuſdem Sectae Patriarcham Antiochenum apud Paulum Ebn-Regia in libro de Fide Patrum fol. 302, indeque in Bibl. Orient. T.II. cap.36. p.141. ſq. a Cl. Aſſemano tranſlata: Synodica enim haec Epiſtola ſignata legitur *Menſe Barduma*, (qui, aut ago fallor, eſt *Bermud* Menſis 8. Coptorum), *Anno ab Incarnatione* 979, *SS. Martyrum* 703. Siquidem enim SS. Martyrum Aera una cum anno 1. *Diocletiani* cepit anno Aerae *Dionyſianae* 284, his adjuncti anni 703. efficiunt annos 987. *Dionyſianae* Aerae. Inde fit igitur evidens a Philotheo Alexandrino Aeram *Incarnationis* adhibitam fuiſse annis 7. ab Alexandrinis jampridem decurtatam.

XII. De

XII. De Periodo nunc *Conſtantinopolitana* 5509. loquendo, ea profecto alia non eſt, quam *Antiochena* ipſamet 5493. reformata, ita ſcilicet ut, ſicut in *Antiochena* Incarnationis annus cum *Juliano* anno 45. a *Panodoro*, & a *Dionyſio Exiguo* deinde fuerat copulatus, ſic etiam in *Conſtantinopolitana* Incarnationis annus cum eodem anno *Juliano* 45. a Graecis fuerit conjunctus; Mundi tamen exordium annis 16. poſterius *Antiochena* repeteretur. Factum id unius *Indictionis* adjectione videtur Pagio cit. Differt. §.LIV. p.288, utque fieret, in cauſſa fuiſſe *Indictionum* jam tum ubique gentium uſum inductum, quem ideo ut apud ſe Conſtantinopolitani transferrent, *Antiochenae* Aerae integrum *Indictionis* Cyclum XV. cum unitate adjungendum putarint, indeque ex *Antiochena* 5493, Numeris XV. adjectis, *Conſtantinopolitanam* annorum 5509. effecerint: qui per 15. diviſi pro anno 1. *Incarnationis*, & pro *Juliano* 45. reddunt *Indictionem* IV: quo ſane anno IV. *Indictionis*, & quo anno 45. *Juliano* conſignata pariter *Antiochena* fuerat Aera. Unde fit, ut ſi *Antiochenam* velis aſſequi, e *Conſtantinopolitana* anni 16. abjiciendi ſint, atque viciſſim, ut *Conſtantipolitanam* obtineas, *Antiochenae* totidem anni 16. ſint adjungendi. Alteram ejuſdem *Conſtantinopolitanae* Aerae inſtituendae cauſſam detexiſſe ſe putat Petavius Auctarii lib.8. cap.3, Cycli 19. ideſt *Judaici*, in Graecorum, & Latinorum uſum deinde transfuſi, commoditatem. *Judaicum* nempe Cyclum ab *Alexandrino*, & *Romano* ternario diſcrepaſſe obſervat, ita ut qui Romanis, & Alexandrinis numerus 1. erat Cycli, Judaeis, ac Latinis eſſet 18, quique in Kalendario *Juliano* Kalendis Januariis Latinis, ac Judaeis numerus 19. adfixus erat, ibi Romanis, & Alexandrinis Numerus 3. adſcriptus eſſet. Ad *Judaici* Cycli itaque formam aſſequendam hanc a Graecis excogitatam fuiſſe, inductamque Aeram 5509. auguratur Petavius, nec abnuit Pagius: quippe annus 5509. diviſus per 19. relinquit in Cyclo 18, qui in Cyclo *Judaico*, ac *Latino* approbe congruebat anno 1. Aerae *Dionyſianae*; ad quem tribus adjunctis habetur *Aureus Numerus* 2, qui in *Alexandrino*, & *Romano* Cyclo reſpondebat Aerae *Dionyſianae* anno 1. Verum conjecturae huic id obeſt,

quod

quod Cyclum 19. *Judaicum Alexandrino* Cyclo ternario, minorem Paſchali Feſto indicendo Romanae perinde uſu Eccleſiae Seculis IV, & V. veniſſe opinio quidem vetus fuit apud Paulum Foroſemp. Paulinae lib.5, Stoefflerum Prop.34, Petavium Doct. temp. lib.6. cap.5, alioſque paſſim, quam tamen prorſus everterunt Noriſius diſſert.1.ad Faſtos Conſul.edit.Veron. T.II. p.628.ſqq., & Bettazzius Oper.Paſch.cap.26.n.236. oſtendentes in Eccleſia Romana *Alexandrinum* utique Cyclum, *Judaicum* vero nunquam obtinuiſse. Commentum eſt vero, quod de Euſebio Caeſareenſi Syro-Neſtoriani ferunt apud Georgium Arbelae, & Moſuli Metropolitam memorato Aſsemano in Append. ad Catalogum Scriptorum Neſtoriano-Syrorum Ebedjeſu cap. 35. Bibl. Orient. T.III. Par.I. p.519, ab eo videlicet PP. Nicaenorum juſſu Cyclum tam *Lunarem* 19, quam *Solarem* 28, *Solis*, atque *Lunae* rationibus exaequandis, ac *Paſchati*, ceteriſque Feſtis ſuo legitime indicendis tempore, fuiſse elucubratum: cujuſmodi commenti falſitas vel inde aperte conſtat, quod cum Cyclo 19. *Judaico*, ſive *Alexandrino* nulla cohaerere ratione poteſt Cyclus 19. Euſebio tributus, utpote qui Aeram ſequutus Julii Africani ſupponitur, in qua *Incarnationis* Aerae, ſive *Dionyſianae* jam decennio mutilatae annus 1. conſignatur Cyclo *Solis* 12, *Lunae* 9; (ſic enim 5501. diviſus per 28. reddit 12, diviſus per 19. reddit 9.); ipſe vero in Chronico verſ. S. Hieronymi Oper. T.VIII. edit. Vallarſii p.636, & Hiſt. Eccl. lib.1.cap.6.Chriſti natalem confert in annum 3. Olymp.194, U. C. 752, *Auguſti* 42, a *Julii* obitu, ab *Aegyptiaca* Aera 28; qui in Periodo Juliana fuit 4712, in quo Cyclus *Solis* fuit 8, *Lunae* 19. Ea veri mihi videtur eo ſimilior, quo ſimplicior conjectura, quod ſicut ex *Alexandrina* Aera 5501. efformata fuit *Antiochena* 5493, ablatis ab illa annis 7, & cum illa Aera *Incarnationis* fuit illigata, adeo ut una deinceps in alteram viciſſim refunderetur, numeri ſeptennarii ablatione, vel adjectione, ita perinde vel ex *Alexandrina*, annis 8. adjectis, vel ex *Antiochena*, abjectis 16. annis, *Conſtantinopolitana* facta fuerit, ac ita in Periodum hancce tertiam utraque prior illa fuerit refuſa. Documento eſse poteſt S.Maximus in Computo Eccl.Par.I.

cap.12,

cap.12, ubi a quibuſdam, quos Πενταπλῦντας, & Ἑξαπλῦντας vocat, nos *Undecuplatores*, ideſt quinquies, & ſexies, hoc eſt *Undecies* Cycli 19. annos multiplicantes, nuncupare rite poſſumus, ad annos *Adami* annos 16. additos fuiſse refert. In Aera namque *Conſtantinopolitana*, adjectis Aerae *Antiochenae* annis 16, non ſecus ac *Antiochenae* annis 8. adjunctis, aequales tres omnes in anno 1. *Dionyſianae* Aerae omnino fiunt, etſi diſtare adhuc invicem pergant annis 6, vel 16. in Cyclo *Lunae*, & in Cyclo *Solis* annis itidem 16, vel 6: nam qui anno 1. Aerae *Dionyſianae*, ac *Juliano* 45, cui ab Alexandrinis aeque, ac ab Antiochenis *Incarnationis* annus 1. adſtrictus eſt, Latinis eſt Cycli *Solis* 9, *Lunae* 1, Alexandrinis eſt Cycli *Solis* 14, *Lunae* 11, Antiochenis Cycli *Solis* 4, *Lunae* 1, Conſtantinopolitanis Cycli *Solis* 20, *Lunae* 17, velut ex Tabula Cyclorum a Pagio rite deſcripta p.291.ſqq.adparet. Hujus ergo rei gratia factum puto, ut Syris, *Antiochenam* olim Aeram alioqui ſequutis, *Conſtantinopolitana* deinceps adhibuerit, qua nempe ita reformata Aeram utramque *Alexandrinam*, & *Antiochenam* in eodem *Incarnationis*, ſive *Dionyſiano* anno ipſis adſequi dabatur. Itaque a Syris *Antiochenae* loco Aeram *Conſtantipolitanam* annis 16. decurtatam fuiſſe deinde ſuffectam documento eſſe poteſt Synodica a Patriarchis Alex. *Philotheo*, Antioch. *Dorotheo*, & Hieroſ. *Joachimo* apud Allatium de Eccleſ. Occid., & Orient. Conſen. lib.3. cap.4. §.1. conſignata Menſe Aprili, Indictione 6, anno Mundi 6951, a Chriſto nato 1443: nam Aerae *Conſtantinopolitanae* an.5508, quo Chriſti D. nativitas adſtringitur, additis *Dionyſianae* Aerae annis 1443, fient Mundi anni 6951, quo anno exarata Epiſtola eſt. Univerſaliorem tamen uſum apud Syros cum Jacobitas, tum Neſtorianos invaluiſſe Aerae cum *Seleucidarum*, tum *SS. Martyrum* Art. ſeqq. de Epochis palam fiet.

XIII. Jam vero in Periodis iſtis *Alexandrina*, & *Conſtantinopolitana* ita in *Antiochenam* refuſis, ſive brevius in *Antiochena* ipſa Periodo ſi annum quaeras vulgaris Periodi *Dionyſianae*, poſterioris hujuſce propoſito anno Periodi *Antiochenae* adjungendi ſunt anni, ſummaque quaeſitum dabit annum Periodi *Antiochenae*. E. g. Anno decurrenti 1767. additi 5493.

ti 5493. efficiunt 7260, qui eſt annus decurrens in *Antiochena* Periodo. Perbelle igitur, ingenioſeque Pagius cit. Diſſert. de Periodo Graeco-Romana §. LXVII. ſqq. p. 301. ſqq. *Antiochenam* Periodum ita ex *Alexandrina*, & *Conſtantinopolitana* reformatam ad Latinorum etiam uſum inflexit, eidem idcirco Periodi *Graeco-Romanae* indito titulo, a qua perinde, atque a Periodo Juliana, optime Cyclos *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis* exhiberi demonſtravit, dummodo quatuor obſerventur Regulae, quas eodem loci ſuppeditat. 1.ª Ut anni deinceps exordium, non a Septembri, veluti Graeci ſolent, ſed a Kalendis Januariis, Latinorum more, deſumatur. 2.ª Ut retineatur numerus *Indictionis*, qui a Periodo *Antiochena* redditur; ſiquidem idem ſemper cum Latina *Indictione* decurrente ſit: eidem enim, cui *Dionyſiana*, *Juliano* anno 45. illigata Aera *Antiochena* 5493. diviſa per 15. eamdem reddit *Indictionem*, quae in curſu apud Latinos eſt. 3.ª Ut e Cyclo tamen *Lunae*, quem reddet *Antiochena* Periodus, unitas abjiciatur. 4.ª Ut Cyclo e contra *Solis*, qui in *Antiochena* exhibetur, quatuor unitates adjiciantur. *Julianus* etenim annus 45, ſive *Auguſti* 44, quo *Dionyſiana* conſignari Aera ſolet, Cyclo *Solis* 9, *Lunae* 1, *Indictionis* 3. ſignatus fuit, ut in confeſſo apud Chronologos eſt. Eidem vero *Juliano* anno 45. illigata Periodus *Antiochena*, & a Kalendis Januariis incipiens, diviſa per 15. *Indictionis* relinquet 3. utique, diviſa vero per *Lunae* 19. relinquit 2, diviſaque per 28. *Solis* relinquit 5. Ut ergo cum Aera *Dionyſiana* componatur, e Cyclo *Lunae* unitas detrahenda eſt, Cyclo vero *Solis* unitates quatuor adjungendae ſunt: eritque Periodus *Graeco-Romana*, ita ex *Antiochena* videlicet, & *Dionyſiana* conflata. Verum potiſſima hacce de cauſſa Periodum hanc a Pagio excogitatam vellicandam, exagitandamque ſuſcepit, immerito ſane, unaque ex invidia motus, atque praepoſtero erga Scaligerum affectu, Baſnagius Diſſert. 10. de Periodo Juliana Scaligeri, & Pagii Graeco-Rom. Annal. Polit. Eccleſ. T. II. edit. Roterod. p. 556. ſqq. inſerta: quatenus nempe in eodem Cycli utriuſque cum *Lunae*, tum *Solis* numero Periodus utraque non concordet; nec eodem utraque incipiat, decurratque, ſed additione, detractioneque ſit opus, ut una cum alte-

altera concilietur: quod *Chronologiae funus* ipſi dicitur. Ad haec, inquit, Periodo *Julianae* 7980. facta annorum 780. ex Periodo *Graeco-Romana* dumtaxat additione, ita ut inde fiat annorum 8760, fiet illico Periodus *Juliano-Antiochena*, longeque facilior, quam Periodus ipſa *Graeco-Romana*; qua neque Cyclorum facilior methodus efficitur, neque melior cum Aera *Urbis Conditae*, cum Epocha *Seleucidarum*, cum *Olympiadum* annis, cum Aera *Nabonaſſari*, cum annis *Julianis*, cum Natali *Dionyſiano* conciliatio exhibetur. Periodus haec praeterea *Graeco-Romana*, oblatrare pergit, neque cum *Alexandrina*, a qua decem annis, neque cum *Conſtantinopolitana*, a qua annis 16. ſuperatur, ulla componi ratione poteſt. Quid imo, quod neque Textu cum Hebraico, Latinoque Vulgatae circa Mundi annos uſque ad Natalem Chriſti vulgarem cohaeret? Quò fit, ut tantis laborans morbis Periodus iſthaec *Graeco-Romana*, Baſnagii opinione, *Scaligerianae* longe poſthabenda ſit, quin e Chronologiae finibus prorſus ſit amandanda.

XIV. Verum Baſnagio eò intendendus erat animus Pagio haud fuiſſe propoſitum novam conflare Periodum; quin imo Scaligero id vitii a Pagio ideo datum, quod Dionyſii *Exigui* potius quam veſtigiis inſiſtere, qui apud Occidentales Chriſtianam Aeram, Cycloſque, quibus Orientales addicti erant, transferre, magno Chronologiae, Hiſtoriaeque bono, ſategerat, ejuſque exemplo de Periodo cogitare, qua uno veluti fune Orientalis cum Occidentali Chronologia, & Hiſtoria colligaretur, Periodo magis elaborandae incubuerit, qua Occidentalium Cycli dumtaxat copularentur; quin modum Orientalium Periodos cum Occidentalium Cyclis, Periodiſque componendi pro virili tentaret. Quod ingenue fateri Scaliger ipſemet compulſus eſt de Emend. Temp. lib. 5. p. 360, inutilem nempe Periodum eſſe ſuam & Graecis, qui annum a Kalendis Septembris, & Antiochenis, qui a Kalendis Octobris inſtituunt; inutilemque oſtendit inſuper Pagius, quod ad illam regredi Periodus neque *Antiochena*, neque *Conſtantinopolitana* queat. Huc itaque tendit, quò ſane Baſnagius non attigit, unice Pagius, fauſtoque ſydere pervenit, ut communi

uno tanquam vinculo, Periodi nempe *Graeco-Romanae* ope, cum Occidentali Chronologia, Hiſtoriaque Orientalis conſociata tandem fuerit: cujuſce ſane concordiae fructus, quem oculis, animoque turbatus videre Baſnagius nequivit, ingens hic eſt, quod facili, certaque modo ratione Scriptorum Orientalium Epochae Latinis noſtris perſpectae fiant, quin Latinorum etiam propriae factae ſint. Ejuſmodi vero concordiae beneficium tam grande ut obtineretur, pretio quolibet obtinendum, detractione, & additione opus utique fuit in Cyclis *Solis*, & *Lunae*: ſed enim cui, rogo, id videatur malum, unde tantum hauritur bonum? Undeque tanta Chronologiae oboritur lux, cui, amabo, obfuſa caligo, niſi iniquo rerum aeſtimatori dicatur? Neque perinde vitio Pagio verti debuit, quod additionis, & detractionis ope *Graeco-Romanae* concinnandae Periodo uſus fuerit, ut qui Scaligerum in culpam ideo minime vocavit, quod Cyclos *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis* componendi gratia, annos 710. ante Mundi exordium confingere indiguerit. Sed enim de *Scaligerianae* Periodi vitiis aliis, praeterea, quae tum ex Ricciolio ſuper. Art. III. §. L. p. 201. ſq., tum ex Blanchinio hoc ipſo Art. IV. §. VIII. p. 217. ſq. carbone notata ſunt, alia nonnulla infra §. XVI. ex Saliano, Pridaeo, Ludovico Ambianenſi &c. exprobranda iterum venient. Neque tamen fructu Periodus iſthaec *Graeco-Romana* idcirco carere dicenda eſt, etſi componi cum *Olympiadum* annis, & *Urbis Conditae*, cum Aera *Seleucidarum*, ac *Nabonaſſari* nequiret: fieri namque nequibit unquam, ut Periodi cujuſpiam ope pugnantes adeo, invicemque procul Epochae diſtantes uno, eodemque veluti fune conglutinentur. Et utilitas alioquin inde provenit uberrima, quod Periodi hujus ope cum *Dionyſiana* Latinis receptiſſima Aera componatur Graecis receptior, unaque ex altera utriſque deinceps aſſequi detur. Oppido falſum eſt autem a Pagio unam *Antiochenam* componi cum *Dionyſiana*: in *Antiochenam* enim transfuſas *Alexandrinam*, & *Conſtantinopolitanam*, eadem ratione *Dionyſianam* effectas ambas fuiſſe palam fit. Quid ad haec vero, quod ſiquid utilitatis habet Periodus *Juliana*, totum in *Graeco-Romanam* videtur transfuſum? Periodo namque *Julianae* anni 780, quot a *Grae-*

a *Graeco-Romana* exceditur, adjecti propoſitum exhibent in Periodo *Graeco-Romana* annum. V. g. Anno Periodi *Julianae* 4714, quo ab Uſſerio annus 1. Aerae *Dionyſianae* conſignatur, anni 780. additi efficient 5493: quo in Periodo *Graeco-Romana* eadem *Dionyſiana* Aera etiam ſtatuitur. Sicut inſuper in Periodo *Juliana*, ſic & in Periodo *Graeco-Romana* pro anno 1. *Dionyſianae* Aerae, *Auguſti* 44, *Juliano* 45. Cyclus *Solis* 9, *Lunae* 1, *Indictionis* 3. exhibentur: quo palam fit totum id fructus utique in Periodo hacce *Graeco-Romana* obtineri, quod in *Juliana* protenditur. Inde fit inſuper, ut ſicut in Annis Mundi ad Chriſti D. Natalem numerandis immaniter etiamſi diſcrepent inter ſe Chronologi, pari jure tamen utrinque, parique cum utilitate Periodo uti *Juliana* poſſunt, ſic *Graeco-Romana* pariter. E.g. Convenit univerſim Chriſti D. vulgarem Natalem, ſive *Dionyſianum* cum anno Periodi *Antiochenae* 5493. concurrere: Chronologi ergo, E. g. qui cum Petavio Chriſti Natalem conſignant anno M. 3983, Mundi annum conſignare debebunt Periodi *Antiochenae*, ſive *Graeco-Romana* anno 1510: nam annis 3983. additi 1510. efficiunt 5493. Similiter qui cum Uſſerio a Creatione Mundi ad Aeram *Dionyſianam* annos 4003. ſupputant, Mundi exordium conferre debebunt in annum Periodi *Graeco-Romanae*, ſeu *Antiochenae* 1490: nam 4003 + 1490 = 5493. Id ipſum de Chronologis aliis uſurpandum, queis univerſis inſervire Periodus aeque *Graeco-Romana* poterit, quam *Juliana* hactenus inſervierit. Neque demum inde Periodo *Graeco-Romanae* conflari invidiam aequum, faſque eſt, quod parum, nihilque Hebraeae, Latinaeque Vulgatae Chronologiae de Annis ab Orbe Condito ad Chriſti D. Natalem congruat: quippe Periodus iſthaec, non veluti *Theſis*, in quo turpiſſime Baſnagius hallucinatus eſt, ſed velut *Hypotheſis*, ſicuti loqui Scholis mos eſt, ab Orientalibus ſuppoſita, a Pagio cum Occidentalium Periodis componenda adſumpta eſt: quo poſito totum, quod tanto ſuperſtruere conatu Baſnagius allaboravit, molimen corruere funditus oportet. Confer eumdem Pagium cit. Diſſert. §. LXVII. ſqq. p. 301. ſqq., ubi & cauſſam egregie patrocinatur ſuam, objectaque dein a Baſnagio praeoccupat, & ſuae cum Periodi

Graeco-Romanae anno 293. Aeras approbe componit *Interpretum* LXX; tum *Abrahami* cum anno 3477, juxta Euſebium in Chron.; tum *Excidii Trojani* cum anno 4310; tum *Olympiadum* ab *Iphito* inceptarum cum 4718; tum *Urbis Romae Conditae* cum 4741, juxta Varronem; tum *Nabonaſſari* cum 4747; tum *Alexandraeam*, ab obitu ideſt *Alexandri M.*, cum 5170; tum *Seleucidarum* cum 5182; tum *Antiochenam* cum 5445; tum *Actiacam* cum 5464; tum *Auguſtaeam* cum 5467. Id unum ex Pagio §.LXXVI. p.303. demum offerre ſatius habebo, manualem hoc eſt Methodum annos Cyclorum *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis* breviter eruendi. Itaque obſervare juvabit ex Cyclis *Indictionis*, omnibus numeris 15. abjectis, ex quolibet Centenario numero decem *Indictiones* dumtaxat ſupereſſe, totidemque ex quolibet Millenario. Ex Cyclis *Lunae*, Numeris 19. omnibus abdicatis, in quolibet Centenario relinqui tantum quinque, ideoque tantum duodecim in quolibet Millenario. Ex Cyclis denique *Solis*, omnibus 28. abjectis, in quolibet Centenario reſiduos eſſe ſexdecim, & in quolibet Millenario viginti dumtaxat.

XV. De Periodo ipſamet, adeoque decantata Joſephi Scaligeri, *Juliana* dicta, non de *Julii* ſane Caeſaris Patris, ut aliquibus perperam viſum eſt, nomine, ſed a *Juliano* anno, cui fuit accommodata, modo diſputandum occurrit. Atque principio Scaligero Periodi iſtiuſmodi laudem detrahendam, jure, an injuria, alii judicent, Scriptorum par nobile jubent, cum Petavius Ration. Temp. Par.II.T.II. lib.1. cap.4. in Graecos, a quibus illam mutuatus fuerit, refundendam ſcribens; tum Uſſerius in Praefat. ad Annales Vet. Teſt. Periodum hancce primum ante annos 500. Roberto Lotharingo Herefordienſi in Anglia Epiſcopo notam fuiſſe, notatamque adfirmans. Quo Praefationis attamen loco aut Uſſerii, qui minus adverterit, aut Librarji, qui oſcitanter egerit, caſtigandum errorem, qui in numeros irrepſit, rite admonet Baſnagius in Diſſert. 10. de Periodo Juliana &c. §.1. Annal. Polit. Eccleſ. p. 556, ubi videlicet ſcriptum legitur, quod ſi retrorſum a praeſenti, (Aerae vulgaris 1650, quo ſcribebat Uſſerius), anno trium Cyclorum (*Solis*, *Lunae*, & *Indictionis*) ſeries in tempora ante-

anteriora extendatur, 4713. ante initium Aerae noſtrae Chriſtianae annus ille eſse deprehendetur, in quem & *Indictionis* 1, & Cycli *Lunaris* 1, & Cycli *Solaris* 1. concurſus recidet. Namque Cyclares ejuſmodi notae anno 1. dumtaxat Periodi *Julianae* 7980. congruunt; anno vero 4713. Aerami ante Chriſtianam proximo Cyclum *Solis* 20, *Lunae* 2, *Indictionis* 13. decurriſse certum eſt, & conſtans. Jam vero in eo Periodi iſtius, ad anni *Juliani* leges accommodatae, tota conſiſtit ſumma, ut tribus invicem ductis Cyclis *Lunae* 19, *Solis* 28, & *Indictionis* 15, ſive Periodo *Victorina* 532. per Cyclum *Indictionis*, ſive per 15. multiplicata, productum annorum 7980. ipſa ſit Periodus *Juliana*: cujus ea perinde peculiaris eſt ratio, quod idem annus eodem Cyclo notatus in Orbem regredi, niſi Periodo integra completa nequeat, ideſt quod intra annos 7980. ne ullus quidem recurrere bis queat annus eiſdem Cycli *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis* numeris adfectus. Altera Periodi hujus utilitas in eo ſita eſt, quod retrogradiendo Periodi hujus ope facilius, quam Epochae cujuſque aliús beneficio res aliqua geſta attingi queat. Ita V. g. ſi cum Uſserio Annal.p.71.dixerim *Captivitatis* Babylonicae initium contigiſse anno *Mundi* 3416, *Olympiadis* 48. anno 1, *Urbis Romae* C. 165, *Nabonaſſari* 160, nec ita prompte, nec ita facile quot his ab initiis ad hanc diem praeterfluxerint anni, percipiam; quam ſi dicam *Captivitatis* illius exordium cum Periodi *Julianae* anno 4126. concurriſse: ſtatim enim intelligo *Captivitatis* initium annorum 2354. intervallo diſtare ab anno decurrente 1767, qui in Periodo *Juliana* eſt 6480. Caeterum quum ante Chriſtianam AeramCyclorum ejuſmodi uſus in Chronologia nondum obtinuerit, certa proinde defigi prius Epocha debuit, e qua filum *Juliana* Periodus ducere, indeque putandi tempora menſura eſse poſset. Enim vero verus Annus tam Orbis conditi, quam Chriſti nati in obſcuro latet adeo, ut Periodi *Julianae* ope definiri neuter queat: opus itaque fuit, ut prius Aerae *Chriſtianae* punctum veluti fixum, in quo convenirent omnes, definiretur, a quo deinceps ſive progrediendo, ſive retrogradiendo putandi annos exordium Chronologi omnes deſumerent. Quum igitur conveniat inter Chronolo-

nologos annum *Gregorianae* Reformationis in Aera *Chriſtiana* fuiſſe 1582, inde profecto ſive retrogradiendo, ſive progrediendo, *Julianae* Periodi ope certo definiri quilibet alterius Aerae poterit annus. Sic itaque retrogradiendo ab anno 1582, reperietur ejuſdem Aerae annus 1. numerum habuiſſe pro Cyclo *Solis* 10, *Lunae* 2, *Indictionis* 4: qui numerus in Periodo *Juliana* quaeſitus occurret plane non in altero, quam in anno 4714, qui diviſus per 28. relinquit 10, per 19. relinquit 2, per 15. relinquit 4: queis nempe Numeris Aerae *Chriſtianae* annus 1. notatus eſt, qui ideo in Periodo *Juliana* fuit annus 4714. Simili ratione ſi cum Dekerio, Keplero, Tirino, Uſſerio, Bucherio, Lancelloto, Seneſcallo, Pagio, Noriſio, Calmetio, Natali &c. annus 1. Aerae *Chriſtianae* anno Mundi conditi 4004. conſignetur, is in Periodo *Juliana* quaeſitus occurret annus 710: nam anno ejuſdem Periodi 4714, quo Aerae *Chriſtianae* annus 1. incepit, ademptus 4004. relinquit 710. pro Anno 1. Mundi conditi, cui pro Cyclo *Solis* congruit 10, *Lunae* 7, *Indictionis* 5: nam 710. diviſus per 28. dat 10, per 19. dat 7, per 15. dat 5. Ejuſdem vero Periodi anno 4713, qui *Chriſtianam* Aeram proxime anteceſſit, adjunctus viciſſim annus praeſens 1767. efficiet 6480, qui in Periodo *Juliana* decurrit Cyclo *Solis* 12, *Lunae* 1, *Indictionis* 15. adfectus. Propoſitis viceverſa tribus Cyclis *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis*, methodum inveniendi Periodi *Julianae* annum, cui tres propoſiti Cycli congruant, paſſim exhibent Chronologi, uti Petavius Rat. Temp. Par. II. T. II. lib. 1. cap. 8. Breviori tamen id via fiet, ſi propoſitus Cyclus *Solis* multiplicet numerum 4845, *Lunae* multiplicet 4200, *Indictionis* multiplicet 6916: productorum enim ſumma diviſa per 7980, ideſt per integram Periodum *Julianam*, quod ex diviſione ſupererit annum indicabit Periodi *Julianae*, cui tres propoſiti Cycli reſpondeant. Sic v. g. Cyclus *Solis* 10. multiplicatus per 4845. producet 48450; Cyclus *Lunae* 2. multiplicatus per 4200. producet 8400; Cyclus *Indictionis* 4. multiplicatus per 6916. producet 27664; horum productorum ſumma eſt 84514; quae per 7980. diviſa, (novies ideſt), relinquet

4714:

4714: cum quo Periodi *Julianae* anno concurrit annus 1. Aerae *Chriſtianae* notatus Cyclo *Solis* 10, *Lunae* 2, *Indictionis* 4. Poſtremo ad *Julianam* Periodum accommodari etiam facile poſſe Epochas ceteras qua Profanas, qua Sacras oſtendunt paſſim Chronologi, uti Petavius loc. cit. cap. 9. ſqq. edit. Ven. p. 29. ſqq.

XVI. Haec in Periodi *Julianae*, qua carere nolo, laudem, quae proferrem utique, habebam. Atqui Periodi iſtiuſmodi contextus, ut innui, quandoquidem totus, velut a puncto rato, fixoque, a certo ſuppoſito Aerae *Chriſtianae* anno dependeat, indeque filum veluti exordiatur, quo progrediendo, aut retrogradiendo annos ſupputare demum poſſit; idque omne proinde ab Aera *Dionyſiana* praeſtari aeque, commodeque quum poſſit annos tam ante, quam poſt Chriſti D. natalem putando, inde Periodi *Julianae* patet inutilitas, veluti ſcite advertit cum Pridaeus Hiſt. Jud. in Praefat. T. I. edit. Ven. p. VIII. ſq., tum P. Melito Perpinianenſis noſter Diſſert. IV. de Periodis cap. 4. p. 24. Et certe una ex Chronologiae Regulis a Saliano rite ſtatutis Artis Chronolog. cap. 9. in Append. Oper. Menochii T. II. p. 380. ſq. eſt, ut ſuperfluus in Temporibus dimetiendis vitetur labor; fruſtra namque magno & temporis, & laboris diſpendio, longoque circuitu aliquo pervenire ſtudeas, quo multo citius poſſis, faciliuſque pertingere. Quare quod a Periodo *Juliana* non abſque deductione, & reductione fit, id totum ullo abſque gravioris operae diſpendio, ſola additione, & detractione a Periodo qua *Mundana*, qua *Chriſtiana*, cujus abſque fulcimento alioqui neque *Juliana* ſubſiſtere quiret, praeſtari ſiquidem queat, quin verius, quin utilius, quare ex duabus his alterutra *Mundana*, aut *Chriſtiana*, a qua tam facilis ad anteriora tempora eſt aſcenſus, quam etiam facilis ad poſteriora deſcenſus, ſatis haberi ſuperque debet. Sed & hoc habet prae *Juliana* boni Periodus qua *Mundana*, qua *Chriſtiana*, quod ex S. Scriptura proxime ad veritatem primus qua *Orbis conditi*, qua *Chriſti Nati* ſtatui annus poteſt, indeque aſcendendo, aut deſcendendo anni definiri ceteri queunt; quod fieri *Julianae* Periodi ope nequit, qua neque *Julianus* annus ipſe, niſi diligenti trium diſquiſitione Cyclorum, expiſcari

cari poteſt. Quid imo, quod neque Cyclos ipſos, e quibus alioqui coaleſcit, *Solis*, ac *Lunae* Periodi *Julianae* ope adſequi poſſumus, temporis fragmentis ad Cycli finem cujuſque ſuperabundantibus, quibus *Sol*, & *Luna* ad idem punctum, abſoluta Periodo, regredi prohibentur? Certo namque conſtat intra annos 19. minuta ſupereſſe, quibus hora una cum dimidia conficiatur, ideoque intra Cyclos 16. *Lunares*, ſive intra annos 304. diem 1. fere, ac ita deinceps abundare. Cui vitio recte remedium aliud adferri nequit, quam quoſque poſt annos 304. Periodo huicce dies 1. inſeratur, quo inſanabiliter ab vero deficit in *Lunae* Cyclo reperiendo. Mitto levioris momenti alia, quae lato contra Scaligerum calamo Vir doctiſs. cap. 10. ſqq. p. 380. ſqq. perſequitur. Atqui graviori prae aliis duplici, eoque contrario laborare defectu Periodus *Juliana* deprehenſa eſt cum a Joh. Bapt. Ricciolio in Chronolog. Reform., tum a Joh. Ludovico Ambianenſi noſtro in Atlante Temporum, tum quod citius, tum quod tardius exordium ducat. Citius, inquam, cui enim, quaeſo, uſui fictitium eſſe poteſt totum illud annorum 710. tempus ante Mundi exordium a Periodo *Juliana* praeſuppoſitum? Tardius e converſo, a Mundi exordio ad Chriſti D. natalem diem annos dumtaxat 4713. dinumerans: qua ratione omnibus Chronologorum opinionibus de Mundi Creatione ante *Chriſtianam* Aeram facere nequit ſatis, eorumque in uſum transferri nequit. Ut enim Artic. ſqq. de Aeris palam fiet, non una fuit Chronologorum opinio de Mundo condito ante Chriſtum annos ante 4714. nedum, ſed etiam ante 5424, quot nempe ex anno *Chriſtianae* Aerae 4714. adfixo, & ex anno 710. ante Orbis Creationem ſuppoſito conficerentur. Et certe, ut id unum innuam, intra Periodi *Julianae* limites Mundanas Aeras neque *Antiochenam*, neque *Alexandrinam*, neque *Conſtantinopolitanam*, toto alioquin Orbe celebres, comprehendi poſſe ex ſupradictis §. VII. ſqq. abunde patet, multoque minus poſſe comprehendi Theophili Antiocheni de Mundo condito anno 5515, Euſtathii Antioch. de M. C. 5531, Flavii Joſephi de M. C. 5555, Faſtorum Siculor. de M. C. 5580, Clementis Alex. de M. C. 5608, Interpretum LXX. de M. C. 5634, Lactantii, & Philaſtrii,

ſtrii de M. C. 5800, Heſychii Homil. in Chriſti natalem inter Selecta Chron. Orient. edit. Ven. p. 340. de Mundo condito anno 5967, S. Cypriani, & Suidae in Φαλέγ de M.C. 6000, Juliani Toletani de M.C. 6011, Onuphrii Panvinii de M.C. 6310, aliorumque opiniones alias ſeqq. Artic. de Aeris palam fiet. Quamobrem ſicut a Ricciolio *Scaligerianae* Periodum ex *Victorina* per *Aureum Numerum* 19. multiplicata contextam annorum 10108, *Solis Auream* dictam, fuiſſe ſubrogatam paullo ſuperius ad calcem Articuli III. §. I. p. 201. ſq. in fine dictum eſt, ſic a Joh. Ludovico Ambianenſi *Scaligerianae* loco anno 1683. Periodus ex Cyclis *Solis* 28, *Lunae* 19, & *Epactarum* 30, *Indictionis* 15. in vicem ſuffectarum, inter ſe ductis conflata, ac *Ludoviciana* ita de *Ludovici* XIV. cognomento *Magni* Galliarum Regis nomine nuncupata, annorum 15960. ſubrogata fuit. In Periodo iſta porro Aera *Chriſtiana* vulgaris cum anno *Ludoviciano* 7373. concurrit, ideoque Periodus *Juliana* annis 2659. a *Ludoviciana* iſta exceditur, in iſtaque Syſtemata omnia, ſive annorum Orbis conditi ſupputationes omnes includuntur: in nulla ſiquidem hypotheſi annorum plus 7000. ſumma a Mundi principio ſupputetur. Quae peculiaris *Ludovicianae* Periodi laus eſt, qua profecto caret *Juliana*; cujus imo propria laudis parte altera neque *Ludoviciana* defraudatur, in qua utpote pari, qua in *Juliana* Periodo, facilitate temporum rationes teneri, reperirique poſſunt; additionis, aut detractionis ope. Sic v.g. ſi res aliqua geſta Periodi *Ludovicianae* anno 7704, conſignata legatur, puta *Alexandri* M. pugna, & victoria ad Arbellam, & Perſici, *Dario Codomanno* devicto, Imperii occaſus, inde detractis annis 7373, qui Aerae *Chriſtianae* anno 1. correſpondent, reliqui anni 331. ante *Chriſtianam* Aeram indicabunt victoriam illam ad Arbellam in annum Periodi *Ludovicianae* 7704. incidiſſe. Annis viciſſim Aerae *Chriſtianae* 331. adjecti anni 7373, quot ideſt ante *Chriſtianam* Aeram effluxere, annum efficient, 7704, quo ad Arbellam devictus ab *Alexandro Darius* eſt, ac Perſico finis imperio poſitus fuit. Hanc ob rem viden, ut ſupra *Scaligerianam* laudibus efferatur Periodus iſthaec *Ludoviciana* a D. Gilberto Carolo le Gendre in Tract. de Opinione

Gallice elucubrato T.I. edit. Ven. lib.1. cap.7. de Chronologia §.5. p.89.ſq.! Quamquam neque diſſimulandum inſigni defectu iſto laborare Periodum hanc, quod pure ideali *Epactarum* Cyclo utatur, qui videlicet progredi unitatis additione ſupponitur: quum Annuas caeteroquin *Epactas*, neque unitatis additione, neque ſemper undecim additis procedere ſuper. Volum. III. Proleg. IV. Art. III. §.111. ſqq. p.43. ſqq. liquido demonſtratum eſt.

XVII. Ex Hebraeo, aut ex Graeco verius de Mundi Creatione computo anſam facile arripuiſſe Gentis ſuae antiquitatem quam vaniſſime, tam inſolentiſſime jactandi, immaneſque annorm computos a Mundi prima origine, Gentiſque propagatione ad ſuam uſque aetatem contingendi tum apud Chaldaeos, tum apud Aegyptios, tum apud Phoenices nugaciſſimorum trigam hominum Beroſum Coum, Manethonem Sebennytam, & Sanchoniatonem Berytium, qui ſuſpicetur, fidei ſequeſtres habebit prae aliis hoc in ſtudii genere diligenter verſatos Huetium Demonſt. Evang. Prop.IV. T.I. cap.2.ſq. edit. Ven. p.51. ſqq., Stillingfletum Orig. Sacr. lib.1. cap.11. §.8, Witſium Aegyptiacorum lib.3. cap.1, Hottingerum Diſſert.1. de Tempore Meſſiae ex Moyſe, & Prophetis ſect.1. §.5. ſqq. p.6.ſqq.&c. Inde, ex Hebraeo videlicet, Gen.1, anſam vetus apud Hetruſcos Scriptor arripuiſſe videtur comminiſcendi a Deo in Mundi Opificio annos 6000, (diebus 6. in totidem Chiliades mutatis), impenſos fuiſſe, totidemque annos 6000. uſque ad Mundi conſummationem interfluxuros fore, adeo ut *Mundana* Periodus annis 12000. abſolvenda ſit: qua de recolenda, quae Volum.III. Art.XII. de Menſ., & Annis Veter. Hetruſcorum &c. §.VII. p.461.ſq. dicta ſunt. Inde quoque, ex Hebraeorum ideſt Pſeudepigraphis, fictitia emanaſſe videtur apud Sabaeos tam Periodus annorum 9000, qua elapſa finiturum Orbem putabant, quam Periodus annorum 36426, qua expleta reſtaurandum fore Mundum perſuaſum habebant: qua de utraque dicere Volum.I. Proleg.II. de Menſ., & Annis Populorum &c. §.XIII. p.324.ſq. me memini. Inde pariter, e Chaldaeis videlicet, aut Aegyptiis fabulas hauſiſſe ſuas, ex conficto praeſertim Deorum, ac Semideorum ante homines, & ad plures

plures annorum myriades producto imperio figmentum de Mundi Creatione, & duratione jactatum apud Indos derivaſſe inſignes apud hos impoſtores Brachmannes augurari fas eſt. Quatuor nempe in Aetates diviſae Mundi a Creatione durationi immanes unicuique annorum Periodos adfigere ineptiſſimi delectantur homines, ita ut Aetas 1.ª *Cruda-Jugam* dicta, velut *Aurea*, complexa ſit annos 1728000, ſuaeque *Brachmanum* ſtirpi ortum dederit; 2.ª *Treda-Jugam*, velut *Argentea*, computaverit annos 1296000, in eaque *Rayadum*, ſive *Khatrydum* ſtirps altera illuſtris, ſed priori *Brachmanidum* inferior in lucem emerſerit; 3.ª *Devapara-Jugam*, videlicet *Aerea*, conſtiterit annis 8064000, qua homines a priſtino degenerare nobilitatis, virtutiſque gradu ceperint; 4.ª *Cali-Jugam*, videlicet *Ferrea*, annos emenſa jam ſit 4027275, & ad annos 430000. protendi adhuc debeat. Hinc Mundi annos diſpeſcendi in Periodos 18. *Ugams* dictas, *Minores* alias, alias Majores, atque *Maximas* alias, quae ſimul omnes annorum 5472046400. immanem conficiant ſummam, apud Indos Malabaros inductum morem invaluiſſe, & ad hanc uſque diem obtinuiſſe Volum. II. Art. II. de Menſ., & An. Indorum &c. §. VIII. ſqq. p. 374. ſqq. abunde, prout operae ferebat pretium, obſervatum eſt. Quo perinde loci Art. III. §. III. p. 413. ſq. operoſe praeoccupavimus, quae de Periodis 12. Sinenſibus olim adhibitis, *Hoei* denominatis, quarum *Minor* quaelibet conſtabat annis 10800. non minus, omnes vero ſimul annos 129000. omnino colligebant, quae Periodus *Maxima*, Sinice *Juené* nuncupari ſolebat, diſputanda nunc forent, eo loci, ſi placet, recolenda, ut proinde nobis prolixum heic fecerimus otium. Non praetereundum tamen, quin de Periodo *Van*, ſive *Ven* hodie dum uſu Mogulis, Catajenſibus, atque Sinenſibus frequentata, lucis amplioris gratia, aliqua repetamus. *Van*, ſive *Ven* enim vero nomine numerus annorum decem mille deſignatur, quot Periodus iſta conflatur, quae ex Periodis aliis Minoribus coaleſcit, nempe ex tribus Periodis annorum 60, quarum 1.ª dicitur *Schabnek-Van*, 2.ª *Jounek-Van*, 3.ª *Ca-Van*, quae ſimul tres annos 180. conficiunt: quibus expletis, iterum Periodus 1.ª, 2.ª, & 3.ª initium ducit, ac ita tertio, quarto &c., do-

nec Periodus *Van* Major abſoluta fuerit, indeque novae fiat exordium. Juxta Mogulorum porro, atque Catajenſium computum apud Herbelotum Bibl. Orient. p.908. *Hegirae* annus 847, qui fuit Aerae Chriſtianae 1443. a die 1. Maji incipiens, cum anno Periodi *Van* 8863. concurrit: quo fit, ut in Catajenſium, Mogulenſium, atque Sinenſium opinione, a Creatione Mundi uſque ad Chriſti D. annum 1443, ſeu *Hegirae* 847. anni interfluxerint 88639860. A Syris denique qua Jacobitis, qua Neſtorianis longe lateque per Indiam, Sinaſque diffuſis una cum Urbium, quas incolunt, Epochis veterem adhuc Graecorum retineri, adhiberique Periodum, Aeramque ſeqq.Artic. de Epochis fuſius exponetur. De Periodo denique *Maxima* apud Aegyptios, annorum 36525. exCyclo *Lunari* 25. multiplicato conflata abunde, prout operae ferebat pretium, dictum eſt cit.Volum.II. Art.I. §.111. p.230.ſqq.

XVIII. Paſchali Feſto ſuo legitime tempore Latina praeſertim ab Eccleſia peragendo, indicendoque quanto, & quam impenſo, & quot a Chronologis, Aſtronomiſque ſtudio, & conatu Periodis, Cycliſque elaborandis deſudatum fuerit, ignorat nemo, qui hiſce in rebus hoſpes omnino non ſit, etſi nedum aere lavatus. Viros jam vero inter alios, quorum hac in re praecipuorum ſuis obiter ingeſta locis mentio fuit, rei Chronologicae, Aſtronomicaeque callentiſſimos operam in hanc ipſam rem impendit quoque ſuam Joh. Dominicus Caſſinus, excogitata Periodo de *Ludovici* pariter Francorum Regis nomine *Ludoviciana* denominata, annorum 11600, qua Menſes *Lunares* 143472, (quorum ſingulos conſtare ſupponit diebus 29. horis 12. min. 44.′ 3.″ 5.‴ 28.⁗ 48.′′′′′ 20.′′′′′′), dieſque 4236813, quaque demum evoluta fieri tandem exiſtimavit, ut *Feriae* in eamdem diem, & *Novilunia* in eumdem orbem redirent, ideoque *Paſcha* ſuo legitime peragendum tempore poſt *Lunam* 14. indiceretur: videndus ipſemet Vir doctiſſ., qui multis Periodum hanc exornare, illuſtrareque ſatagit in Explic. Calend. p.420.ſqq., ac in Regulis Aſtron.Indicae Monum. Acad.Scient. Pariſ.T.VIII.p.294.ſqq. Verum a Jacobo Bettazzio Oper.Paſch. cap.28, Epitome p.117, 130. ſqq., & 152. oſtenſum eſt Caſſini Cyclum eodem, quo *Gregoriano-Lyliana* Epacta peccat, interdum

dum errore peccare, interdumque *Gregoriano-Lyliana* Epactarum aequatione peccare errore graviore, ideſt in *Paſchatis* indictione quoad *Menſem* ab anno 1700. uſque ad annum 2900. excluſive peccare 4. Seculis, nempe annis 1800, 2200, 2500, & 2600; uſque ad annum 5000. peccare 14. Seculis; uſque ad annum 12000. peccare 45. Seculis; uſque ad annum 26000. peccare 118. Seculis. Cyclum praeterea Caſſini peccare in indictione *Paſchatis* quoad *Hebdomadam* idem Vir doctiſſ. oſtendere pergit; in eoque Cyclo *Lunam* 14. Cyclarem paſſim concurrere cum *Luna* Caeleſti 12, vel 11, ideoque paſſim ante medium *Plenilunium* indici *Paſcha*, quando Dominica nempe dies cum Cyclari *Luna* 15. concurreret: quo nihil abſurdius, praxique Eccleſiaſticae repugnantius. Quo loci obiter pro dicendorum intelligentia obſervandum duplici erroris ſpecie peccare Cyclum aliquem, quoad *Menſem* videlicet, & quoad *Hebdomadam*. Errat *Menſe* Cyclus, quum *Lunam* 14. indicat intra terminos *Paſchales*, ideſt intra diem 21. Martii, & diem 18. Aprilis, quae *Luna* 14. caeteroquin juxta calculos Aſtronomicos extra *Paſchales* terminos incidere deprehenditur; viceque verſa quum *Lunam* 14. extra terminos *Paſchales* exhibet, quae tamen revera intra *Paſchales* terminos concluditur. Quo caſu *Paſcha* a Cyclo indicitur eo *Menſe*, qui juxta Caeleſtes rationes non eſt primus, ſed ſecundus, ſive duodecimus, poſtremuſque anni, quem claudit. Errat vero Cyclus *Hebdomada*, quum *Luna* 14. a Cyclo indicata *Paſchales* intra terminos incidit in diem Dominicam, ſive poſt Dominicam diem, quae alioqui *Luna* 14. juxta calculos Aſtronomicos die ante Dominicam, puta Sabbatho praecedenti, contigiſſe dignoſcitur. Quo caſu juxta Cyclum *Paſcha* celebraretur poſteriori Dominica, quod juxta Caeleſtes motus praecedenti Dominica celebrari debuiſſet. Erratque viciſſim Cyclus, quum *Luna* 14. a Cyclo intra *Paſchales* terminos indicatur die Sabbathi, vel ante Sabbathum, quae tamen juxta computum Aſtronomicum in Dominicam tantum diem, vel poſt diem Dominicam incidit: quo caſu *Paſcha* Dominica praecedente celebraretur, quod tamen Dominica poſt ſequente celebrandum foret. Quamobrem Vir eximius, ut duplici huicce

gra-

gravique errori meliori, qua fieri ratione poſſet, obviam iret, intento *Gregoriani* Kalendarii emendationi nervo totus incumbens, diutinoque exantlato ſtudio, novae Periodi ab ſe excogitatae, viceque plus ſimplici ad incudem revocatae ope rem tam grandem, utilemque demum in tuto ſe collocaſſe perſuaſum habuit., ſibique quodammodo plauſit. Qua de antequam verba faciam, animadvertenda, quae graviſſimae pro rei captu praenotanda ipſe duxit, quaedam breviori, quoad ejus fieri poterit, ſermonis compendio propono.

XIX. Jacobus Bettazzius itaque Oper. Paſchal. Cap. de Anno Solari n. 120, Epitome p. 6. ſqq., ſaepiuſque in decurſu, fineque Operis, principio contra Calviſium, & Leveram poſt annum 2719. *Aequinoctium* Vernum anteceſſurum fore diem 21. Martii exiſtimantes oſtendit *Aequinoctium* ante annum 5000. a die 21. Martii, cui reſtitutum eſt a *Gregorio* XIII, non receſſurum. Ad haec Vir doctiſs. in diſſert. 1. Epitome inſerta p. 18. ſqq. contra Noriſium de Paſchali Latinorum Cyclo, & Blanchinium in Solutione Problem. Paſchal. contendentes dies a media nocte quoad Paſcha indicendum, dinumerandos eſſe, a *Solis* occaſu dies fore putandos ipſe pugnat, adeo ut *Plenilunium* poſt *Solis* occaſum, & ante mediam noctem contingens diei, non antecedenti, ſed ſequenti tribuendum ſit, pugnat, inquam, argumento ducto ex S. Scriptura, roboratoque SS. Patrum traditione, videlicet Exodi XII. 18. XXIII. 15, & Levit. XXIII. 32, quibus innixi locis Patres Synodi Caeſareenſis anno 198, Theophilus Alex. in Synodica apud Clavium in Explicat. Kalend. cap. 1, S. Ambroſius in Epiſt. 83. ad Epiſcopos Aemiliae, S. Auguſtinus in Epiſt. 55. ad Januarium, S. Anaſtaſius Sinaita Anag. Contempl. lib. 1. circa fin. Bibl. PP. Pariſ. T. I. p. 160, Syneſius in Epiſt. 13, Gratianus in Can. 1. de Conſecr. diſt. 3, (cui jungendi S. Leo M. in Epiſt. 11. edit. Queſnelli, 9. edit. Balleriniorum T. I. p. 628. ſq. cap. 1. ad Dioſcorum Alex. relata Diſt. 75. Can. 5. *Quod a Patribus*, & Gregorius IX. *Extra de Feriis* Decret. lib. 2. tit. 9. cap. 1. *Omnes dies*, & Gloſſa ibid.,) S. Leo IV. in Cap. *de Eſu Carnium* Diſt. 3, V. Beda de Temp. ratione capp. 41, & 60, & de Verno Aequin. dies *Paſchales*, quin Feſtos a *Solis* occaſu incipere docent: cui do-

doctrinae conformem eſſe veterem Eccleſiae morem contendit, quo de more loqui S. Auguſtinum Serm. 219. in Vigil. Paſch., Serm. 1, Serm. 221, & Serm.3. Oper. T.V. p.670.ſq., S.Hieronymum adv. Vigilantium poſt Epiſt.36. T.IV. p.286, Paſchaſinum in Epiſt. poſt Leoninam 63, V. Bedam Hiſt. Eccl. Angl. lib.3. cap.25. credit, adeundoſque jubet hac ipſa de re Baronium ad annum 51. n. 68. ſqq., Silveſtrum V. *Dominica* n.4, Gonzaleſium Decret. lib.2. Tit.9. de *Feriis* cap.1, & cap. fin. in Not. T.II, Covaruviam Variar. Reſolut. lib.4. cap.19. n.9, & Durandum Ration. Divin. Offic. lib.6. cap. 78; quod ipſum confirmare ſatagit in Epitome p.186. ſqq. Tot tamen undequaque corraſis, congeſtiſque teſtimoniis parum profecit Bettazzius, quae eò quidem cuncta tendunt, ut a primis *Veſperis* quoad Eccleſiaſtici celebrationem Officii diem incipere ſuadeant, non etiam perſuadeant a primis quoque *Veſperis* diem quoad Feſtivam ipſam celebritatem fore putandum: ideoque ſuo probabilitatis loco ſtat integra Noriſii, & Blanchinii opinio, quo gradu ne leviter uno tanta alioqui contentione a Bettazzio impetita dimoveri ſe paſſa eſt. Et Feſtivam utique diem una cum die *Solari* a media nocte in Eccleſia receptiſſimo more computari certum eſt, & conſtans, quo a more ut Eccleſia in computandis *Epactis* recederet, quid cauſſae fuerit, oſtendere fas Bettazzio non fuit. Cujus ſi ea valeret ratio, quod *Novilunia* mediam ante Noctem ſaepe contingant, quum & ſaepe contingant ante *Solis* aut ortum, aut occaſum, pro diei *Lunaris* initio proinde mediam ſtatuere Noctem ſi Bettazzio non placuit, neque *Solis* ortus, aut occaſus ſtatuendus erat, ſed ea potius, qua Caeleſte *Novilunium* contingit, pro die prima *Novilunii* fuerat aſſumenda. Aſtronomis tamen, qui ſub *Gregorio* XIII. Kalendarii reformationi manum admovere, conſultius, ac ſatius viſum eſt dies *Epactales* non a diei *Lunaris* initio, ſed ab exitu incipere, ita ut ab *Epacta* dies *Lunae* prima indicaretur non incepta, ſed completa, atque initio quidem a media Nocte facto, ea de cauſſa, ut eadem *Paſcha* die in Eccleſia per Orbem diffuſa obſervari poſſet: qua de re infra denuo recurret ſermo. Hiſce praehabitis circa diei principium a *Solis* occaſu repetendum, quod ſua plane defrau-

dare

Digitized by Google

dare probabilitate nolo, ingenti quinimo laudi Auctori ipſi verto, quod atlethico plane conatu Kalendarii emendationi incubuerit, ſpartamque ſane poſteris feris Kalendario emendando egregie profuturam ingenti labore exornarit, (ut proinde qui Bettazzio dicam ſcribere Auctor Hiſtor. Litter. Ital. T.VII. cap.4. P.Franc. Ant. Zacharia non eſt veritus jure meritoque vapulet a F. Spiridione a Fano Epiſt. Veronae die 4. Octob. 1755. ad calcem Epiſtolarum Crit. Agenoris ad Philarcum), de Vernali *Aequinoctio* diſputationem in Append. II. p. 197. adgreſſus Bettazzius obſervat *Lyliana* aequatione anni *Tropici* ab anno 1600. ad annum 1700, ſpatio nempe Seculi, *Aequinoctium* Aſtronomicum reponi in annis 16. die 21. Martii, in annis 80. Martii die 20, & in annis 4. die 19. Martii. Juxta opinionem vero ſuam, qua diei *Lunaris*, quoad *Paſchatis* celebrationem, initium a *Solis* occaſu petendum ſtatuit, juxtaque quam anni *Tropici* ideo aequationem inſtituendam abſque dubio exiſtimat, *Aequinoctium* incidet annis 80. in diem 21. Martii, annis 4. in diem 20, & annis 16. in diem 22. Errorem at enim illum diei 1. in *Lyliana* aequatione ea facili evitari ratione potuiſſe advertit, ſi dies 10. non dumtaxat, ſed ſed dies 11. ab anno 1582. dempti fuiſſent, & annus 1600. fuiſſet Communis factus: ita enim *Aequinoctium* diei 21. Martii adfixum in annis 80. in diem 20. Martii reincidere nequiviſſet. Verum quia anno 1700. praetermiſſa intercalatio fuit, proinde errorem illum fuiſse ablatum, atque *Aequinoctium* diei 21. Martii reſtitutum fatetur. Quo diu loci, hoc eſt die 21. Martii, ut *Aequinoctium* maneat, vult idem Bettazzius, ut intra annos 5000. intercalatio omittatur nedum annis 1800, & 1900, uti *Gregoriana* fert emendatio, ſed etiam anno 2000; *Biſſextiles* vero fiant anni 2100, ac reliqui ſequentes de annis 400. in 400, nempe 2500, 2900, 3300, 3700, 4100, 4500, 4900, ac ſic deinceps; *Communes* viciſſim ſint centeſimi intermedii, videlicet 1800, 1900, 2000, 2200, 2300, 2400, 2600, 2700, 2800, ac ſic deinceps de ceteris. Aſt enim Cl. Euſtachio Manfredo in Cenſura Paſchalis hujus Operis ad Epitomes calcem adjecta p. 237. ſq. recte *Gregoriana* aequatio retinenda viſa eſt quoad *Aequinoctia*, juxta quam intercalatio-

nis

nis Centeſimorum quatuor ope *Aequinoctia* Verna die 21. Martii retineri non dubitat, etſi interdum eadem ad diem 20. Martii retrocedere contingat; recteque diei 21. Martii, dierum 10. detractione, *Aequinoctium* fuiſſe reſtitutum adfirmat, neque inde annorum 400. ſpatio facile receſſurum. Quin etiam *Gregorio* XIII, ac deinde *Clementi* VIII. ſatius viſum fuerat, ut *Solaris* Anni aequatio fieret annis tantum Centeſimis, ac recte quidem, ut tutius in re tanti momenti, & quanti opus erat, procederetur, ut admonet, probatque Clavius cap. 5. n. 16. ſq.

XX. Juxta haec itaque ſic de *Lunari* die a *Solis* occaſu incipiendo, deque *Aequinoctio* Verno diei 21. Martii redintegrato, Operis Paſch. n.236., Epit. p.109. contra Noriſium in diſſert. ad Faſtos Conſul., & in diſſert. de Paſch. Latin. Cyclo pergit idem Bettazzius oſtendere *Solis* ingreſſum in *Arietem* diei 18. Martii Romana ab Eccleſia nunquam adfixum fuiſſe, uti cenſuit Noriſius, eademque in Eccleſia *Paſcha* celebrari ſemper conſueviſſe a *Luna* Cyclari 15. incluſive, die ideſt Dominico incipiente ab occaſu *Solis* diei Sabbathi uſque ad *Solis* ortum Dominicae ipſius diei, quo medium *Plenilunium* contigerit, a Cyclari 15, inquam, *Luna* incluſive uſque ad Cyclarem 21. incluſive, non 22, ut vult Noriſius. Itaque pro fundamento Cycli, cujus ope dies *Paſchales* deſignandos impoſterum ſuſcipit, illud ponit, ſtabilireque nititur, quod dies *Lunae* 14. Aſtronomice accepta, non *Novilunio*, ſed *Plenilunio* medio definiri omnino debeat, adeo ut proinde, ſi medium *Plenilunium* die 21. Martii poſt *Solis* occaſum contingat, illud *Paſchale* habeatur, etiamſi Civile *Aequinoctium* necdum contigiſſet, ea lege, cautioneque adhibita, ut ſi *Plenilunium* medium intra *Paſchales* terminos, ideſt intra dies 21. Martii, & 19. Aprilis haud contingeret, tum pro *Paſchali* habendum ſit *Plenilunium* Aprilis. Duabus hiſce regulis praeſtabilitis, ſequentes octo regulas alias erroribus circa *Paſchatis* celebrationem praecavendis tradit. 1.ª *Paſcha* in Martio haud celebrandum eſſe, quum *Plenilunium* medium ante *Solis* occaſum diei 19. Aprilis contingit. 2.ª Non in Aprili, quum medium *Plenilunium* poſt occaſum *Solis* contingit die 21. Martii. 3.ª

Non in Martio, ſed in Aprili, quum *Plenilunium* medium intra *Paſchales* terminos non contingit, hoc eſt intra *Solis* occaſum diei 21. Martii, & 19. Aprilis. 4.ª *Paſcha* non indicendum ante diem *Plenilunii* medii, ideſt ante *Lunam* 15. 5.ª Neque indicendum poſt *Lunam* 21. 6.ª Quum *Plenilunium* medium Sabbatho poſt meridiem ante *Solis* occaſum accidit; prima ſequens Dominica *Paſchalis* eſt dies. 7.ª *Paſchalis* etiam Dominica haberi dies poteſt, quum medium *Plenilunium* accidit Sabbatho poſt occaſum *Solis*, ante vero ejuſdem *Solis* ortum. 8.ª Quin etiam *Paſchalis* eſt eadem Dominica ipſa dies, in qua *Plenilunium* medium inter *Solis* ortum, ac meridiem accidit. Quod *Plenilunium* ſi accidat inter meridiem; & *Solis* occaſum Dominicae diei, tunc *Paſcha* ſequenti Dominica celebrandum eſſe concludit. Sed enim obſervat Vir doctiſſ. Euſtachius Manfredus in cit. Cenſura p. 221. certum nullum extare Canonem, quo tam pro die *Lunari* prima a *Solis* occaſu dies incipienda ſit, quam pro *Luna* decimaquinta habenda ſit dies, in quam *Plenilunium* incidat medium, ideoque conſtantes adeo non eſſe octo ab illo praeſcriptos Canones, quin integrum ſit ab illis deflectere, tutioreſque perinde Canones alios in *Paſchatis* celebratione inſtituere, amplectique fas aeque ſit. Et certe tutior is Canon a P. Melitone Perpinianenſi noſtro Differt. 12. de Novo Gregorianae Correctionis modo propoſitus aeſtimari facile poteſt, quo nempe *Noviluniorum Epactis*, quibus ideſt *Lunae* prima dies in Kalendario *Gregoriano* indicatur, *Pleniluniorum* ſubrogantur *Epactae*, quibus deinceps *Luna* decimaquinta deſignatur, adeo videlicet ut a *Noviluniorum Epacta* detractis 13, quod relinquetur *Epacta Pleniluniorum* erit: cujuſce *Noviluniorum Epactis* ſubſtituendi *Epactas Pleniluniorum* ea Viro doctiſs. viſa ratio eſt, quod *Gregorianis Epactis Luna* prima non niſi poſtridie, biduo, quandoque triduo poſt Caeleſtem indicatur: *Epactis* vero a ſe propoſitis tam Civilis, quam Caeleſtis *Luna* decimaquinta eadem ſemper oſtenditur die. Quamquam & ipſe ultro citroque fateri cogitur *Epacta Gregoriana*, quae a *Lunae* die completa ſemper incipit, etſi *Luna* 1. Caeleſtis eadem interdum die, qua Civilis, non indicetur, *Lunae* 14. diem tamen con-

ſtan-

ſtanter indicari. Collatis ideo cum *Epactis* 14. Ephemeridibus Deſplacaei Regiae Academiae Pariſ. Aſtronomi deprehendit ex 19. *Pleniluniis* Aſtronomicis Paſchalibus 13. conveniſſe cum *Lunis* quartadecimis *Epactarum*, eadem ideſt die contigiſſe, 3. una die tardius eveniſſe, quam *Epacta* 14. indicaretur, 3. una die ineunte citius, quam 14. *Epacta* deſignaretur, accidiſſe. Confer eumdem P. Melitonem Diſſert. 11. de Recta Gregor. Correct. ordinatione cap.9. p.189. ſqq., ubi argumentum hocce late perſequitur, multiſque ex Aſtronomia petitis computis illuſtrat.

XXI. Iſtiuſmodi tamen juxta a ſe inſtitutos Canones, ſtatutoſque, *Gregoriano-Lyliano-Clavianae Epactarum* aequationi id vitii ineſſe docendum, demonſtrandumque idem Bettazzius ſuſcipit, quod ex dierum expunctione ab anno *Solari*, quae in Kalendario fit, ultra ſubtractionem praeceſſionis *Lunae*, ſequitur finium *Paſchalium* deſcenſio verſus anni finem, aſcenſioque verſus anni principium, quae cum *Epactis* fieri debebat ad *Lunationem* praecedentem, ſive *Paſchalem*, juxta Nicaeni Concilii placitum. Quae aſcenſio ad *Lunationem* praecedentem, ſive *Paſchalem*, quum non aequatur per diſtantiam unius *Syzygiae* ab altera dierum 29. hor.12. min.44.' &c., efficit, ut differentia, quae inde emergit, tanto ſenſibilior fiat, quanto plures ejuſmodi fieri aſcenſiones continget. Quamobrem *Gregorianum Epactarum* Cyclum duplici peccare vitio in *Paſchatis* indictione demonſtrare pergit Oper. Paſch. n.306. ſqq., Epitome p. 100. ſqq., atque quidem ſexies quoad *Menſem*, duodecies autem quoad *Hebdomadam*. Nempe ejus ſententia error 1. eſt in *Menſe*; namque in annis 1704, 1723, 1742, 1761, 1780, & 1799, in quibus *Paſcha* celebrari non debere die Dominico poſt diem 21. Martii, velut indicat *Epacta* XXIII. in Kalendario *Gregoriano* adfixa diei 8. Martii, ſed celebrandum oſtendit die Dominico poſt diem 8. Aprilis, ideoque adhibendam *Epactam* XXIV. in Kalendario *Gregoriano* adſcriptam diei 5. Aprilis: in illis enim annis dies praecedens medium *Plenilunium* Martii non eſt dies 21. Martii *Aequinoctio* praefixa, ſed eſt dies 20, aut 19. Martii, *Aequinoctium* ipſum praecedens. Error 2. eſt in *Hebdomada*; nam-

que in annis 1700, 1707, 1720, 1724, 1727, 1734, 1744, 1747, 1754, 1774, 1778, & 1798, in quibus oſtendit adhibendam fuiſſe *Epactam* unitate majorem ea, quae adhibetur in Kalendario *Gregoriano*, ac ita una *Hebdomada* citius *Paſcha* celebrandum fuiſſe, quam *Gregoriana* deſignetur *Epacta*. V. g. in Anno 1700. adhibenda fuiſſet, non *Epacta* IX, velut in *Gregoriano* exhibetur Kalendario, qua ideo pro die *Paſchatis* indicatur Aprilis dies 11; ſed *Epacta* X, qua deſignatur *Luna* 14. Martii die 3. Aprilis, ideoque *Paſcha* die 4. Aprilis peragendum fuiſſet. Sic in Anno 1754. adſumenda fuiſſet *Epacta* VII, quae ſignat *Lunam* 14. Martii die 6. Aprilis, ideoque *Paſcha* die 7. Aprilis celebrandum; non vero *Epacta* VI, qua *Paſcha* translatum ad diem 14. Aprilis fuit. *Lylianam* perinde aequationem quoad *Menſem* in *Paſchatis* indictione peccare oſtendere p. 130. ſq. pergit ab anno 1700. ideſt uſque ad annum 2900. in tribus Seculis, ſive Centeſimis 1800, 2200, & 2500; uſque ad annum 5000. in Seculis 15. *Clavianam* quoque aequationem quoad *Menſem* peccare ab anno 1700. uſque ad annum 2900. in 2. Centeſimis, ſive Seculis, 1700, & 2300; uſque ad annum 5000. peccare in Seculis 5; uſque ad annum 12000. peccare in 21. Seculis; uſque ad annum 26000. peccare in Seculis 121. Erroris caput eſt, quod a Clavio Kalendarii Epocha anno 550. adfixa fuerit, quae fuerat anno 500. adfigenda, ac Seculo 1700. *Epacta* IX. a Clavio tributa fuerit, quae eſſe X. debuit; Seculo 2000. *Epacta* XXIV, quum tribuenda fuiſſet XXV; Seculo 2300. *Epacta* VIII, quae deberet eſſe IX; Seculo 2600. *Epacta* XXII, quae alioqui tribuenda foret XXIII; nempe *Epactae* unitate depreſſae *Lunam* 14. dumtaxat indicant, quae reapſe 15. eſt: quo propterea fit, ut Seculorum 6. ſpatio ab anno 1700. uſque ad annum 4700. *Paſcha* a *Luna* 16. ad 22. celebrandum haud recte indicetur; reliquo vero Seculorum 24. intervallo a die ipſo *Plenilunii* Verni 15. ad 21. rite *Paſcha* indictum ſit. Verumtamen *Gregoriani* Cycli peccata, non in Kalendarium ipſum *Gregorianum* affabre confectum, ſed in Methodum ipſam *Epactarum* refundi debere ſubjungit n. 214, quatenus Centeſimorum *Epactarum* aequatio rite peracta non eſt, neque uniformis, regulariſque *Epacta*-

rum

rum progreſſus hactenus in Periodo Cyclari 19. obſervatus cum Orbium Caeleſtium rationibus perfecte congruit, in qua proinde Methodo futurum oſtendit n. 456, Epit. p. 119, ut tractu demum longiſſimi tametſi temporis in diem *Novilunii* incidat *Plenilunium* medium *Paſchale*; & e contra, veluti contingeret anno 245300, in quo Littera F. ſub *Aureo Numero* 11. exhiberet *Epactam* XXIII. die 8. Martii in Kalendario adfixam, contingente *Plenilunio* medio illius anni die 7. Martii, hora 22, min. 19.' 14." poſt meridiem, quo nihil abſurdius. Vidiſſe id Clavium advertit, *Gregorianam* videlicet *Epactarum* aequationem temporis progreſſu a recto fore valde declinaturam, quam ideo cap. 12. reſtaurandam anno 8200. ipſe docuit. Hancce tamen Clavii reſtaurationem gemino laborare adhuc morbo notat; primo quod ab anno 8200. uſque ad annum 9500. in *Paſchatis* indictione gravius peccet in Seculis 7. quoad *Menſem*, quam *Gregoriana*, quae in Seculis 3. dumtaxat peccat; ſed & ab anno 8200. uſque ad annum 12000. peccat in 26. Seculis, uſque ad annum 26000. in Seculis 60. peccat, in omnibus ſimul 92. Seculis. Eamdem *Clavianam Epactarum* aequationem eo ſecundo laborare vitio oſtendit, quod ab anno 245300, ac deinceps in nullo fere Seculo in reali *Paſchatis* indictione recte procedit quoad *Menſem*, atque *Lunam* 14. *Paſchalem* indicat poſt *Plenilunium*, quin imo ſaepe biduo poſt *Plenilunium*, ſive *Lunam* 15. Eo enim anno 245300; cui *Claviana* in aequatione reſpondet annus 1700. Centeſimus, Littera g minuſcula ſignatus, quo ſub *Aureo Numero* XI. indicatur *Epacta* V, *Paſchalis* vero *Luna* 14. die 8. Aprilis deſignatur, eo, inquam, anno *Plenilunium* medium Aprilis die 6. hor. 11. min. 3.' 17." poſt meridiem futurum eſt. Sic & in anno Centeſimo ſequenti 245400. in *Claviana* Emendatione littera f minuſcula ſub *Aureo Numero* XVI. oſtenditur *Epacta* XXIX, qua in eodem Kalendario indicatur *Luna* 14. *Paſchalis* die 14. Aprilis: quum tamen *Plenilunium* medium eo anno adventurum eſt Aprilis die 11. hor. 19. min. 16.' 47." poſt meridiem. Quae quum ita ſe habeant, egregiae pretium ſe facturum operae putavit, ſi Periodum *Lyliana*, & *Claviana* perfectiorem inveniret, novamque *Epactarum* inſtauraret aequationem, qua-

quarum ope *Paſchale* feſtum ſuo legitime futuro peragendum tempore oſtenderet.

XXII. Cyclum itaque ab ſe excogitatum, inſtructumque exhibet Oper. Paſch. cap.26. n.456, Epitome p.121. ſqq. ab anno *Gregoriano* 1700. incipientem, ex annis 247600. confectum. Qua de abnormi annorum ſumma in Cyclum contexta mirandum non eſſe initio monet: *Gregoriana* ſiquidem *Epactarum* aequatio, antequam a Clavio reſtauraretur cap.12, Periodum annorum 300000. non minorem conſtitueret. Suo jam vero Cyclo abſoluto, tum demum *Epactas* ad unam omnes annorum Centeſimorum in orbem reſtitui contendit Bettazzius, ac ſic oſtendere nititur. In *Gregorianis* etenim annis 247600. oſtendit dies eſſe 90434043, *Syzygias* etiam 3062385, abundantibus dumtaxat ex dierum numero minutis 15.′ 22.″ 19.‴ in tanta dierum ſumma haud curandis. Sed enim Cyclum ſubinde hunc in Cyclos ſex minores alios diſpertire, tum lucis ei adferendae uberioris gratia, tum ut inde adinventi ab ſe Cycli eluceſcat magis elegantia, ſtuduit, quorum primus *Maximus* ipſi dictus ex annis *Gregorianis* 81200. coaleſcit, qui dies 29657691. complectuntur, *Syzygias* vero 1004304, ad earumdem complementum horis 23. minutis 57.′ 36.″ 59.‴ 12.⁗ dumtaxat deficientibus: quo Cyclo evoluto, *Epactas* omnes Centeſimorum annorum in orbem reſumendas, unitate tamen depreſſas; ac ſi fieri depreſſio nequeat, tum pro *Epacta* * *Aſteriſcum* eſſe aſſumendum, docet. Cyclus ſecundus *Magnus* eidem nuncupatus annis *Gregorianis* 20300. conſtat incipientibus a Centeſimo 1. 2. 3. poſt Centeſimum *Biſſextilem*: quo Cyclo dies 7414423. comprehenduntur, atque *Syzygiae* 251076, abundantibus dumtaxat ex dierum numero horis 0. minutis 0.′ 35.″ 45.‴ 12.⁗ Iſtiuſmodi Cycli itaque beneficio *Novilunia*, & *Plenilunia* ſuis reſtitui locis, *Epactas* Centeſimorum etiam in orbem reſumi eaſdem concludit. Ea conditione tamen adjecta, quod ſi Cyclus iſte ab anno Centeſimo *Biſſextili* inchoetur, quia tunc dierum numerum includit unitate minorem, unde fit, ut *Novilunia*, & *Plenilunia* verſus Menſis finem una die prolabantur, ideo Cyclo perfecto *Epactas* unitate depreſſas reſumi debere admonet. Huic interea Cyclo

20300.

20300. rectius conſtituendo adhiberi vult Cyclum alium *Minorem* annorum 10400, quem ipſe *Secundum* adpellat Epitom. p. 136. ſqq., quo videlicet Cyclo abſoluto, eaſdem reſumendas eſſe docet annorum Centeſimorum *Epactas*, duabus tamen unitatibus elevandas; quouſque Cyclus *Major* 20300. completus fuerit, ſubtracto ſemper ab *Epactis Triginta* numero, quandocumque occurrit. Tertius Cyclus *Minor* ipſi denominatus, annis conflatur 11600; eſtque *Caſſinianus* ipſe met; quo dies 4236813. colliguntur, *Syzygiae* vero 143472, quibus tamen *Syzygiis* complendis horae 3. minuta 25.′ 12.″ 25.‴ 36.⁗ deficiunt: (quem defectum tamen Cyclo *Magno* 20300. corrigi docet:) ejuſque Cycli ope *Paſcha* quoad Menſes recte deinceps indici adfirmat. Cyclus quartus *Parvus* ei dictus ex annis *Gregorianis* 4000. conſurgit, qui dies 1460970. conficiunt, atque *Syzygias* 49473, tribus abundantibus diebus, hor. 0. minutis 8.′ 13.″ 17.‴ 6.⁗ Quo demum Cyclo elapſo, *Epactas* Centeſimorum omnes, tribus tamen unitatibus elevandas, in orbem redire demonſtrat. Quintus Cyclus *Minimus* annis conſtat 1700, dieſque complectitur 620912, *Syzygias* vero 21026, abundantibus diebus 1. horis 18. min. 22.′ 35.″ 43.‴ 32.⁗; ideoque Cyclo completo, *Epactas* Centeſimorum omnes, duabus unitatibus adauctas, reſumi debere cenſet. Cyclus ſextus *Minimus* etiam dictus tot ex Centeſimis contexitur, quot ſolidis diebus integra una *Luna Cava* conſtat, ideſt annis 2900, qui dies computant 1059203, atque *Syzygias* 35868, deficientibus horis 6. minutis 51.′ 20.″ 35.‴ 24.⁗; ideoque in Cycli iſtiuſmodi reſolutione Centeſimorum *Epactas* reſumendas ait, modo Cyclus a Centeſimo tertio poſt *Biſſextilem* incipiat, licet abundent horae 17. minuta 8.′ 39.″ 24.‴ 36.⁗ Itaque Cyclis iſtis ſex ita conſtitutis, ut ex primo dependeat ſecundus, ex iſto tertius, quartus ex tertio, ex quarto quintus, & ex iſto ſextus, fieri tandem putat Bettazzius, ut *Epactarum* ope ſic aequatarum ſuo legitime ſemper tempore *Paſchale* Feſtum indicendum deinceps ſit. Fateri tamen cogitur tandem Cyclum iſtum ab ſe inſtructum multoquidem minus, rariuſque peccare, quam *Gregorio-Lyliano-Claviana Epactarum* peccet aequatio, quinimo nihil peccare quoad *Menſem*

ſem ab anno 1700. uſque ad annum 2900, peccare tamen quoad *Menſem* uſque ad annum 5000. in Seculis 4; uſque ad 12000. in Seculis 15; uſque ad 26000. in Seculis 42.

XXIII. Atque Cyclum hunc utique, annis 247600. contextum intelligi Bettazzius vult juxta *Syzygiae* magnitudinem a *Gregorio* XIII. ex ſententia Lylii, & Clavii dierum 29. hor. 12. min. 44.′ 3.″ 10.‴ 38.⁗ ſancitam. Quae *Syzygiae* magnitudo ſi temporis proceſſu aequo *Minor* deprehendatur, pro ſuo *Paſchate* indicendo Menſe Cyclum alterum *Minorem* annorum 74800. adhibendum proponit Oper. Paſch. cap. 29. n. 456, Epitome p. 132. ſqq. Quo videlicet Cyclo dies 27320139. colliguntur, *Syzygiae* vero 925147, abundantibus in dierum numero horis 2. minutis 22.′ 2.″ 23.‴ 34.⁗; quibus *Syzygiae* magnitudo augeretur minutis 31.⁗, fieretque dierum 29. hor. 12. min. 44.′ 3.″ 11.‴ 9.⁗; cujuſmodi *Syzygiae* magnitudo tradita fuerat a Philippo de la Hire, aliiſque, minor attamen ea, quam Vendelinus, & Lansbergius tradiderunt. Sin vero *Syzygiae* magnitudo a Lylio, & Clavio definita temporis decurſu juſto *Major* deprehenſa fuerit, alterius minoris Cycli annorum 86400. ope, ſuo *Paſcha* reſtitui Menſi poſſe oſtendere pergit. Eo namque Cyclo dies 31556952. continentur, *Syzygias* amplectentes 1068619, ex dierum numero deficientibus pro *Syzygiae* complemento hora 1. minutis 3.′ 20.″ 1.‴ 2.⁗, quibus *Syzygiae* magnitudo minutis 12.⁗ minuitur, ideoque fieret dierum 29. hor. 12. min. 44.′ 3.″ 10.‴ 26.⁗, major adhuc tamen ea, quae a Ricciolio, aliiſque definita fuerat, magnitudine. Ad haec Cyclum adhuc *Minorem* alterum exhibet annorum 41192, ex Periodis *Calippicis* 542. conflatum, cujus ope eaſdem in orbem reſtitui *Epactas* oſtendere conatur. Iſto nempe Cyclo dies 15045069. colliguntur, atque *Syzygiae* 509474, ex dierum numero abundantibus minutis 5.′ 27.″ 54.‴ 8.⁗, quibus *Syzygiae* magnitudo adaugetur minutis 2.⁗, fitque dierum 29. hor. 12. min. 44.′ 3.″. 10.‴ 40.⁗: quo Cyclo abſoluto, eaſdem omnes in orbem uſque ad annum 42900. excluſive *Epactas* reſtitui exiſtimat: ea tamen adjecta lege, ut eadem anni octavi cujuſque Seculi, ſive Centeſimi *Epacta* adhibeatur, in quolibet anno Centeſimo, ſive Seculo, qui a dato anno

anno octavo diſtet annis 41192, toto ideſt integro Cyclo iſto. Quoniam vero a Cl. Viro Euſtachio Manfredo, cujus purgatiſſimo judicio Paſchale Opus ſuum Bettazzius ſuppoſuerat, in eam abjiſſet opinionem, quod ſiquidem ab *Eclipſibus Lunae* Lunares Periodi menſurari ſoleant, error vero, qui in veteres *Eclipſium* obſervationes annorum 2400. ſpatio peractas irrepſiſſe deprehendi potuit, horae dimidium non ſuperaverit, adeo ut proinde error hic dimidiae horae in annis 2400. major fieri nequiverit, adeoque perinde ut uſque ad annum 247600, quot nempe Bettazzii Cyclus annis conſtat, in *Pleniluniis* errorem dierum 2, & horarum 4. circiter vix producere queat, opus non eſſe propterea cenſuerit errori huic emendando Periodo tam prolixa annorum 247600, ſed ſatis eſſe, ſuperque, ut *Epactarum* fiat aequatio per annos 2400, ideſt uſque ad annum 4000, aut 5000. Chriſtianae Aerae: propterea idem Bettazzius Epitome p. 140. ſqq. cogitationem induit alteram de Cyclo breviori cudendo, quo peraeque id fieri, atque Cyclo prolixiori 247600, poſſet, ac *Epactae* in orbem poſſent aeque redigi. Itaque ſuppoſito, quod annorum 2400. ſpatio error in obſervandis *Eclipſibus* fuerit minutorum 41.′, quae ideo ex ea temporis diſtantia ſubtrahenda minuta forent, tum ſufficere Cyclum *Caſſini* annorum 11600. ultro concedit: ſingulis enim annis 2400. ſubtracta minuta 41.′ efficient, ut *Caſſini* Cyclus 11600. minuatur horis 3. minutis 25.′, quae minuta Cyclo *Caſſini* deerant *Syzygiis* complendis juxta deſcriptam *Synodici* Menſis magnitudinem. Sin vero ſupponatur annorum 2400. ſpatio *Eclipſium* obſervatarum error minutorum 46. fuiſſe, quae minuta diſtantiae temporis inter obſervationes interpoſiti, per annos 2400. videlicet, addenda forent, tum Cyclum reduci poſſe ad annos 40000. putat, quo dies 14609700. comprehenduntur, atque *Syzygiae* 494731, abundantibus ex dierum numero horis 12, minutis 38.′ 9.″ 40.‴ 22.⁗, quot nempe aequando minutorum 46.′ errori, ſingulis annorum 2400. ſpatiis elapſis, opus eſt. Sin autem error ille minutorum 26.′ tantummodo ſit, addendorum ſimiliter diſtantiae temporis eo annorum 2400. intervallo interceptae, Cyclum ad ann. 51600. redigendum oſtendit, quo dies 18846513,

ac *Syzygiae* 494731. continentur, ex dierum numero abundantibus dumtaxat horis 9. minutis 12.′ 57.″ 14.‴ 46.⁗, quot videlicet errori minutorum 26.′ exaequando, ſingulis expletis annorum 2400. ſpatiis, deſiderantur, atque ſufficiunt.

XXIV. Pro rei totius compendio poſtremo, colophoneque, diverſas, brevioreſque poſtquam excogitatas Periodos Epitomes p.162. ſqq. ad examen vocaſſet, puta inter has Periodos annorum 33. 34. 35. 36. 37. 39. 40. 41. 42, quarum ope *Paſchalis Luna* 14. indicari quoque opportune poſſe quamvis oſtendere perrexerit, quia plurimos attamen in hiſce cubare adhuc errores comperiit, proinde Cyclum ſatius duxit proponere annorum 38, quem *Tertium* adpellat Epitomes p.147. ſqq., cujuſce beneficio fieri putat, ut in Cyclo *Gregoriano-Lyliano-Claviano* peccata emendentur patrata, tam ſex quoad *Menſem*, quam duodecim quoad *Hebdomadam* ſuper. §.xx1.p.251.ſq. notata; utque nullo deinceps in indictione *Paſchatis* Cyclum *Gregorianum* peccato futurum obnoxium ſit, ea dumtaxat obſervata diligenter lege: *Ut Epacta praeteriti Anni Centeſimi* 1700. *unitate elevetur, Lunae ſaltu tranſlato poſt Aureum Numerum* 3. Ideſt ut Epacta v. g. anni 1734. unitate adaugeatur, ceteris hujuſce Seculi annis decurrentibus cum *Epactarum* conſueto incremento undecim unitatum; *Saltus* vero *Lunae* hucuſque fieri ſolitus poſt *Aureum Numerum* 19, toto deinceps Seculi hujuſce ſpatio fiat poſt *Aureum Numerum* 3; ita ut qui Seculo iſto decurrente, *Gregorianam* juxta aequationem, *Embolimaei* ſunt 1. 4. 6. 9. 12. 15. 17, juxta novum annorum 38. Cyclum iſtum *Embolimaei* ſint 9. 12. 14. 17. 1. 4. 6. In hoc itaque Cyclo annis 38. conſtante, *Aureae Columnae* nomine a Bettazzio inſignito, *Biſſexti* includuntur novem, ſi nempe Cyclus a *Biſſexto*, vel ab anno poſt *Biſſextum* primo incipiat, decem vero includuntur, ſi nempe Cyclus ab anno poſt *Biſſextum* ſecundo, vel tertio initium ducat. Jam vero in Cyclo *Biſſextos* novem continente dies colliguntur 13879, ideoque *Syzygiae* 470; quibus complendis *Syzygiis* hor.9. min.4.′ 53.″ 17.‴ 40.⁗ deſunt, quotus ideſt tum eſt mediorum *Noviluniorum*, atque *Pleniluniorum* progreſſus, ſeu poſticipatio verſus finem Menſis. In Cyclo autem

Biſſex-

Biſſextos decem complectente dies comprehenduntur 13880, *Syzygiae* vero 470, ad quarum complementum abundant horae 14. min.55.′ 6.″ 42.‴ 20.⁗, quota nempe tunc eſt *Noviluniorum*, atque *Pleniluniorum* anticipatio verſus Menſis initium. Quae ſane tam anticipatio, ſeu aſcenſio, quam progreſſio, ſive deſcenſio, Cyclo 38. duplicato, qui tum Cyclus ipſe *Calippicus* fit, tollitur, non ſecus ac olim eidem tollendae aſcenſioni, & deſcenſioni a *Calippo* inſtitutus fuerat Cyclus 76, ex quadruplici *Metonico* 19. conflatus. In iſto Cyclo itaque annorum 38. *Aureos Numeros* indicari docet, poſt quos *Lunae Saltus* faciendus ſit integro decurrente Seculo iſto 1700: quo Seculo finito, quum *Epacta* Centeſimi anni ſequentis indicenda erit, indicandum eſſe ſubjungit *Aureum* etiam *Numerum*, poſt quem *Saltus Lunae* faciendus erit toto inſequente Seculo 1800. Eò tandem tot poſt emenſa difficilium itinerum diverticula, integer recidit Bettazzius in Append. I. p. 142. ſqq., ut Methodo *Gregoriana* conſueta *Epactas* trium millium annorum aequari perquam facile perinde poſſe fateatur, tum ut etiam Methodo a *Gregoriana* parum diverſa eaſdem trium millium annorum *Epactas* ipſemet aequandas in ſe ſuſceperit. Ita nempe ut in aequandis annorum Centeſimorum *Epactis*, Epocha, ſive Radix aequationis non conſtituatur in anno 550. Aerae Chriſtianae, uti factum eſt in *Gregoriana* a Clavio cap. 11. n. 6. ſqq., bene vero conſtituatur in ipſo Centeſimo anno 500, qui fuit Centeſimus proximior ultimo anno Cycli 532. *Cyrilliani*, ac primo Cycli 532. *Dionyſiani*. Ejuſmodi autem aequationis ab ſe praeſtitae Tabulam eodem loci exhibet, eamque multis exponere ſatagit apud ipſum luſtrandam. Quò denique cepit, eò quoque haud invitus deſinit, ut confiteatur nihil omnino eſſe, quod evincat Periodum *Gregorianam* annorum 400, juxta quam Intercalationes faciendae indicantur, fore emendandam, utpote quae, prolixi ſaltem temporis ſpatio, abs vero haud abſutura ſit; quod evincat quin etiam diſpoſitionem *Epactarum* in Kalendario *Gregoriano* factarum mutandam fore, quum eadem integra permanente, novas, quoties opus fuerit, Anni *Solaris* aequationes, pro longiſſimo temporis etiam ſpatio, fieri ſatis haberi

 poſſit,

poſſit, atque ſuper. Atque recte ita quidem: quae explicitiſſima *Gregorio* XIII, & *Clementi* VIII. ſententia haeut, ut integro nempe Kalendario manente quoad *Epactarum* diſpoſitionem, ſuo dumtaxat, prout oportuerit, tempore novae *Solaris* Anni aequationes inſtituantur. Eoque vel maxime, quod a Cl. Euſtachio Manfredo p.229.ſqq.id vitio datum eſt Bettazzianae cum Periodo *Minimae* 38, quod in ea ulla abſque regula ab Aſtronomia petita, rata, fixaque annis Centeſimis *Epactae Irregulares* adſcribantur, atque *Lunae Saltibus* irregularia in annis Centeſimis loca adſignentur; tum etiam Periodo *Maximae* 74809, quod eadem diviſibilis etſi per 4. quum ſit, ideoque Cyclum Intercalationum *Gregorianum* ſingulis quatuor annis Centeſimis faciendarum ſervet, quia tamen diviſibilis per 19. non eſt, inde fit propterea, quod iidem *Aurei Numeri*, Periodo abſoluta, in orbem non redeant, ſed tribus unitatibus diminuti. Qua in re a Periodi *Gregorianae* elegantia, ut ipſe loquitur, Periodum deficere ſuam Bettazzius non agnoſcere nequivit. Sed & pretium Kalendario inde *Gregoriano* accedere, quo Bettazziana caret Periodus utraque, obſervat Manfredus p.238, quod ſicut ſingulis annis 4, ſic Centeſimis 4. ſingulis *Intercalationes* adſtrinxerit. Qua ſane ratione vitio, quo praecipue vetus laborabat Kalendarium, quin novi Cycli opus ſit; obviam ſatis in *Gregoriano* factum eſt, Cycli nempe annorum 400. ab eodem *Gregorio* XIII.P.M. inſtituti ope. Nempe *Juliani* dierum 365. hor. 6, & *Gregoriani* dierum 365. hor.5. min. 49. anni differentia in minutis 11. conſiſtebat. Cui ideo differentiae tolendae juſſit Pontifex, ut e Centeſimis quatuor tres *Communes* eſſent, quartus *Biſſextus*. Cyclus igitur annorum 400. iſte cepit anno 1601, deſinetque anno 2000, quo ſpatio *Biſſextiles* eſſe deſinent anni 1700, 1800, 1900: quo Cyclo 400. completo, *Feriae*, & *Litterae* in orbem redibunt. Hoc in Cyclo 400. ſane manet adhuc minuti 1. exceſſus in ſingulis annis 131: qui tamen exceſſus ſiquidem non niſi plurium annorum millium ſpatio fieret ſenſibilis, dieque uno retrogradi *Solarem* cogeret Annum, nihili proinde factus eſt; idque cautum tantummodo, ut quum opus fuerit, nova *Solaris* aequationis ope errori, ſiquis irrepſerit, tum obviam

viam eatur. Stat ergo ejus ſententia, ut loco Kalendarium dimoveri *Gregorianum* non debeat, ea dumtaxat lege adfectum, ut quoties opus fuerit, novae *Solaris* Anni aequationes fiant: quae ſane *Gregorio* XIII, & *Clementi* VIII. ſanior, ut jam vidimus, viſa ſententia eſt. Atque ex hiſce demum intelligi datur, cujuſmodi ferendum judicium ſit variis de Periodis aliis, queis cum *Novilunia* ſuis reſtituere principiis, tum certis Feſta *Paſchalia* diebus ſtatuere tentavit Vir doctiſs. Thomas Pius Maphaeus de Cyclorum Soli-Lun. inconſtantia &c., quaſve exhibet Tab. XV, & XVI. p.231. ſqq., Tab. XIX, & XX. p.236. ſqq., veluti prae aliis, de Periodo tam *Majori* annorum 12246927268, quam *Maxima* annorum 73481563604, queis de Prop. VI. p.65. ſqq., & Prop. XIII. p. 111. ſqq.; tum hae namque Periodi Kepleri, ac Ricciolii de Menſis *Synodici* quantitate hypotheſibus innixae haud undique ceteros apud Aſtronomos veritate conſtant; tum his etſi Periodis ad eamdem *Novilunia* reſtituantur ſedem, ad id tamen haud tanta annorum ſupputatione opus eſt, quod *Gregorianarum Epactarum* aequatione facilius, atque citius praeſtari poteſt.

XXV. Quo loci demum pro coronide, praeter ea, quae Volum. III. Artic. XII. de Menſ., & Annis Vet. Roman. &c. §. XXII. ſqq. p.484. ſqq. adnotata jam ſunt, atque ſuper. §. VII. p. 215. ſqq., & §. XVIII. ſqq. p. 244. ſqq. adverſus Proteſtantium toties repetitas, totieſque repulſas calumnias ſunt animadverſa, mihi temperare non poſſum, quin paucis ſaltem, quoad ejus fieri poterit, Phil: Joh. Tilemanni Schenckii eodem de Proteſtantium grege in Diſſert. de Temporum mutatione in Append. de Dierum Anni mutatione, §. XXXVII. ſqq., Theſauri Novi Theologico-Philologici Par. I. T.I. p.1006. ſqq. inſerta, inſignem cum ignorantia temeritatem caſtigandam, refellendamque ſuſcipiam. Is itaque initio cauſſam exponere adgreſſus, cur in Comitiis Auguſtae habitis anno 1582. Kalendarium a *Gregorio* XIII. emendatum recipere Proteſtantes renuerint, *Juliano* veteri tenaciter inhaerere malentes, eam profert in medium, quod nempe ex *Auguſti* Saxoniae Electoris, & *Willelmi* Haſſiae Ducis ſententia Kalendarii reformatio a *Pontifice* Romano peracta fuiſſet, cauſſati remtantam ad *Caeſaris*, & Imperii poteſtatem pertinere. Exemplo

plo praeiviſſe *Julium* Caeſarem, a quo primum Kalendario emendando manus fuerat admota, & *Carolum M.*, a quo poſtea una cum Kalendario ipſo a *Julio* reformato Germanis Germanica Menſium nomina data fuerant. Siquid vero de *Paſchali* Feſto a Patribus Concilii Nicaeni definitum fuerat, *Conſtantini M.* Imperatoris potiſſimum auctoritate id factum totum fuiſſe, cujus ipſe participes facere Patres illos non fuerat dedignatus. Huicce potiſſimae minores alias pleraſque de tot Kalendario inſertis Sanctis, ac Feſtis, de Kalendarii, & Breviarii emendatione a Concilio Tridentino Pontifici M. demandata, de Excommunicationis minis in Refractarios, eos nempe, qui Kalendario refragarentur, intentatis cauſſas ſubtexit, quibus ab eo recipiendo Proteſtantes abſterritos perhibet. Ad haec a Proteſtantibus illud reprehenſione dignum quammaxime in Kalendario *Gregoriano* animadverſum fuiſſe ſubjungit, quod *Aequinoctia*, & *Solſtitia* ad illos fuerint revocata dies, in quos incidebant Concilii Nicaeni tempore, ideſt ſub anno 325, quae ad eum potius, quo *Julii Caeſaris* aetate fuerant, ſtatum fuiſſe revocanda, ideſt ante annum 368, contendunt. Poſtremo etſi Proteſtantium laude dignum celebrare non dubitet conſilium, quo demum in Comitiis Ratisbonenſibus, boni communis intuitu, ac Commercii maxime obtentu, Kalendarii emendatio recepta eſt, non omnia perinde tamen Proteſtantibus, (ſunt hi vero ſuo & verbo, & ſenſu Scaliger, Maeſtlinus, Andreas Concius, Sethus Calviſius, Lambertus Floridus Meninger, Eraſmus Schmidt, Jacobus Elrodus, Wolfangus Banchmeyer &c., quorum centies repetita querela centies repulſa eſt), quae *Gregoriano* inſunt Kalendario probari, errores praeſertim, quos in Kalendario adhuc cubare pugnant. Quod *Aequinoctium*, puta, Vernum necdum ſuo repoſitum loco fuerit, ſed nimios, praeter opus, fuiſſe dies expunctos: quod *Paſchalis* Menſis uno die perperam fuerit diminutus: quod perinde Feſtum *Paſchale* cum Judaeis aliquando Chriſtianis celebrari contingat, aliquando cum Quartadecimanis: quod *Paſcha* toto aliquando Menſe ante *Aequinoctium* ultimo indici, neque prima ſemper, ſed ſecunda ſaepe poſt *Plenilunium* Dominica peragendum indicari conſequatur: quodque toto non-

nonnumquam Menſe ſerius, ſecundo ideſt Menſe viciſſim anni Sacri obſervandum *Paſcha* indicari contra veteris Eccleſiae diſciplinam eveniat. Quare longe prae *Gregoriano*, quod tot laboret adhuc vitiis, *Julianum* potius, in quo duos tantum errores deprehendere ipſi datum fuerit, retinendum Viro praepoſteri ingenii arridet.

XXVI. Aſt enim Tilemannus recoctam toties obtrudere crambem haud veritus ignorabat ne olim cum apud Aegyptios, tum apud Romanos inter Sacerdotalis officii partes de Anni forma Populis retinenda definiendi facultatem recenſitam fuiſſe? Unde ab Aegyptiis Sacerdotibus *Thaletem*, *Solonem*, *Pythagoram*, *Herodotum*, *Platonem*, *Eudoxum* &c. de Anni rationibus edoctos, de eadem perinde in Graecos transfudenda, vel litterarum demandanda monumentis egregie fuiſſe ſollicitos non dubium eſt, ignoratque ſane nemo, qui Aegyptiaca in Hiſtoria, Graecaque hoſpes omnino non eſt. Romae vero Sacerdotum muneri, & curae *Intercalationem* Anno faciendam quoties oporteret, fuiſſe demandatam lege antiquiſſima refert M. Varro, fide prae omnibus dignus Romanis de rebus ſcribens, apud Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 13; lataque denuo lege U. C. anno 321, aut 323, ante Chriſti natalem 432. de Anno curando Sacerdotes eſſe ſollicitos voluiſſe *L. Pinarius Rufus*, & *L. Furius* Coſſ. leguntur, adeo proinde ut tam *Julium* Caeſarem, quam *Auguſtum* deinde Pontificis M., quam ſibi adſumere geſtiebant, auctoritate potius, quam Imperatoria, Kalendario reformando manum demum admoviſſe aeſtimare fas ſit. Non inficias quidem iverim, quin & ad Imperatoris, & ad Regum poteſtatem ſpectet de *Civilis* Anni forma in Imperio, Regniſque ſervanda ſtatuere. Quin ideo a *Gregorio* XIII. P. M. conſilium de Kalendario reformando initum, non ante executioni demandatum fuiſſe, quam ea graviſſima de re Imperatoris, Regumque, quin & Academiarum rogaſſet, audiſſet, conſenſienteſque habuiſſet ſententias, teſtis ipſe met omni exceptione major accedit in Conſtit. 136. *Inter Graviſſimas* §. 5. Bullar. Rom. Noviſs. edit. T. IV. Par. IV. p. 11. *Novam hanc*, inquiens, *reſtituendi Kalendarii rationem exiguo volumine comprehenſam ad Chriſtianos Principes, celebrio-*

reſ-

reſque Univerſitates paucos ante annos miſimus, ut res, quae omnium communis eſt, communi etiam omnium conſilio perficeretur: illi quum, quae maxime optabamus, concordes reſpondiſſent, eorum nos omnium conſenſione adducti Viros ad Kalendarii emendationem adbibuimus in alma Urbe harum rerum peritiſſimos, quos longe ante ex primariis Chriſtiani Orbis Nationibus delegeramus &c. Qua de praeclara ſane Pontificis agendi ratione qui obloquitur, qui obgannit, nae is profecto univerſo dicamOrbi ſcribensOrbis diris univerſi impetendum ſe propinat! Negari ceterum ingenti abſque piaculo nequit, quin in Pontificis M. numeris poſitum ſit de Anni *Eccleſiaſtici* forma pro tota Eccleſia definire, Kalendarium idcirco conficere pro Feſtis, ac *Paſchali* quammaxime, ſuis legitime peragendis temporibus. Qua in re plane *Gregorius* XIII. non primus hanc ſibi arrogavit poteſtatem, ſed exemplo ei praeivere *SS. Pius*, & *Victor*, quos ſequendos ipſe ſpeciatim, non ſecus atque Patres Nicaenos, ſibi propoſuit, *SS. Innocentius* I, & *Leo M.* item; quas etiam partes adſcribere Pontifici M. non dubitarunt Synodi Romana ſub *S. Victore*, Caeſarcenſis, Pontica, Oſroena, Lugdunenſis ſub *S. Irenaeo*, Antiochena, & ſpeciatim Arelatenſis I. in Synodica ad *S. Silveſtrum* apud Coutantium Epiſt. Rom. Pontif. p. 341. ſq., quibus de prolixe ſuper. Vol. III. Art. XII. §. XXII. ſqq. p. 484. ſqq. Frigidam itaque ſuffundit Tilemannus, cauſam, cur ſuis a Proteſtantibus Kalendario *Gregoriano* auris denegata utraque fuerit, in alieni a Pontifice Romano invaſi juris refundens; cauſatus etiam Pontificis tam inſolens factum, quo tantam Kalendario Sanctorum phalangem ingerere non fuerit veritus, quaſi nempe in veteribus Ethnicorum Kalendariis Feſta deſcripta ad amuſſim omnia non adpareant, ut vel obiter Kalendaria *Julii Caeſaris* apud Blanchinium, Romanum apud Dempſterum Antiq. Rom. p. 116. ſqq., Romanum, & Graecum apud Gyraldum Oper. T. II. p. 825. ſqq., Ovidii, Columellae, & Plinii apud Petavium Antiq. Rom. T. VIII. edit. Ven. p. 125. ſqq., Romanum in Aedibus Maffejorum apud Graevium eodem T. VIII. p. 4. ſqq., Furii Dionyſii Filocali, alterumque Polemei Silvii apud Bucherium Comm. ad Victorii Aquit. Canones, & Janingum in

in Praefat. ad Acta SS. T.III. edit. Ven. p.158. ſqq., & in Act. SS. T.VII. Junii p.178. ſqq., Ruſticum Farneſianum, Capranicum &c. Antiq. Rom. T.VIII. p.21.ſqq., & 30.ſqq., Conſtantini Imp. apud Lambecium, Romanum alterum apud Puteanum &c. eodem loci p.97.ſqq., & 670.ſqq. inſpicienti patebit; quam ingentes Pontificis iras, quibus Kalendario refragantibus ſuo dira cuncta intentat. Impedimento ne, rogo, totum id fuit, quo minus tum illico vel a potiori Proteſtantium parte in Moravia, Sileſia, Luſatia, in Hollandia, Zelandia, Friſia, in Flandria, & Brabantia, in Gallia, & Belgio &c., a Graecis ipſis Schiſmaticis inſuper, Patriarcha Conſtantinopolitano praeunte, tum demum in Comitiis Norimbergenſibus ſub *Maximiliano*, ac deinde in Ratisbonenſibus anno 1654. ſub *Ferdinando* III. ambabus admitteretur ulnis?

XXVII. Ad haec quis, amabo, patienter ferat hominum ineptiſſimum audire temere effutientem ideo a Proteſtantibus dicam imo Pontificio fuiſse Kalendario conſcriptam, quod *Aequinoctia* non eo, quo ſub *Julio Caeſare*, ſed eo, quo ſub Nicaeno Concilio fuerant, loco reſtituta fuerint? Quis enim, quaeſo, vel nondum aere lavatus, ignorat inſignia duo illa, queis *Julianum* hactenus laboraverat Kalendarium, vitia tum demum a *Gregoriano* fuiſse ſublata, quorum unum erat, quod a *Julio* Caeſare *Solaris* Anni quantitas haud recte fuerat definita; alterum, quod *Aureus Numerus* pro infallibili veluti regula poſitus fuerat; quò fiebat, cum ut *Aequinoctia*, tum ut *Plenilunia* ſingulis anticiparent annis. Ad locum itaque, quem in *Zodiaco* habebat, in quemque Nicaenis a Patribus fuerat repoſitum, *Aequinoctium* Vernum a *Gregorio* XIII. reſtituendum erat: quae prima ſane Pontificis cura fuit. Etſi vero in Tabulis Aſtronomicis Hirianis, Riccciolianis, & Caſſinianis ad Meridianum Pariſienſe *Aequinoctium* Vernum anno 325, quo Nicaena Synodus habita eſt, ſtatutum legatur die 20. Martii hora 1. poſt Meridiem, (quod tamen de *Aequinoctii* initio, non de termino intelligi debet,) invicte tamen a Jacobo Bettazzio in Oper. Paſch. Epitome Append. 2. p.199. ſqq. ex obſervationibus a Ptolemaeo repetitis oſtendit *Aequinoctium* Vernum eo anno contigiſſe die Civili 21. Mar-

tii, ſive Nocte ſequenti, eamque in diem 21, ſive Noctem ſequentem rite a PP. Nicaenis repoſitum fuiſſe. *Novilunio* deinde *Paſchali* ad *Solii* rationes rite exacto ſua reſtituenda perpetuo dies fuerat: quod ſecundo cordi Pontificis fuit quammaxime ſtudium; atque poſtremo Dominico Paſchali diei poſt *Aequinoctium* Vernum, ac *Lunam* decimamquartam fixa praeſcribenda fuerat ſedes: quod egregie praeſtitum utrumque a Pontifice eſt, ac ita Pontificiae numeris abſolutae partes ſunt omnibus. Quae tria ſane rite ſibi praeſtanda fuiſſe pro recta *Paſchalis* Feſti deinceps celebratione, juxta SS. Patrum, Rom. Pontificum. ac Nicaeni praeſertim Concilii Sanctiones, indicenda, reapſeque ab ſe praeſtita tandem ipſemet perhibet cit. Conſt. *Inter Graviſſimas* §.6. ſqq, p.11. ſqq., atque recte praeſtita ad *Solis* rationes utique fuiſſe a Jacobo Bettazzio invicte prae aliis demonſtratum eſt: qua de re dicta ſuper. §.XVIII. ſqq. p.244. ſqq. recolenda, ſi placet. Quamobrem inſigni cum temeritate turpem Tilemanni inſcitiam mirari ſatis non ſubit, qui Kalendario *Gregoriano*, majoribus veluti refertiſſimo vitiis, longe praeferendum *Julianum*, velut illud, quod oppido paucioribus infartum ſit, intento pugnare nervo pergit. Epactarum quidem Cyclum Gregoriano adpoſitum Kalendario longiſſimi ſucceſſu temporis a Solis, Lunaeque rationibus aberraturum fore non inficiamur: ſed errori facile obviam iri poſſe cum Gregorio XIII. rite adfirmat Clemens VIII, confirmatque rei iſtius peritiſſimus Clavius cap.5. n.15. ſqq., & cap.7. n.5, aliique poſt ipſum, Epactarum nempe novae aequationis ope, ſive novae intercalationis tum inſtituendae, quum opus fuerit, beneficio; integro perpetuo interea manente Kalendario ipſo Gregoriano quoad Epactarum diſpoſitionem. Quo praeſtito, omne ſane procul abeſt periculum, ut ſuo Paſcha non tempore, aut cum Judaeis, Quartadecimaniſque pariter a Chriſtianis celebretur. Quamobrem peritiſſimis quibuſque fatentibus Aſtronomis, Gregoriano perfectius Kalendarium hactenus non prodiit, quod minoribus nempe laboret vitiis, quibuſque majori obviam iri facilitate queat. Quocirca ſi Proteſtantibus ſpes concepta in Comitiis Norimbergenſibus, & Ratisbonenſibus anno 1654. de Novi Kalendarii forma reperienda: *Quae non ſit eadem*

Digitized by Google

dem cum Gregoriano, ſed tamen ſemper cum eo conſentiat, & Feſta tam mobilia, quam immobilia ad Canones Eccleſiaſticos, & ad tempus Conſtantini M. recte exhibeat, velut illorum loquitur verbis Tilemannus, futurum ſit, ut faventibus Superis, ſuum ſortiatur effectum, videlicet ut Gregoriano emendatius Kalendarium prodeat, non adeo nos repugnabimus, quin ambabus illud amplectamur ulnis, praeunte hacipſa in parte, mehercle ſane, ipſo Pontifice M. Qualis vero, puta, futura eſſe poterit Kalendarii iſtiuſmodi forma, quae difformis futura ſit a Gregoriano, & cum Gregoriano conformis? Id nobis ut Tilemannus tandem exponat, taciti expectabimus: cui tantum Duumvirum ex eodem Proteſtantium grege plane, reique ejuſmodi peritiſſimorum, cum Tychonis Brahe, tum Joh. Chamberlanay verba reddidiſſe ſatius habebimus. Ille nempe apud Morerium Dict. Hiſt. T.II. p. 19. fruſtra illos defatigari affirmat, qui Copernicarum ope Tabularum annum reſtituere deſudant, indeque Gregoriano invidiam conflare Kalendario deſiderant, inferendoque bello inde arma deſumere ſperant; ideo quod Kalendario *Gregoriano* nullum hactenus propius ad Caeleſtes acceſſerit motus, factuque valdequam difficile, ac ferme impoſſibile ſit, experientia duce, ut ad omnem prorſus amuſſim Orbium Caeleſtium rationes attingi unquam poſſint. Iſte vero moras, quas gentiles Angli ſui Kalendario *Gregoriano* recipiendo nectebant, accuſans, futurum dicebat, ut eidem, vellent, nollent, demum adquieſcere deberent: quod anno 1753. demum ſane eveniſſe ſcitum eſt; eo a Suecis aeque, atque a renitentibus Anglis ſolis ambabus tandem ulnis admiſſo. Illud pro coronide adjungere non poenitebit, quod Kalendarii *Gregoriani* poſt emendationem, *S. Stephani* Sanguis ex Africa a *S. Gaudioſo* Epiſcopo Neapolim delatus, qui in Eccleſia *S. Gaudioſi* ſervatur, die 13. Auguſti deinceps liquefieri cepit, qui antea liquefieri die 3. Auguſti conſuebat. Quo ex miraculo plane Divinitus probatam Kalendarii *Gregoriani* Correctionem arguit Caveus in Hiſt. Vet. Martyr., & poſt ipſum Jannonus Hiſt. Civil. Regni Neapolit. T. IV. lib. 34. cap. 3. §. 2. Atque de Cyclis, Periodiſque diverſos apud Populos uſu frequentatis noſtro pro modulo hactenus.

DE VARIIS

AD PUTANDOS ANNOS AERIS, SEU EPOCHIS APUD ORIENTALES, ATQUE OCCIDENTALES EXCOGITATIS, USITATISQUE: UBI DE AUTONOMIA, ELEUTHERIA, ET ATELEIA.

PROLEGOMENON VI.

I. PRocelloſo, Ventiſque turbato undequaque contrariis e Pelago vix emerſi, in ſalebroſam ecce Sylvam carduis undique, ſpiniſque obſitam, obſtipatamque utroque impingimus pede, ubi nec iter ſit expeditum, unde nec felix ſperandus ſit exitus; quin interea pedem inde referre liberum nobis ſit, atque integrum. Duo nempe Temporum ſunt Characteres, quibus manu veluti tam Hiſtoria, quam Chronologia ducitur, *Mobiles*, qui in orbem redeunt, cujuſmodi ſunt *Cycli*, atque *Periodi*, de quibus abunde, puto, jam actum eſt; & *Immobiles*, qui certis defixi capitibus manent, cujuſmodi *Epochae* ſunt, ſive *Aerae*, de quibus modo nobis inſtituendus eſt ſermo. Itaque difficillima de *Cyclis*, atque *Periodis* exantlata tractatione, ad *Aeras*, ſeu *Epochas* tam diverſas, quam diverſi inter ſe tum generis, tum idiomatis, tum moris Gentes qua Orientales ſunt, quam Occidentales, ſermone accedendum modo nobis incumbit, nobis, inquam, qui ſpartam tam grandem modulo, pedeque metiri noſtro tam parvo deſperamus magis, quam

quam vires ſupra noſtras ſuperbia elati ſpartam pro merito exornare iſtam nos poſſe ſperemus, inanique faſtu confidamus. Agè tamen, modo viribus, prout valuerimus, omnibus hac in palaeſtra elaboratum nobis fuerit, eluctatumque, veniam liberalis dabit Lector, & mediocritatem excuſabit haud difficilis, qua meliora proferre, majoraque nobis fas non fuit. *Epocha* igitur, ut dè nomine initio non taceatur, a Graeco verbo Ἐπέχω, Latino *Cohibeo*, dicta videtur, quod certo veluti limite cohibeatur, ut adnotat Fungerus; *Tarikh* etiam Arabibus denominata a Verbo أرخ *Arach*, quod in ſecunda Conjugatione *Adſcripto tempore notare* ſignificat: quamquam recens admodum *Tarickh* nomen Arabibus eſſe tradit Ben Schùhnah in anno 1. *Hegirae* apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 857, illud derivatum adfirmans ex depravato Perſico *Mahrouz* vocabulo pro Kalendario deſignando primum ab Omaro Kalipha ſecundo uſurpato. *Aeram* vero ab Hiſpanis inde primum denominatam, quod quum annos ab exordio Regni *Auguſti* numerare cepiſſent, illudque ſuis in Kalendariis per primas horum Vocabulorum litteras A.E.R.A. obſignare ſolerent, & hinc *Aerae* nomen apud Latinos formatum exiſtimat Sepulveda Cordub. de Emendat. Anni, quem multis exſufflat Scaliger de Emend. temp. lib. 5. p. 446. ſqq., eoque praecipue, quod in Conciliis Hiſpaniae, & Carthaginenſibus, a Juliano Pomerio adv. Judaeos lib. 3, ac in Cippis in Agro Hiſpalenſi, & Eborenſi repertis *Era* dumtaxat, nunquam *Aera* deſcripta legatur; ideoque *Aerae* nomine Computum ſignificari, ſive numerum ex Fauſto Rejenſi Epiſt. 11. Bibl. PP. T. III, Juliani Toletani loc. cit., Idacii in Chron., S. Iſidori &c. arguit. *Epocha* itaque, ſive *Aera* vox eſt Chronologis uſurpata, qua certum, inſigneque deſignatur Temporis punctum, a quo Tempora ſupputanda ſuſcipiuntur, quove rato veluti, fixoque termino Hiſtoriae cohibentur, ne ſine meta, atque carceribus exſpatientur. Alio etiam ſignificatu Veteribus, atque uſu *Aera* venire ſolebat, pro Annorum numero in Nummis Aereis deſcripto, unde ſpeciatim *Aerae* ii nomine inſigniri ſolebant; pro Notis ad ingentes obſignandas rationum ſummas adhibitis; pro Signis

ad

ad res diſtinguendas, puta Librorum capita, Legum Canones, &c. uſurpatis, quibus de fuſe Ducangius Gloſſ. T. I. edit. Ven. p. 191. ſq. Ex Epochis jam vero, ſeu Aeris aliae ſunt *Sacrae*, quae nempe vel Scriptoribus uſu Sacris venire, vel Sacris ſignandis rebus uſurpari ſolent, quarum tractationi praeſentis Operis Pars altera deſtinata eſt; aliae *Profanae* ſunt, quibus nempe vel uti Profani Scriptores, vel Profanae res conſignari conſuevere, quae modo noſtram exercent operam, paginamque nobis utramque faciunt.

II. Quia tamen de Urbium plerumque Epochis agentes, de earumdem *Autonomia*, e qua illarum ſaepius Epochae ſunt repetendae, frequens nobis incidet ſermo, de vocis iſtius nomenclatione, uſuque in anteceſſum notare aliqua juvat, & intereſt. *Autonomiae* itaque Αὐτονομή nomine Scriptores, tam apud Graecos, quam apud Latinos Herodotum lib. 3. p. 93. ſq., Philonem de Vita Moyſis lib. 11. p. 657, Joſephum Antiq. lib. 14. cap. 8, Strabonem lib. 4. p. 197, Diodorum lib. 12. p. 273. ſqq., Polybium lib. 2. p. 154, lib. 3. p. 534, & in Excerpt. paſſim, Dionem lib. 37. p. 36. ſq., Appianum in Mithrid. p. 251, Plutarchum in *Lucullo*, & *Aemilio*, Livium lib. 28. cap. 54, lib. 30. cap. 37, & lib. 33. cap. 22, Ciceronem ad Attic. lib. 1. epiſt. 6, & lib. 6. ep. 1. ſqq., in Verrem 1. n. 2. 13, Ver. 2. n. 32. 90, in Piſon. c. 16, pro Flacco c. 26, Plinium lib. 10. ep. 56. 94, & lib. 19. epiſt. 99, Vellejum Paterc. lib. 2. cap. 8. &c. poteſtas veniebat proprios creandi Magiſtratus, propriis vivendi Legibus, moribuſque, atque Judiciis in cauſſis tam *Criminalibus*, quam *Civilibus*, procudendae item Monetae, proprioque Dominio potiundi tam *Directo*, quam *Utili* in Agros, Domoſque, ut Populo ipſi fundi ſit proprii: quo de Jure Spanhemius Orbis Rom exerc. 11. cap. 10. ſqq., Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Joberti Scientiam Numiſm. edit. Venet. T. II. p. 274. ſq., & Comes de Guaſco Canonicus Tornacenſis Oper. T. II. diſſert. de Autonomia p. 169. ſqq., ex quo pleraque multa decerpſimus modo depromenda. Ab *Autonomia* porro *Eleutheriam* diſtingui op ere perſuaſum habuit Vaillantius Num. Imp. Par. II, & Graecor. p. 196, quod Urbes *Eleutheria* donatae a Tributis, queis *Autonomae* dumtaxat erant obnoxiae, im-

immunes eſſent. Illud viciſſim inter utraſque diſcrimen intercedere viſum eſt Maffejo Veronae Illuſt. Par. I. lib. 3, & Bimardo de la Baſtie loc. cit. p. 276. ſqq., quod Urbes *Eleutherae*, propriis ſubjectae Magiſtratibus, a Praeſidum, ſive Praetorum, aut Proconſulum, qui ad *Autonomas* gubernandas mitti conſuebant, imperio eſſent abſolutae. Aſt enim Spanhemius Orb. Rom. exercit. 11. cap. 10. ſqq., & de Praeſt. Numiſm. diſſert. 9. nullum omnino, niſi uno de nomine, *Autonomiam* inter, & *Eleutheriam* diſcrimen agnoſcit. Spanhemio vero in eo conſentit Guaſcus in Addit. ad Diſſert. de *Autonomia* p. 288. ſqq., quod nullum utique, quod ad Libertatis jus attinet, diſcrimen inter utramque intereſſe cenſeat: nam Urbes *Amiſum*, & *Apameam* inter alias, quarum alioqui Nummi Ἐλευθερία obſignati conſpiciuntur, Proconſuli tamen, aut Praeſidi, aut Praetori obnoxias fuiſſe, ac Vectigalia dependiſſe obſervat, non ſecus atque *Seleuciam*, *Antiochiam*, *Lacedaemonem*, *Athenas*, *Laodiceam* &c. In eo tamen a Spanhemio diſſentit, quod ad utriuſque notionem vocis, acceptionemque ſpectat, quod Urbes prius *Autonomia* donatas, ſi poſtea ab hoſtibus captae horum jugum ſubiiſſent, a Romanis poſtremo vindicatae in libertatem fuiſſent, adſertaeque, tum in recuperatae libertatis argumentum, ſive liberationis adquiſitae, priori dimiſſo titulo *Autonomiae*, poſteriorem hunc elegantiorem *Eleutheriae* in Nummis ſuffeciſſe, aut hunc illi addidiſſe credit. Ita ejus ſententia *Amiſi* Urbs a *Mithridate* primo capta, a *Pharnace* ſecundo, & tertio a *Strabone* ſubjugata, ac totidem vicibus a *Lucullo*, a *Julio* Caeſare dein, & ab *Auguſto* demum in libertatem adſerta *Eleutheram* ſe nuncupare, jureque in Nummis inſcribere meruit, ac *Eleutherae* nomine audire apud Strabonem lib. 12. p.547, Dionem lib. 42 p.207, & Plinium lib. 10. ep.93. Sic & *Sinopis* Urbs in Ponto altera, a *Lucullo*, ac deinde a *Julio* Caeſare vindicata, *Eleuthera* nuncupata legitur apud Appianum in Mith. p. 227. Quo loci obiter adnotare juvat inde utrique huicce Ponti Urbi *Amiſo*, & *Sinopi* geminam in Nummis uſque ad *Philippum* utrumque uſu Epocham veniſſe, primam ab anno U. C. 684. ductam, quo a *Lucullo* utrique *Eleuthe-*

theria Urbi collata eſt; ſecundam ab anno U. C. 708, quo Urbi utrique *Coloniae* jus a *Julio* Caeſare eſt adſertum: qua de duplici Urbium *Amiſi*, & *Sinopis* Epocha adeundi Vaillantius Num. Colon. T. I. p. 193., & T. II. p. 92, Harduinus Num. Popul. illuſt. p. 156. ſq., Froelichius App. ad Num. Colon. p. 88, & Bimardus in Annotat. ad Joberti Scient. Num. Inſtruct. x1. T. II. edit. Ven. p. 176. ſqq. Ita *Tharſus* primum a *Boheto*, ac dein a *Neſtore* invaſa, ab *Auguſto* vero libertati reſtituta, *Eleutheriae* titulo inſignita eſt; *Rhodus* item in Nummo Theſauri Medicaei Ελευτ. Ροδιων eodem inſcriptus titulo legitur apud Spanhemium de Praeſt. Num. p. 290. Similem ob cauſſam Laconici, & Lycii *Eleutheri* denominuti leguntur apud Pauſaniam lib. 3, & Diodorum lib. 14. p. 441; Gaza, Joppe, Azotus, Samaria, Dora, ſeu Raſia, Hippus, Pella, Stratonica, ſive Caeſaraea, Dioſpolis, Jamnia, Mariſſa, Scythopolis, a *Pompejo* in libertatem adſertae; Jeroſolyma, Gadara, Ramathunta, Jericho, Sephora a *Gabinio* regali a poteſtate vindicatae, *Eleutheriae* nomine inſcriptae memorantur apud Joſephum Antiq. Jud. lib. 14. cap. 8, ac de Bello lib. 1. cap. 16, verſ. Petri Lauri edit. Ven. 1702. p. 379. ſq Quin Urbes non ſolum alias ſingulas, ſed *Graeciam* univerſam imo *Eleutheram* a Nerone pronuntiatam tradunt alios praeter Hiſtoricos Pauſanias, & Philoſtratus: quod beneficium poſtea eidem a *Veſpaſiano* ademptum fuit. Tanto vero in pretio titulus hic *Eleutheriae* habebatur, ut tum *Athenienſes* cum priori *Autonomiae* hunc praeferre *Eleutheriae* non deſinerent, Strabone teſte; ut tum *Syracuſani* in memoriam gemini beneficii *Jovem* ſub *Eleutheri*, ſive *Liberatoris* nomine & colere, & in Nummis inſcalpere religioni haberent, veluti conſtat ex Veteri Syracuſae cuſo Nummo apud Spanhemium cit. p. 290, in quo caput *Jovis* viſitur, & Inſcriptio Ζευς Ελευφεριος legitur. Alterum fortaſſe diſcrimen in hoc titulo intercedere Vir doctiſs. ſubdubitat, videlicet, quod Urbes *Coloniae* titulo illuſtratae, ſuiſque tam Legibus vivere, quam Magiſtratibus uti permiſſae, (Coloniae etenim aliae e Civibus Roma deductis coaleſcentes Romanis cum Legibus, tum Magiſtratibus Roma miſſis erant obnoxiae), novo, inſignique titulo iſto *Eleutheriae*

riae diſtinctae fuerint deinceps, eoque denominatae. Cujuſmodi *Eleutheras* Colonias Urbes ultra Padum a *Pompejo* factas fuiſſe, aliaſque in Hiſpaniis, alibique ab aliis ex Gruteri Inſcriptionibus p. 574. 576. 5. 6. arguit; quo de argumento ſatis, ſuperque modo, eo de ſiquidem fuſius nobis agendum infra erit.

III. Ad *Autonomiae* nomen, ac rem nunc reflectendo gradum, non unius ea ſane, nec ejuſdem omnino ſpeciei erat omnibus, ſed qua major aliis, qua aliis minor a Victoribus, ſeu Urbium Vindicibus indulgeri ſolebat. Populis enim *Autonomia* donatis poteſtas aliquando ſuis degendi ſub Regibus fiebat, aliquando denegabatur, & a Victoribus Reges, aut Magiſtratus accipere cogebantur. Sic Arabes Perſarum, & Babylonii Aſſyriorum Regibus, propriis ſpoliati, parere, ſubeſſeque compulſi ſunt. Aſt Edeſſeni, & Oſroeni Parthis etſi ſubjecti; Judaei interdum Syris, ac deinde Romanis ſubditi; Thraces, Colchi, Armenii, Cappadoces &c. eiſdem Romanis etſi ſubjugati, proprios tamen habere Reges permiſſi ſunt: qua de re Herodotus lib. 3. p.95, Dio lib.34, &51, Livius lib. 54, & Amm. Marcellinus lib. 14. cap. 4; videndique Tillemontius Hiſt. Imp. T. I. Art. 3, ac Spanhemius de Praeſt. Num. p. 85. Contra Syris, Judaeis, Gallis, Hiſpanis, Germanis, Siculis &c., ſuis utique legibus vivere, ſub Praefecti tamen, aut Proconſulis, aut Praeſidis, aut Praetoris Romani poteſtate, fas omnino fuit. Viciſſim Aſianis, Aegyptiis, Æthiopibus, Graecis, Macedonibus, Ponticis &c. proprios etiam Reges, aut Magiſtratus habendi facultas aliquando facta eſt. Populis etiam devictis leges aliquando a Victoribus datae ſunt, quin propriis adhuc utendi prohiberentur: ita Aſianis, Cyrenaeis, Athenienſibus, Macedonibus, Palaeſtinis &c. a *Flaminio*, a *Pompejo*, a *Mummio*, a *Sylla*, ab *Aemilio*, a *Lucullo*, a *Gabinio*, apud Dionem p. 295, Pauſaniam lib. 7. cap. 16, Appianum in Mithr. p. 196, Plinium lib. 10. ep. 56. 94, Tacitum Annal. lib. 2. cap. 61., Plutarchum in *Paulo Aemilio*, Livium lib. 32, & 45, Juſtinum lib. 33. cap. 32, Ciceronem Verr. 2. n. 2. &c. Ad haec cum *Autonomia*, Victis magis, magiſque gratia devinciendis, colla-

tum a Victoribus interdum *Civitatis* jus legitur, velut a Romanis indultum Campanis teſtatur Livius lib. 23. cap. 5, diuque antea Sabinis, Latinis, Samnitibus &c. E contra jure Civitatis indulto, *Autonomia* interdum eſt abrogata, velut a Romanis ademptam Heracleenſibus, ac Neapolitanis tradit Cicero Orat. pro Balbo cap. 52. *Judiciorum* rurſus jus tam *Civile*, quam *Criminale* abſolutum interdum *Autonomiae* legitur adjectum, interdum vero limitatum admodum, certaque adfectum lege. Sic amplo, nullaque conditione obligato *Judiciorum* jure uſas fuiſſe Urbes Philippim, Epheſum, Athenas, Hieroſolymam, & Rhodum adparet ex Actis Apoſt. cap. IV. 3. ſqq., V. 17. ſqq., VII. 56. ſqq., IX. 2. ſqq., XIV. 5. ſqq., XVI. 19. ſqq., 35. ſqq., XVII. 5. ſqq., XIX. 29. ſqq., ex Joſepho adv. Appionem p. 1065, & Antiq. lib. 17. cap. 2, lib. 18. cap. 31, & lib. 20. cap. 8, ex Dione lib. 60, & Tacito lib. 2. cap. 55. &c. Contra vero limitato admodum jure, nec abſque interventu Judicis ex parte ſupremi *Judicis*, uſos Judaeos interdum ſub Syris, ac Romanis, ſub iiſque Achaeos liquet ex II. Machab. IV. 4. ſqq., ex Actis Apoſt. cap. XII. 1. ſqq., XIII. 7. ſqq., XVIII. 12. ſqq., XXII. 25. ſqq., XXIII. 26. ſqq., XXIV. 1. ſqq., XXV. 1. ſqq., XXVI. 1. ſqq.; ac ex Joſepho Antiq. lib. 20. cap. 8. Neque niſi limitato uti licuiſſe Siculis teſtatur Cicero in Verr. 2. lib. 2. cap. 28. ſqq.; Antiochenis conſtat ex Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 18; ex Ruinartio in Actis SS. Martyr. Sinc. p. 14. ſqq., 209, 212, 274, 279, 528. &c.; Macedonibus, Graeciſque aliis tradunt Pauſanias lib. 7. cap. 9, Livius lib. 45. capp. 22, & 30: videndique Cicero de Offic. lib. 3. cap. 26. 7, Ulpianus de Juriſd., Paulus de *Offic. ejus, cui mandata eſt Juriſdictio*, Sigonius de Judic. II. 4, Gruterus de Vet. Jure Pontif. II. 1, de Offic. Dom. Aug. I. 2, Bimardus Annot. in Joberti Scient. Num. T. II. p. 277. ſq. Cum *Autonomia* rurſus Jus publici *Foederis*, quod aliis nempe cum Populis inire fas eſſet, perſaepe Victis relictum fuiſſe plurimis docemur exemplis. Quo ſane pacto foedere inter ſe junctas Urbes Antiochiae, Seleuciae, Apameae, & Laodiceae a *Seleuco Nicatore* fundatas refert Strabo lib. 16; Epheſios, Smyrnaeos, Pergamenos, Tyrioſque ſimili inter ſe foederis vinculo obſtrictos fuiſſe diſcimus ex Dionyſio Halic.

lic. lib. 4, & quammaxime ex Nummis paſſim obviis apud Vaillantium, Spanhemium de Praeſt. Num. p. 797, &c.; Seleucienſes in Cilicia, & Athenienſes documento ſunt Nummi cum litteris Σ. A. ſcalpti, quibus foedus inter utramque percuſſum Urbem indigitari docent Jobertus, & Bimardus Scient. Num. T.I. edit. Ven. p. 224. Laodicenos item cum Julio-Phrygibus foedere junctos arguit Jobertus Scient. Num. T.I. p. 330, quod in Nummis *Trajani*, *Antonini*, *Severi* &c. Laodiceae ſcalptis legatur: ΙΟΥΛΙΕΩΝ Και ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ *Juliorum*, & *Laodicenorum*, quibus foedus Laodiceae cum Julia Phrygiae percuſſum indicaretur. Aſt enim Bimardus T.II. p. 300. ſq. advertit §. XXI. in Nummis Laodiceae in Syria ſub *Domitiano*, *Caracalla*, & *Elagabalo* cuſis legi abſque conjunctione Ιουλιεων Λαοδικεων; in Nummis aliis Laodiceae item ſub *Trajano*, *Antonino Pio*, *M. Aurelio*, *Lucio Vero*, & *Commodo* percuſſis legi cum articulo Ιουλιεων των καί Λαοδικεων, ſed ita unam Juliam Laodicenam indigitari, ut cui *Julii* Caeſaris Epocha ab anno U. C. 706. uſu pridem venerit; ideoque in Nummo *Caracallae*, ubi legitur Ιουλιεων Λαοδικεων Νεωκορων Ομόνοια, non de foedere duas inter Urbes pacto, Juliam Phrygiae puta, & Laodiceam agi, ſed una de Civium unius ejuſdemque Urbis Laodiceae concordia duplici inſignitae nomine. Sed enim hacce de Urbium *Omonoja*, ſive Concordia, fuſius, ſi Superis placebit, ſuo infra loco. Jus praeterea *Civitatis* ſe ſe invicem adficiendi privilegio cum *Autonomia* Urbibus plerisque a Victoribus fuiſſe permiſſum legitur. Quo ſane *Civitatis* jure Athenienſes, Rhodioſque devinctos fuiſſe compertum eſt: contra vero Macedoniae, Ponti, & Bithyniae Urbes eo inter ſe mutuo perfrui foedere, ſeque reciproco *Civitatis* pacto magis magiſque copulare permiſſae quidem ſunt, non etiam illud aliis cum Urbibus feriundi, percutiundique facultas a *Pompejo* facta legitur apud Livium lib. 3. cap. 34.

IV. Urbes attamen hoc *Autonomiae* jure, tituloque inſignitas erga Victores obſequio, fideque obligatas ita fuiſſe, tum ut honori, officioque, ingenti non abſque piaculo, deeſſe nequirent, tum ut Vectigalia pendere, atque Militem aut ad bella ſuppeditare, aut in Urbem ad hyberna recipere debe-

 rent,

rent, indubium ſit ex Marmoribus Oxon. p. 9. Par. I, ubi de pacto cum *Seleuco Callinico* a Smyrnaeis, & Magneſiis convento agitur; ex Tacito lib. 13. cap. 9, Polybio in Excerpt., Livio lib. 31. cap. 39, Cicerone pro Balbo, & lib. 1. ad Attic. epiſt. 1, ubi de officio a Vologeſiis, ab Aſianis, a Graecis, ab Aetolis, a Macedonibus &c. erga Romanos praeſtando diſseritur; videndique hacce de re Sigonius de Antiq. Jure Prov. Antiq. Graec. T. I. p. 727, & T. VIII. p. 1145, ac Guaſcus cit. diſſert. de *Autonomia* p. 243. ſqq. Quo loci abunde refellit Harduinum Chronolog. Vet. Teſt. p. 236. in ea opinione verſatum, ut putaret Romanis non aliud in Urbes *Autonomia* donatas jus incubuiſse, quam publicis Ludis praeſidendi. Subjectionis enim indicio ſane Nummi ſunt cum Romanorum Imperatorum Capitibus, nominibuſque inſcalpti Tharſi, Epheſi, Smyrnae, Athenis, Byzantii, Antiochiae, Tyri, Sidone &c., de quibus fuſius infra Art. ſqq. apud Vaillantium, Patinum, Harduinum, Spanhemium, Jobertum, Froelichium &c. Subjectionis item indicio ſunt Praeſides, Proconſules, & Praetores quieti publicae Urbium *Autonomia* etiam illuſtrium advigilaturi a ſupremo Imperatore miſſi, ut a Syriae Regibus in Judaeam, a Romanis in Aſiam, Syriam, Armeniam, Aegyptum, Macedoniam, Pontum, Graeciam, Palaeſtinam &c. *Vectigalia* quod ad obligationem Victoribus dependendi pertinet, ea porro lege haud obligatas Urbes *Autonomia* inſignitas autumant Salmaſius in Obſerv. ad Jus Antiq., & Vaillantius loc. cit. Sed eos valide refellit Guaſcus cit. diſſert. p. 256. ſqq. oſtendens Vectigalium immunitate, Graece Ἀτελεία, nullas omnino *Autonomia* donatas Urbes cumulatas pariter fuiſſe. Itaque Perſis Graecas Aſiae Urbes Vectigalia penſitaſſe ex Herodoto lib. 3. p. 95. ſq., & Xenophonte lib. 5. cap. 11. oſtendere pergit. Ita ab Ariſtide Graecis Inſulis Tributa impoſita ex Pauſania lib. 8. cap. 52; ab Urbibus foederatis Tributa Athenienſibus perſoluta ex Thucydide confirmat. Ita Romanis Vectigalia ſoluta ab Illyricis, a Macedonibus ex Livio lib. 45. capp. 26, & 29, & Appiano de Bello Civ. lib. 5, & a Judaeis ex Joſepho lib. 14. capp. 15, & 17, & Philone Legat. ad Cajum p. 1032, ita tamen, ut Judaeae Regno dein ad *Herodem* translato, Romani

mani Tributo a Judaeis exigendo deſtiterint, uti Keplero, & Petavio viſum eſt in Animad. ad S. Epiphanii Haer. 51. Oper. T. II. p.128. ſq.; a Cyrenaeis ex Sigonio Antiq. Jur. Prov. cap.15; a Colchis ex Appiano lib. 7. cap.20. comprobat. Interdum tamen Ατελεία, ab A privativo, ac Τελῶν, quod eſt *Cenſus* dicta, Immunitas ab Oneribus ideſt, ut explicatur a *Pertinace* Imp. apud Herodianum lib. 2., ſingulare veluti privilegium, Urbibus pleriſque, aut beneficii rependendi gratia, aut gratiam aucupandi obtentu, etiam conceſsa legitur, uti Delphis, aliiſque Peloponneſi Civitatibus ab Athenienſibus, & Lacedaemoniis, teſte Thucydide lib. 5; uti Judaeis a *Demetrio* II. Syriae Rege, teſte Joſepho Antiq. lib. 13. cap. 5; ut a Romanis qua Colophonienſibus, Cumanis, Melaſſienſibus, Laziis &c. apud Polybium in Excerp., & Procopium de Bello Perſ. lib.2. cap. 15, uti Selinuntiis, ac Syracuſanis, de quibus Xenophon, videndusque Vandalaeus diſsert.9. cap. 3. p. 781. ſq.; qua Magneſiis, Apolloniis, Apamaeis, & Byzantinis apud Tacitum Annal. lib. 1. cap. 47, & lib. 12. cap. 58; uti Leptinenſibus in Africa, & Atrebatenſibus in Gallia a *Caeſare*, Tarſenſibus ab *Auguſto*, Trojanis a *Claudio* apud Caeſarem de Bello. Civ. cap. 14, & Svetonium in *Claudio* cap. 25: videndique Spanhemius ad Conſt. Ant. Imp. Exerc. 1, Vaillantius de Colon. Imp. T.I. &c. Militem quoque Urbes *Autonomia* illuſtres vel foederatum ad Hyberna recipere, vel proprium communes adverſus hoſtes ad bella ſuppeditare debebant, qua de re Strabo lib. 8, Livius lib. 35. cap. 46, Dio lib. 55, Plutarchus in *Pompejo*, Tacitus lib. 1. cap. 51; vel Militari copia fines Imperii contra hoſtium impreſſiones tueri, teſtibus Capitolino in Anton. Pio, Procopio de Bello Perſ. lib. 2. cap. 15., &c., adeundique Spanhemius Orb. Rom. cit. exerc. cap.13. p. 256, & Guaſcus cit. diſſert. de Auton. p. 268. ſqq.

V. Ex hiſce jam vero de *Autonomia*, *Eleutheria*, & *Ateleja* hactenus, abundeque diſputatis, quid eae praeferant, in quo differant, quidve conferant, liquido, aut ego fallor, dignoſcitur. Itaque pro rei colophone ſupereſt, ut Provinciarum, Urbiumque, queis iſtiuſmodi *Autonomiae* privilegium, quod

quod non fuit aliud, ut pluries indicavi, quam integra propriis agendi Legibus, ſubque propriis degendi Magiſtratibus facultas, unde novo cum hoc beneficii genere novae, prioribus abolitis, paſſim exoriri viſae ſunt Epochae, ab eo quammaxime tempore, quo in Romani Populi devenere poteſtatem, indultum fuit, brevem, ut fieri poterit, indicem ſubtexam. Atque principio quam avitae Religionis, acceptorumque a Majoribus Rituum retinentiſſimi *Judaei* fuerint, quanta cum Seleucidis, cum Lagidis, cum Romanis ſuis pro Aris, focisque deſperatis illis conſerta fuerint praelia, ſanguinem cum vita profundere paratis, potius quam latum vel unguem a patriis deflectere moribus, ignorat nemo. Integras itaque indeflexi Genti ingenii Sacrorum leges fore ſervandas, intactaque patria inſtituta permittenda Romana e re cum a *Pompejo*, tum deinde a *Gabinio* exiſtimatum tradit Appianus in *Mithridaticis* p.251. Etſi enim Hieroſolyma capta, a *Pompejo* Romani Populi ſtipendiariam Urbem factam; quin a *Gabinio* perinde in quinque *Juridicos* Conventus, in quibus Jus a Romano Judice diceretur, Judaeam fuiſſe partitam, in quinque praecipuis Urbibus conſtitutos *Hieroſolymis*, *Gadara*, *Amathunte*, *Jerichunte*, & *Sepphoria* ſcribat Joſephus Antiq. lib.14. capp. 8, & 10, liberas tamen a *Pompejo* Judaeis relictas Urbes quinque *Gazam*, *Joppem*, *Doram*, *Stratonis Turrem*, deinde *Caeſaream* dictam, & *Gadaram* idem ſubjungit capp.10, & 13. Inviolatas etiam Judaeis ſuas fuiſſe Leges ſervatas inde certo arguere fas eſt, quod Pontificis nomine Judaeorum Sacris a *Pompejo*, & a *Gabinio* praefectus *Hircanus* fuerit. Tam vero deinde confirmata Judaeis indigenis, quam magis ad Judaeos extra Judaeam gentium ubivis in Aſia, Romae imo degentes *Autonomiae* indulgentia amplificata legitur tum a *Julio* Caeſare, cujus ea de re Decreta Joſepho Antiq. lib.14. cap.19. memorantur; tum ab *Auguſto*, ad quem ſplendidae de Judaicarum legum Jure, ac libertate a Judaeis miſſae legationis mentio fit ab eodem Joſepho Antiq. lib.16. cap. 6, lib.17. cap. 13, & de Bello Jud. lib.2. capp.1, & 3, nec non a Philone in legat. ad Cajum p.1014; tum a *Tiberio*, a quo in Judaeorum gratiam patrias Leges, gentiſque Caeremonias integras, ple-

na

na cum Judiciorum libertate, fuiſſe relictas Philo ibidem perhibet. Iſtiuſmodi vero *Autonomiae* Judaicis aliis Urbibus ab Auguſtis indultae fidem indubiam faciunt, de *Aſcalone* Plinius lib.5. cap.13; de *Capitoliade* Severi Nummus apud Holſtenium in Not. ad Stephanum de Urb. p.159, Noriſium de Epochis Syromaced. Oper. T. II. edit. Veron. p. 337. ſq., ac Cellarium Geogr. Antiq. T.II. p.535; de *Arethuſa* Nummus in Cimeliarchio Regio, quo de Spanhemius Orbis Rom. Exercit. 2. §.14. Antiq. Rom. T. XI. edit. Ven. p.111: quod ipſum de *Azoto*, & *Jamnia* ferri ex Joſepho Antiq. lib. 14. cap. 8, & de Bello lib.1. cap.5. judicium Noriſius jubet de Epochis Syromaced. diſſert. 3. cap. 9. §. 7. p. 353; de *Dora* Trajani, & Hadriani Nummi apud Harduinum p. 51, Noriſium loc. cit. p. 477. ſqq., ac Spanhemium de Praeſt. Num. p. 779, ubi Ἱερᾶς Ἀσύλϗ Ἀυτονόμϗ *Sacra*, *Inviolabilis*, *Libera* nuncupata legitur; de *Hippo*, *Scythopoli*, *Pella*, *Raphia*, *Philadelphia*, *Dione*, & *Gaba* idem ex Joſepho Antiq. lib. 14. cap.8. cum Noriſio cit. diſſert. 3. cap. 9. §.5, diſſert.4. cap. 5. §.6, & diſſert.5. cap.3. p.346, 483, & 515. ſq. ferendum judicium: ſed de his, aliiſque hiſce ſimilibus fuſius infra.

VI. Inſitam a natura libertatem, ſuiſque agendi legibus, moribuſque licentiam nulla tam vecors Gens uſpiam, jugique patiens, quae ſibi impune eripi paſſa ſit, ut e re magis expedire ſcite Romani exiſtimaverint domitas Nationes ab avita Legum ſuarum ratione non exturbare. Itaque *Aethiopes* Thebis Aegypti conterminos, poſt etiam quam in Romanorum poteſtatem deveniſſent, Romanis attamen legibus haud fuiſſe obſtrictos, ſed receptis apud ſe moribus attemperare ſe ſe ultro citroque permiſſos adfirmat Theodoretus Therap.ſerm.9.Oper. T.IV. p.610. Ita & *Arabes*, ſive ad Sinum Arabicum Incolae *Saraceni* Romano imperio a *Trajano* vi, armiſque ſubjugati, in libertatem deinde ab *Hadriano* adſerti ſunt, ſive quod is illius invideret gloriae, quam ipſe adſequi deſperans, obſcurare maluit, ſive quod is illos diu in officio cohibere poſſe diffideret, quos ideo ſuo permittere Juri, quam invitos retinere ſub jugo duxit, qua de re Eutropius lib. 8. cap. 6, Spartianus in *Hadriano* cap. 5, Ruffus in Brev., Euſebius, ac S. Hiero-

ny-

nymus in Chron. ad an. 1. Olymp. 224. Oper. T. VIII. edit. Vallarſ. p. 701. Queis auctoribus & illud diſcimus eadem ratione *Aſſyrios*, *Meſopotamenos*, & *Armenios*, ante a *Trajano* ſubjugatos, Romaniſque obtemperare Legibus, atque ſubeſſe Magiſtratibus juſſos, coactoſque, ab *Hadriano* priſtinam in libertatem adſertos, patriiſque Legibus fuiſſe reſtitutos, quod nempe vel Deceſsoris gloriae detrahere voluiſset, vel Gentes illas Romani intra fines imperii continere diffideret. Sub Belli ſecundi Punici exitu *Poenis* integram a Romanis, liberamque ſuis agendi legibus, ſuis vivendi moribus, ſuiſque obtemperandi *Suffetibus* facultatem relictam fuiſse, quae Belli totius, tamque Sacri caput, & ſumma fuerat, quam compoſitae tandem pacis conditio praecipua, liquidi ſunt teſtes Livius lib. 30. cap. 37, ac Polybius lib. 15. p. 705. *Cyrenaeis* in Libya *Sacrae*, ac *Liberae* Civitatis Jus, quod arcte Genti cordi infixum haerebat, ut veluti pro natis, ac liberis, Aris, & focis pro eo in pugnam ruere non deſiſterent, adſcriptum tandem legitur in *Auguſti* Nummo apud Goltzium in Theſau. p. 219: quod ſane Jus ab *Auguſto* impetratum fuiſse dubitare nefas eſt. *Leptim* etiam in Byzacena Urbem inter alias *Liberam*, ac *Immunem* Civitatem, Romanorum videlicet indulgentia factam, pronunciavit Hirtius Belli Afric. cap. 7. Eodem *Autonomiae*, ſive *Eleutheriae* jure donatae in Numidia *Bulla Regia*, *Tagaſta*, & *Capſa*; in Zeugitana *Theudalia*, *Clupea*, *Curubis*, & *Neapolis*; in Byzacena *Adrumetum*, *Ruſpina*, *Thapſus*, *Leptis*, qua de modo, *Acholla*, & *Zella*, queis de Strabo lib. 17. p. 572, aliaeque Urbes xxx: referuntur Plinio lib. 5. cap. 3. ſq. In Thracia *Byzantium*, antea *Lygos* dictum, *Liberae* conditionis, *Abderam* etiam *Liberam* Civitatem adpellare Plinius haud dubitavit lib. 4. cap. 11; qui praeterea cap. ſq. 12. *Thaſſum* item, olim *Aeriam* dictam, contra Montem *Athon* in Thracia, Inſulam libertatis titulo inſignitam adfirmat. *Aenum*, & *Maroneam* etiam ab *Antiocho* ereptas in Thracia Urbes in libertatem a *Fabio* adſertas fuiſse, ſuiſque reſtitutas legibus, ac Judicibus refert Livius Dec. 4. lib. 7. cap. 43. Poſtea tamen a *Veſpaſiano* cum Achaja, Lycia, Rhodo, Samo, Cilicia, & Commagene in Romanae Provin-

ciae

Digitized by Google

ciae formam redactam fuiſse cum Byzantio *Thraciam* tradunt Svetonius in *Veſpaſiano* cap. 8, Eutropius lib. 7. cap. 19, ac Euſebius in Chron. ad an. 2. Olymp. 213. Oper. S. Hieron. T.VIII. edit. Vallar. p. 679. ſqq. Ubi loco *Thraciae* legendum ratus *Tracheam*, ut cum *Cilicia* eam conjungat, ſenſuſque ſit *Trachea-Ciliciae*, eumque ſequuti Svetonii, & Eutropii editores pro *Thracia* ſufficientes *Tracheam* inde refelluntur a Cellario, Hearnio, & Vallarſio, quod melioris notae Codices *Thraciam* habeant, atque *Thraciam* legendam docet *Byzantii* nomen adjunctum. Ad haec *Lazos*, *Tzanos*, & *Abaſgos* in Colchide Romanis ita fide, obſequioque fuiſſe ſubjectos, obnoxioſque, ut ab his Regem quidem acciperent, Imperiique fines ab hoſtium impreſſionibus tueri tenerentur, a pendendo tamen tributo prorſus immunes eſſent, propriiſque integri permiſſi Legibus, Judicibuſque, teſtes accedunt locupletes Procopius de Bello Perſ. lib.2. cap.15, & Agathias lib. 5. ſub initio, ubi & conferenda Juſtinianaea Novellarum Praefatio, ac Praefatio Novellae 28.

VII. Pro *Autonomia* tamen, qua priſca integra ſervanda, qua poſt ampliori impetranda, magna ſub Perſis, ſub Seleucidis, ſub Romanis animorum contentione *Aſiae* prae aliis Urbes viriſſim certaſse, nullumque loco non moviſse lapidem, donec voti compotes fierent, multa profecto nos docent. Et quidem *Aſianos* a Perſarum legibus abſuiſse ſemper, Perſiſque ſaepe vectigalia pendere refugiſse teſtatur Aeſchyllus Perſ. v. 586. Devicto *Xerſe*, *Jonios* continuo a Perſis defeciſse tradit Herodotus lib.9. cap.5; *Graecos* etiam illico, vehementique animorum aeſtu ad priſtinam adſpiraſse libertatem ſcribit Xenophon Exped. Cyr. lib.3. cap.1. §.8. Cum *Artaxerſe* pacis ita pacta fuiſse cum *Atticis* conventa, eaque conditione ſancita, ut Graecanicae per Aſiam Urbes prorſus ad unam omnes ſuis agere Legibus, ſuoſque apud Judices finire lites permitterentur, fide adfirmat ſua Diodorus lib.12. p.275. Bello cum *Philippo*, & *Antiocho* a Romanis confecto, *Aſiaticis* Urbibus integra reſtituta fuiſse *Autonomiae* jura teſtes accedunt locupletes Appianus in *Syriacis* p.111, Polybius in Excerp. legat. cap.17. p.769, ac Livius lib.33. cap. 15. Confirmatur id vero

ſingulatim de *Syriae* Civitatibus, uti de *Antiochia* Aſsyriae, ſeu in Arbelitide, ubi *Darius* ab *Alexandro* debellatus eſt, *Niſibi* deinde Plinio lib. 6. cap. 13. dicta, Nummis *Alexandri Severi*, & *Gordiani Pii*, in quibus *Genii* caput turritum, ac velatum ſymbolum eſt ſane Urbis Metropolis, ac Liberae: uti de *Antiochia* Syriae teſtimonio Porphyrii in Excerptis Scalig. Euſeb. p. 62, pretio a *Pompejo Autonomiae* jus ab illa redemptum referentis, Plinii lib. 5. cap. 21. *Liberam Antiochiam* pronuntiantis, Auctoris Chron. Alex. p. 187. edit. Pariſ., Ven. p. 149, & Joh. Malalae in Chronog. lib. 9. edit. Ven. p. 91, a *Julio* Caeſare Jus illud *Libertatis Antiochiae* die 20. *Artemiſii*, ſive Maji, (quo ideo a die Antiochenis annorum initium deduci cepiſſe arguunt Scaliger in Not. Euſeb. p. 156, 240, & Iſag. Canon. lib. 3. p. 301, Petavius Doct. Temp. lib. 10. cap. 64, & Animad. ad S. Epiph. p. 192, ac DuCangius in Not. ad Chron. Paſch. p. 431; contra negat Valeſius in Notis ad Evagrium lib. 1. cap. 12. a Novembri anni cardinem ab Antiochenis duci contendens, qua de re alibi, videndique Hervvartus in Chronol. capp. 205. ſq., & 211. ſqq., Goarus in Not. ad Syncellum edit. Ven. p. 67, Grandamicus in Chron. Chriſt. Par. II. p. 56, ac Spanhemius de Praeſt. Num. p. 866.), confirmatum fuiſſe adfirmantium, ac ex Nummis apud DuCangium loc. cit., Spanhemium p. 789, Noriſium de Epochis Syromaced. p. 167. ſqq., Harduinum in Num. illuſt. p. 21. ſq., & Froelichium Num. Antiq. p. 43, & 74: ubi aut caput *Jovis* turritum, & velatum, quod Poteſtatis, ac Libertatis eſt inſigne, conſpicitur, aut Epigraphe Αὐτονόμου legitur: uti de *Seleucia* libertate a *Pompejo* donata teſtimonio Strabonis lib. 16. p. 751, Eutropii lib. 6. cap. 14, & Plinii lib. 5. cap. 21, ac Nummis *Auguſti*, & *Caji*, queis de Spanhemius p. 789, Noriſius p. 278. ſqq., & Harduinus p. 152, aliiſque a Vaillantio Hiſt. Reg. Syr. p. 348, 357, & 378. productis: uti de *Laodicea*, quae & *Julias* dicta eſt, fide Plinii lib. 5. cap. 20, Nummique *Elagabali* cum Deae *Syriae* effigie caput turritum, ac velatum habentis, quod *Autonomiae* indubium eſt argumentum: uti de *Apamea* in Nummis apud Froelichium p. 74: uti de *Samoſata* liquet ex Nummo Gazae Mediceae apud Noriſium de Epoch. p. 145, ac Froelichium p. 110. *Phoeniciae* quoque Ur-

Urbibus tam ſub Seleucidis, quam ſub Romanis, aliquo tamen non abſque ſumptu, ſuis vivere Legibus, ſuiſque ſub Judicibus degere auctoritas ſacta legitur. Atque in hiſce *Tyrios* in *Autonomiae* poſſeſſione a *M. Antonio* ſervatos fuiſſe teſtis accedit Joſephus Antiq. lib. 15. cap. 4; cujuſce *Autonomiae* fidem abunde praeterea facit antiquus Lapis apud Scaligerum Iſag Canon. p. 301, & Gruterum Inſcript. p. 1105, in quo ſervatur Graeca Tyriorum, qui Puteolis habitabant, ad eorum Metropolim *Tyrum* Epiſtola, anno Aerae Chriſtianae 174. exarata, in qua *Tyrus* Phoeniciae Metropolis ambitioſo *Sacrae, Inviolabilis, ac ſuis utentis Legibus* titulo nuncupatur. *Tripolitis* etiam pleno ſuae libertatis jure potiundi, atque patriis agendi legibus facta poteſtas in Nummis Αὐτονόμȣ inſcriptis apud Spanhemium p. 789, Harduinum p. 172. ſq., ac Noriſium de Epoch. Syrom. p. 102. ſq. inſpicitur: cujuſce de Urbis ſingulari Epocha ſuo fuſius agendum loco recurret.

VIII. Devicto ultimo Macedonum Rege *Perſeo*, a Romano Senatu, Populoque decretum, ut *Macedones* impoſterum omnium primi *Liberi* forent, Urbes, Agroſque in poteſtate retinerent, patriis agere Legibus, proprioſque ſibi Magiſtratus praeficere fas ipſis foret, integraque facultas, auctor eſt locuples Livius lib. 45. cap. 29. Cum quo facit Plutarchus in Aemilio p. 270, *Macedones* de decem Legatorum ſententia *Liberos* fuiſſe declaratos adfirmans. Poſt quin etiam, quam tum Macedoniae Leges nonnullae a *Paulo Aemilio* praeſcriptae ſunt, queis de Livius cap. 32, Plutarchus loc. cit., & Juſtinus lib. 23. cap. 32, tum Macedoniae *Libertas* quaſdam ad Urbes coarctata eſt a *Julio* Caeſare, ipſo teſte de Bello Civil. lib. 3. cap. 34; attamen tum *Amphypolis*, tum *Amantina*, tum *Scotuſſa*, tum *Oreſte* ſpeciatim *Liberae* Civitatis titulo Plinio lib. 4. cap. 10. inſignitae leguntur. Cujuſmodi *Liberae* conditionis fuiſſe quoque in litoris flexu *Theſſalonica* eodem loci Plinio dicitur. Sed & *Theſſalos* longe ante libertatis retinentiſſimos fuiſſe ſuae liquet ex Euripide Alceſt. v. 677. Eoſdem *Liberos* deinde ſuis a Legibus a Romanis, devicto *Philippo*, declaratos fuiſſe, ſolemnis vi ſcilicet illius Decreti, quo in libertatem adſerti Graeci univerſim fuerant, teſtes accedunt liquidi Polybius in Excerpt.

Legat. cap.9. p.797, ac Livius lib.33. cap.32. Quamvis autem poſtea libertatis, qua abuti ceperant, pars adempta *Theſſalis* fuiſſet, integram denuo a *Julio* Caeſare, ideo quod ii ab ejuſdem partibus contra *Pompejum* ſtetiſſent, ipſis fuiſſe datam, aut redditam refert Appianus de Bell. Civ. lib. 2. p. 482. Ad haec in Theſſalia tam *Pharſalia* Civitas *Libera* dicitur Plinio lib.4. cap.8, quam *Phtia*, qua de Stephanus de Urb. p. 344, *Liberae* conditionis in *Pyrri* Regis Nummo apud Seguinum p.51. oſtenditur, ubi cum Muliebri capite turrito, velatoque, quod *Autonomiae* indicio eſſe ſaepius innui, exhibetur. *Ilienſes*, praeter agrum, & a publicis oneribus immunitatem, amplam a *Julio* Caeſare libertatem conſequutos fuiſse docent Strabo lib. 13. p. 595, ac Plinius lib. 5. cap. 30; eamdemque ipſis perinde, rogante *Nerone*, fuiſse confirmatam a *Claudio* diſcimus ex Svetonio in *Claudio* cap.25. Sui juris compotes *Illyricos* a Romanis itidem factos, relictoſque fuiſse fide adfirmant ſua Diodorus in Excerpt. Legat. p. 317, Livius lib. 45. cap.20, & Johannes Antioch. in Excerp. Conſtant. p.790. In Illyrico vero *Dyrrachium* ſpeciatim *Liberam* Urbem Tullio Epiſt. lib. 14. ep. 1. praedicatam liquet. In Aſia Civitates inter alias, quae Romanorum indulgentia *Autonomiae* jure potitae ſunt, *Aſtypalaea* Inſula locum habuit, inter Cyclades recenſita Stephano de Urb. p.55, *Liberas* inter Urbes Plinio lib.4. cap. 12. ſtatuta: quo ſane *Libertatis* loco ab eodem ibidem poſita legitur altera Cycladum Inſula *Aegina*, ubi celebres olim Sacrae *Hecatae*, *Apollini*, *Dianae*, *Libero Patri*, & *Aeſculapio* Aedes, queis de Pauſanias in *Corinthiacis*, ſive libro 2. cap. 29. edit. Kuhn. p. 177. In hunc ipſum *Autonomia* illuſtrium Civitatum cenſum relatae ſunt in Inſula Lesbos *Mytilene* a Plinio lib. 5. cap. 31, qua de rurſus infra; *Chios* Inſula altera item ab eodem ibidem; cui jungendus Polybius in Excerpt. Legat. cap. 36. p. 844. amplo *Chium* a Romanis *Autonomiae* jure donatam referens: quae Inſula & una fuit ex Joniae Civitatibus XIII. foedore copulatis, quibus Jonum *Commune*, Strabone teſte lib.14. p.633, conſtabat, quae reliquae erant Epheſus, Miletus, Myus, Lebedos, Colophon, Priene, Teos, Erythrae, Phocaea, Clazomenae, Samos, & Smyr-

& Smyrna. Inſula *Corcyra* item *Liberae* conditionis adcenſita Civitatibus legitur Plinio lib.4. cap.12, videnduſque Cujacius Obſervat. lib.10.cap.35. In *Creta* Inſula, quam antequam a *Metello* Romano ſubigeretur imperio, ampla potitam *Autonomia* tradit Dio lib.36. p.8, *Lappae*, & *Cydoni* alias inter Urbes conceſsam ab *Auguſto* poſt Victoriam *Actiacam*, egregium ob praeſtitum auxilium, libertatem auctor eſt idem Dio lib.51. p.443. *Coo* Inſulae quoque ob *Latonae* primum, ac *Aeſculapii* poſtinde reverentiam, ac religionem a tributis immunitatem a *Claudio* tributam teſtatur Tacitus Annal. lib. 12. cap.59. edit. Baſil. 1544. p.166.ſq. Inſulae praeterea tam *Rhodus*, quam *Samos* in Aegeo Mari ad oram Occidentalem Plinio lib. 5. cap. 31. *Liberae* conditionis titulo illuſtratae leguntur: ac *Rhodios* utique tam pro ſe, quam pro Graecis in Aſia reliquis de libertate, ſuiſque de legibus apud Romanum Senatum admodum ſollicitos ſe dediſse teſtis eſt Polybius in Excerpt. Legat. cap.28. p.832; quin *Rhodi* cuſum *Neroni* Nummum proferunt Spanhemius de Praeſt.Num. 784, & Froelichius p.109, ubi Ελευθέρϋ titulo, quo a *Claudio* mulctata fuerat, Dione lib. 60. p. 681. teſte, decorata, a *Nerone* nempe, Urbs conſpicitur, ac traditur a Tacito Annal. lib.12. cap. 58, atque Svetonio in Nerone cap.25. *Samiis* vero pro mercede hyemis apud ipſos ab *Auguſto* tranſactae, cum Aſiae Civitates ordinaret, libertatem fuiſse impertitam auctores ſe praeſtant Dio lib.54. p.525, & Euſebius in Chron. ad an.3. Olymp.190. Oper. S. Hieron. T.VIII. p.629: quo loci ab Euſebio biennii metachroniſmo peccatum fruſtra pugnat Scaliger, eo ſiquidem anno Sami hyemaſse *Auguſtum* ex Dione conſtet. Quo etiam *Autonomiae* titulo a Plinio lib. 4. cap. 1. nobilitatae leguntur in Epiro *Nicopolis* prope *Actium* victoria *Auguſti*, ac nobili *Apollinis* Templo nobilior; in Aetolia *Aenos* lib. 4. cap. 11; ac in Phocide *Delphos* veteri, frequentatoque *Apollinis* oraculo celebratiſſima lib.4. cap.3. *Rhodum* tamen, ac *Samum* a *Veſpaſiano* ſubinde cum aliis in Romanae Provinciae formam redactas fuiſse ſcribunt Svetonius in Veſp. cap. 8, Eutropius lib.7. cap. 19, & Euſebius in Chron. p.680. ſq.

IX. Graecas aſt enim inter Gentes, quae de *Autonomia*,

mia, qua veteri in tuto ſervanda, qua nova deinceps adquirenda ſupra modum ſollicitae fuere, *Achaei* profecto memoriae proditi ſunt. *Achajae* namque univerſae, quam uni pridem Urbi *Patrae Auguſtus* indulſerat, libertatem a *Domitio Nerone* obnixis exorato precibus, votiſque inflexo fuiſse impertitam docent Svetonius in *Nerone* cap. 24, Dio lib. 63. p. 720, Plinius lib. 4. cap. 6, Pauſanias in *Achaicis*, ſive lib. 7. cap. 17. p. 563. ſq., ac Philoſtratus in vita Apollonii lib. 5. cap. 14. *Achajae* deinde, una cum aliis, libertatem a *Veſpaſiano* ademptam, teſtibus Svetonio in Veſpaſ. cap. 8, Philoſtrato loc. cit., Pauſania loc. cit. p. 564, Eutropio lib. 7. cap. 19, & Euſebio in Chron. ad an. 2. Olymp. 213. verſ. S. Hieron. p. 679. ſqq., ubi *Achaeos* una cum Graecis aliis in ſeditionem lapſos tributa perſolvere, Praeſidique Romano parere deinceps a *Veſpaſiano* juſsos fuiſse, unaque cum Lycia, Rhodo, Samo, Byzantio, Thracia, Cilicia, & Commagene in Romanae Provinciae formam redactam *Achajam* referunt, libertatem, inquam, *Achajae* a *Domitiano* fuiſse reſtitutam inde Vaillantius de Colon. Imp. T. I. p. 199. infert, quod nulli hactenus ſub *Veſpaſiano* cuſi *Corinthiorum*, quibus eadem cum *Achaeis* ſors fuit, & cauſsa, occurrant Nummi, qui ſub *Domitiano* procuſi haud pauci adhuc proſtant. Quae ratio Spanhemio Orb. Rom. exercit. 2. §. 16. Antiq. Rom. T. XI. p. 124. ſqq., ejuſque Exſcriptori Pitiſco in Lex. Antiq. Rom. T. II. edit. Ven. p. 229. infirma viſa eſt, ideo quod, praeterquam quod de libertate hac a *Domitiano Achajae* reſtituta altum obtinet omnes apud Scriptores ſilentium, non eadem fuerit *Corinthi*, uti nec *Patrae*, quam reliquae *Achajae* ratio: erat enim utraque illa Urbs Romana Colonia, ideoque Immunitate donata, ut ut altera Urbium aliarum conditio eſset. Aſt enim mox ſub *Trajano Autonomia* illuſtres *Achajae* Urbes nonnullas fuiſse, ideoque aut non omnibus, ſed aliquibus dumtaxat *Achajae* Urbibus libertatem a *Veſpaſiano* fuiſse ademptam, uti Spanhemio videtur, aut aliquibus, etſi non omnibus *Achajae* Civitatibus, a *Domitiano*, aut a *Trajano* reſtitutam fuiſse libertatem, ut cum Vaillantio ego verius exiſtimo, inde liquido patet cum ex Plinio epiſt. lib. 8. epiſt. 24, qua *Maximo* ad ordinandas *Liberas Achajae* Civi-

Civitates a *Trajano* miſso eaſdem illi obnixe commendat; tum ex Nummo *Veſpaſiani* apud Goltzium in Theſ. p.236, & Holſtenium in Stephanum p. 337, ubi *Hypereſia* Τῆς Ἱερᾶς Αὐτονόμου *Civitatis Sacrae, ac liberae* titulo inſignita conſpicitur. Junge, quod eadem, quae *Achajae* obtigerat, a *Veſpaſiano* ſors etſi *Lyciae*, ac *Ciliciae* etiam incubuerit, paullo poſt tamen *Lyciae*, atque *Ciliciae* Urbibus reſtitutam a *Domitiano*, aut a *Trajano Autonomiam* fuiſse infra planum fiet: quo fit veri quam ſimile idem cum *Achajae* Civitatibus indulgentiae genus adhibitum fuiſse.

X. Graecas ad Civitates alias eodem *Autonomiae* nomine illuſtres nunc accedendo, principio locuples auctor eſt Polybius Legat. 37. *Cnejum Manlium* Στρατηγόν Proconſulem, una cum Legatis decem Roma profectum Apameam, (U.C. anno 566, Chriſti ante natalem 188.), Senatus Romani decreto declaraſse *Varias Civitates liberas immunes eſſe* Ἀπελυσαν Τῶν φόρων a Tributis ſolutas, *& Colophonios, qui Notium habitant, Cymaeos, Mylaſſenſes* Ἀφορολογήτους a Tributis liberos *dimiſiſſe*. Adhaec in Jonia *Phocaeae* Urbi antiquas leges integras a Romanis fuiſse relictas, una cum Agro ab onere immuni, tradunt Livius lib.38. cap.38, ac Polybius in Excerpt. Legat. cap. 36. p. 884. *Epheſus* in *Veſpaſiani* Nummo apud Goltzium p.214, cum Ἱερᾶς *Sacrae* nomine, Αὐτονόμου *Liberae* Civitatis, ſuiſque agentis legibus titulo decorata legitur. Praeterquam quod eidem pleriſque cum aliis *Joniae* Urbibus *Omonojam*, ſive concordiam intercesſiſse, Epheſique *Joniae* totius Κοινόν, ſive *Commune* frequentari, quod utrumque *Autonomiae* indicium eſt, conſueviſse ex Nummis abunde fit evidens: quo de argumento fuſius alibi, infraque Proleg. VII. *Smyrnae*, praeterquamquod & in ea totius *Aeoliae* Conventus agi conſuevit, eique multis cum *Aſiae* Civitatibus foedus, & concordia fuit, qua de alibi, *Sacer, ac Liber Senatus* conſediſse conſpicitur in Nummis *Auguſti* apud Goltzium p. 232, Occonem p.183., ac Froelichium p. 113. Quos magis illuſtrat Nummos Polybii in Excerpt. Legat. cap.28. p.832. auctoritas, ubi tradit *Smyrnam* olim Urbem ſuis uti legibus, ſuaque plane frui libertate a Romanis fuiſse permiſsam. *Erythraeos* etiam, ob fidem

fidem Romanis in bello adverſus *Antiochum* praeſtitam, magnis adfectos fuiſse beneficiis, Agro donatos, ſuiſque legibus integre derelictos auctorem ſe praebet idem Polybius in Excerpt. legat. cap.36. p.844. *Tejorum* adhaec Regio, & Urbs *Sacra*, *Inviolabilis*, & a Romani Populi tributis *Immunis* Ἀφορολογητής, Senatus Romani decreto, a *Marco Valerio Meſſala*, (qui Romae Conſul U. C. anno 566, Chriſti ante natalem 188. exivit), declarata legitur in eximia Inſcriptione Graeca a Gisberto Cupero primum edita in Epiſtola 2. ad Bignonium Epiſt. Critic., Litt., Hiſt. &c. p.195.ſq. In Mari *Jonio* vero Inſulae duo *Cephalenia*, & *Zacynthus* Plinio lib.4. cap.12. *Liberae* conditionis utraque pronuntiatur. In Boeotia *Theſpia*, & *Tanagra* liberas inter Graecas Urbes locum etiam illuſtrem occupaſſe leguntur apud Plinium lib.4. cap.7. Ad haec *Athenas* in Attica, (queis olim reddita ab *Antigono* Macedoniae Rege libertas anno 1. Olymp. 131, ante Chriſti natalem 256. fertur), & in *Laconica*, ubi Urbes alias a *Laconum* legibus ab *Auguſto* fuiſſe exemptas refert Pauſanias in *Lacon.*, ſive lib.3. cap.21. p. 264.), *Spartam* in Graecarum Urbium, quae libertate gaudebant, ſuiſque agebant legibus, cenſum utramque refert Plinius Senior lib. 4. cap. 7, ac Junior Epiſt. lib.8. ep.24, ubi *Maximo* ad Graecas ordinandas Civitates miſſo id inculcat, ne *Athenis*, ac *Spartae* reliquum, quod inerat, libertatis eripere, imminuereque tentaret. Sed & *Athenienſibus*, poſt ſuam ad *Mithridatem* defectionem, facti poenitentibus a *Sulla* libertatem ante denuo adſertam tradunt Strabo lib.9. p.198, ac Plutarchus in *Sulla* p.478. Quin & ipſis veniam, quod pro *Pompejo* ſtetiſſent, perinde rogantibus leges a *Julio* Caeſare fuiſſe confirmatas ſcribit Appianus de Bell.Civ. lib.2. p.482. *Aetolos* ad haec a Macedonum jugo in libertatem a Romanis adſertos laetitiae cauſſa *Iſthmios* magna celebraſſe ſolemnitate tradit Livius Dec. 3. lib.6. cap. 19, & in Myſia *Lampſacum* Urbem *Eleutheria* gaviſam diſcimus ex Inſcriptione 82. apud Sponium in Miſcell. Erud.Antiq. p.1345.

XI. Graecis equidem Civitatibus, quae tum ad *Mithridatem* defecerant, tum inhumano *Mithridatis* juſſu violentas, trucesque Romanos in Cives manus injiecerant, tam *Quinquena-*

Digitized by Google

nalis tributi, Appiano teſte in Mithrid. p. 213, ſive viginti millium Talentorum, Plutarcho in *Sulla* p. 367. ſcribente, mulcta indicta, quam libertas adempta eſt: quas inter Urbes Pergamum, Smyrna, Epheſus, Adrymittum, Tralles, Caunus, & Mytilene memorantur Ciceroni Orat. pro Flacco cap. 70. ſq., Appiano in Mithrid. p. 185, & 212, Straboni lib. 13. p. 614, Vellejo lib. 2. cap. 18, ac Dioni in Excerpt. Valeſ. p. 401. Verum tam Urbibus aliis, quae in Romani Populi fide manſerunt, ut *Apolloniatis*, queis de Cicero loc. cit., *Colophoniis*, *Mileſiis*, *Cumaeis* &c., queis de Livius, integram libertatem a Romanis fuiſſe ſervatam Plutarchus in *Sylla* p. 367. ſq., ac Memnon Hiſt. cap. 37. apud Photium Cod. 224. p. 734. teſtantur, quam & illis perinde, quae ingenti alioqui perduellionis ſe foedarant ſcelere, veniam obnixe deprecantibus, libertatem fuiſſe reſtitutam tum ex Cicerone Epiſt. lib. 1. ep. 1. ad Fratrem de Proconſularis Aſiae Civitatibus id indicante colligitur; tum ex Plutarcho in *Lucullo* p. 506, ac Dione lib. 37. p. 36. a *Lucullo*, ac *Pompejo*, Mithridatico confecto bello, Aſiae Urbes fuiſſe refectas, afflictaſque earumdem Urbium res reſtauratas, Legibus redditis, quibus eae deinceps uti, agereque libere quirent, ut *Ilienſes*, ut *Chii*, ut *Troezeni*, ut *Rhodii*, ut *Lycii*, ut *Magneſii*, referentibus; tum ex Nummis haud paucis earumdem Urbium, in quibus eiſdem Urbibus *Autonomiae* veteris Jus aut ſervatum, aut reſtitutum conſpicitur. Et *Mytilene* quidem nobilis in Lesbos Inſula, cui olim *Autonomiam* cordi arcte fuiſſe teſtatam rem facit Thucydes lib. 3. p. 477, ob unius *Theophanis* Liberti gratiam, in libertatem a *Pompejo* fuiſſe reſtituta traditur Vellejo lib. 2. cap. 8, & Plutarcho in Pomp. p. 649. De *Epheſo*, ac *Smyrna* id ex modo dictis abunde conſtat. In Caria *Trallibus* concordiam cum *Epheſiis* interceſſiſſe liquet ex *Hadriani* Nummo cum *Jovis*, & *Dianae* effigie apud Harduinum p. 171: quod indicium eſt libertatis utrique communis Urbi. In Myſia quoque *Pergamo* libertatem fuiſſe reſtitutam inde augurari fas eſt, tum quod *Pergamenos* ſocietatis foedus, libertati ſane tuendae opportunum, ſaepius pepigiſſe cum *Sardianis*, *Epheſiis*, *Nicomedienſibus*, *Smyrnaeis* fit manifeſtum ex Nummis apud Harduinum p. 134. ſq.; tum quod *Pergami* ea

praerogativa fuit, Plinio teſte lib. 5. cap. 30, quod *Myſiae* totius Provincialem *Juriſdictionem* obtineret, eòque ad *Judicium* confluerent *Tyathireni*, *Mygdones*, *Moſini*, *Bregmenteni*, *Hieracomitae*, *Perpereni*, *Tyareni*, *Hierapolenſes*, *Harmatopolitae*, *Attalenſes*, *Panmenſes*, *Appollonidienſes*, aliaeque inhonorae Civitates. *Cyzicenſes* etiam, qui bello Mithridatico ampla donari libertate meruerant, Appiano in Mithrid. p. 222, Strabone lib. 12. p. 576, Tacito lib. 3. cap. 34. ſq., ac Svetonio in *Tiberio* cap. 37. teſtibus, quia poſtea Romanos in Cives truces injecerant manus, libertate a *Tiberio* fuiſſe mulctatos referunt Tacitus, Svetonius loc. cit., & Dio lib. 54. p. 525, qui poſtliminio tamen priſtinae eos libertati redditos ſubjungit p. 537. Libertate quoque, legibuſque ſuis plane frui *Troades* fuiſſe permiſſos indicat Philoſtratus de Vit. Sophiſt. lib. 2. Sed & in Caria rurſus *Autonomia* celebres memorantur Civitates Plinio lib. 5. cap. 29. *Alabanda*, ubi Provinciae totius frequentari Conventus ſolebat, de *Alabandi*, a quo condita Urbs fuerat, *Dei* loco dein a Popularibus habiti, nomine dicta, teſte Cicerone de Nat. Deor. lib. 5: *Aphrodiſia*, quam olim *Ninoen* vocitatam auctor eſt Suidas V. Νινόη T. II. p. 626; *Stratonicea Julii* Caeſaris decreto libertate donata, cujuſce Tacitus Annal. lib. 3. p. 73. meminit. *Antiochiam* ad Meandrum, cujuſce cum *Laodicea* concordia ex Nummo *M. Aurelii* adparet apud Harduinum p. 18, & *Halicarnaſſum*, ut ex Nummo liquet Gazae Mediceae apud Spanhemium de Praeſt. Num. p. 789, ſuis egiſſe legibus non dubium eſt. *Nyſae* quoque libertatis ſignum in *Hadriani*, *Sabinae*, & *Caracallae* Nummis apud Harduinum p. 126. comparet. Cujus Urbis conditoris *Athymbri* Nummum etiam rarum exhibet Sponius in Rei Antiquar. Quaeſt. diſſert. 15. Antiq. Graec., & Rom. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 484. *Cnidum* ad haec, *Triopiam* deinde nuncupatam, ubi celebre *Apollinis Triopii* fanum, ibique celebratiſſimi *Dorii* Ludi dicti *Nymphis*, *Apollini*, ac *Neptuno* a Dorienſibus agitari ſoliti, queis de Herodotus lib. 1. cap. 144, ac Scholiaſtes Theocriti ad Idyll. 17. verſ. 69; *Mylaſam* etiam liberas inter Cariae Civitates enumerat Plinius lib. 5. cap. 28. ſq.; eiſque adcenſendas tam *Diocaeſaream* item, cui cum

cum *Ceretapa* Phrygiae Civitate omonojam, ſive concordiam fuiſſe ex *Commodi* Nummo patet, Nummus *Antonini Pii* docet, ubi A'υτονόμȣ titulus Urbi traditur apud Harduinum p.50, quam *Bargylam* inſuper ex *Caji* CaeſarisNummo inTheſ.Goltzii, & Num. illuſt. Harduini p.32. diſcimus, ubi I'ερᾶς, & A'υτννόμȣ nomine Urbs decoratur; cui praeterea a *Publio Lentulo*, poſt debellatum *Philippum*, libertatem adſertam fuiſſe teſtis accedit locuples Polybius in Excerpt. Valeſ. p.86.

XII. Quae Myſiae, Pamphyliae, Galatiae, Paphlagoniae &c. Urbibus pleriſque Graecis imprudentiſſime Mithridatico implicatis bello ſors obtigerat, eadem peſſima Lyciae, Piſidiae, Lydiae, Phrygiae &c. Civitatibus oppido multis, quae *Mithridatis* partes tam infructuoſo illi, quam ſibi infelici ſucceſſu adjuvandas ſuſceperant, obvenit, priſtina nempe libertas adempta fuit, quae poſtea benigne reſtituta eſt. Et *Lyciae* quidem Provinciae Civitatibus, Mithridatico confecto bello, libertatem a *Sylla* fuiſſe redditam, ab *Auguſto* deinde, & a *M. Antonio* confirmatam diſcimus ex Strabone lib.14. p.665, & Appiano de Bell. Civ. lib. 5. p.675. Qua dein abuſi *Lycii*, adeoque, ut in Civium Romanorum caedem, facta conſpiratione, irruerint, a *Claudio* mulctati ſunt, velut auctor eſt Dio lib.60. p.676. Eamdem vero *Neronis* indulgentia denuo recuperatam ob inimicitias erga Romanos demum amittere, cum Achaja, Thracia, aliiſque, *Lycia* meruit, a *Veſpaſiano* in Romanae Provinciae formam redacta. *Pamphyliae* quoque Civitates, prius *Amynthae* Galatiae Regi adtributas, priſtinae ab *Auguſto* libertati fuiſſe reſtitutas indicat Dio lib. 54. p.534: ubi tamen conferendus Spanhemius Orb. Rom. exercit. 2. §. 15. p. 117. Pacatiores, in officioque conſtantiores *Lydiae* Civitates dignas ſe praeſtitere, quae libertate ſeram uſque ad aetatem, Romani Populi beneficio, fruerentur. Ita *Apollonideam*, quae in Populi Romani fide conſtans manſerat, *Autonomiae* privilegio cumulatam perhibet Cicero, ſollicitus quin etiam, ne ſua Urbs eadem libertate defraudaretur, in Orat. pro Flacco capp. 29, & 32, ac Epiſt. lib.1. ep.2. cap.3. ad Quintum fratrem. *Magnetes*, qui Romanas in partes contra *Mithridatem* deſcenderant, invicte-

que in eiſdem ſteterant, ampla donatos *Autonomia* indicat Tacitus Annal. lib. 3. cap. 62. In *Piſidia* libertatem a *Termeſſis* quinquaginta Talentorum pondo a *Cn. Manlio* fuiſſe redemptam, ea lege adjecta, ut pacto cum Romanis foedere, ab eo impoſterum non reſilirent, ſed quieti in Romani Populi fide, amicitiaque permanerent, tradit Livius lib. 38. cap. 15, anteque ipſum Polybius in Fragm. Legat. cap. 31. Sed & *Termeſſi* Civitatis *Autonomia* liquida conſtat tam ex Plebiſcito eidem Urbi a Romanis conſcripto, quod Lapidi Romae reperto inſcriptum primus edidit Sigonius de Antiquo Jure Provinc. lib. 1. cap. 10. Oper. T.V. edit. nov. Mediol. p. 515. ſqq., ac poſt ipſum Gruterus, ubi *Termeſſus* libera Urbs, ſuis utens legibus, amica, ſociaque Romani Populi adpellata legitur, quam ex Nummo praeterea *Thermeſſi* ſcalpto e D. Carry Maſſilienſis Muſeo a Venuto Monum. Acad. Etruſcae T. V. p. 121. inſerto, cujus & meminit Guaſcus in diſſert. de Autonom. p. 185. ſq., ubi Α'υτονόμȣ titulo Urbs decorata viſitur. Bello cum *Antiocho* profligato, a Senatu, Populoque Romano *Eumeni* Pergami Regi conceſsas *Lycaoniae*, *Phrygiae*, ac *Myſiae* Provincias, Urbeſque aliis inſuper *Lydiae*, *Joniae*, & *Cariae* refert Livius lib. 37. cap. 56; Urbibus iis tamen exceptis omnibus, quae eam ante diem, qua cum *Antiocho* pugna inita eſt, liberae fuerant, ſuiſque agere legibus permiſsae. *Phrygiam* ad haec, Mithridatico incaleſcente bello, ut ſuis videlicet partibus adſtipularent, Α'υτονομον a Romanis fuiſse decretam teſtatur Appianus in Mithrid. p. 208. In ea vero ſpeciatim *Autonomia* illuſtres *Synnadam*, *Apameam*, ac *Laodiceam* fuiſse inde fit manifeſtum, quod eiſdem in Urbibus totius *Phrygiae* viciſſim frequentatum Conventum fuiſſe ſuo infra loco palam faciemus. Praeterquam quod in *Phrygiae* Civitatum Nummis paſſim Mulieris cum velato capite, quod *Autonomiae* certum eſſe ſymbolum ſaepe diximus, effigies conſpicitur. *Galatis* etiam a Romanis libertatem ſive conceſſam, ſive conſervatam ea fuiſſe lege, ne armati extra fines prodirent, teſtis accedit locuples Polybius in Excerpt. Legat. cap. 2. p. 931. *Cappadocia* *Archelao* Regi erepta in Romanae Provinciae formam a *Tiberio* redacta fuiſse traditur Eutropio lib. 7. cap. 6, ita tamen, ut

Auto-

Digitized by Google

Autonomia frui Urbes pleraeque non deſtiterint. In quibus ſane *Trapezus* vaſto Monte clauſa Urbs Plinio lib. 6. cap. 4. *Liberae* conditionis adſeritur; *Zelι* etiam libertati reſtituta a *Julio* Caeſare novam inde Aeram, U. C. anno 708. inſtituiſſe legitur in Nummis *Juliae Domnae*, & *Caracallae*; una vero cum Ἱερᾶς, & Ἀσύλȣ titulo Αὐτονόμȣ Jus in Nummis *Hadriani*, *M. Aurelii*, *Commodi*, ac *Severi* tuliſſe, ſive retinuiſſe videntur tam *Tyana* apud Harduinum p. 174, quam *Chadiſia* in *Titi* Nummo apud Goltzium, & Harduinum p. 182.

XIII. Aſiaticis Graecis prae aliis, Civitatibus Aſiae *Proconſularis*, ſive, ut ipſe loquitur Epiſt. lib. 13. ep. 76, *Proconſularis* in Aſia Imperii, ſive Provinciae *Ciliciensis* Urbes, pace cum *Philippo* penultimo Macedonum Rege facta, Romani Populi, Senatuſque decreto, in legum ſuarum arbitrio, ſuoſque ſibi creandi Judices libertate a Romanis fuiſſe relictas, ſive veteri a Macedonum Regibus uſurpatae *Autonomiae* fuiſſe reſtitutas auctor eſt Cicero Epiſt. ad Attic. lib. 5. ep. 20, lib. 6. ep. 1. ſq., & Famil. lib. 15. ep. 4. Qua libertate profecto etſi cum *Commagene*, *Achaja*, *Lycia*, aliiſque ſupra memoratis Provinciis *Cilicia* a *Veſpaſiano* mulctata legatur apud Svetonium in Veſp. cap. 8, Eutropium lib. 7. cap. 19, & Euſebium in Chron. p. 679. ſqq., eamdem poſtea libertatem *Ciliciae* Urbes recuperaſse, eademque ſub *Hadriano* adhuc fuiſſe potitas ex Philoſtrato in Sophiſt. Vitis lib. 2. p. 547. patet; ubi ſub *Hadriano Liberis* Aſiae Proconſularis Civitatibus *Herodem* Atticum praefuiſſe ſcribit. Quam ſane praefatis Urbibus *Autonomiam* longe ante a *Myrina* Amazone eiſdem imperante, a qua *Eleuthero-Cilices* denominati Ciliciae Incolae ſunt, fuiſſe conceſsam adfirmat Diodorus lib. 3. cap. 4. p. 89; longe poſt etiam, ſeramque uſque ad aetatem conſervatam Nummi abunde confirmant cum Ἐλευθέρᾶς, ſeu Αὐτονόμȣ titulo cuſi, uti *Seleuciae* ad Calycadnum Nummi *Gordiani*, & *Philippi Sen.* apud Spanhemium p. 786, & Harduinum p. 152: uti *Sebaſte Commodi*, *Criſpinae*, & *Valeriani* Nummi, queis de Harduinus p. 157: ut *Anazarbi* Nummi *Commodi*, *Juliae Corneliae Paulae* Elagabali Conjugis, *Valeriani* &c., ubi etiam Senatus decreto *Ciliciae* res definitas conſtat: uti *Corycos Alexandri Seve-*

Severi, *Gordiani Pii*, *Philippi*, & *Valeriani* Nummi apud Occonem p.419, & Harduinum p.90., ut *Adunae*, & *Aegae Julii* Caeſaris beneficio, de quo ſuo infra loco: uti *Mopſveſtiae* Nummus in Theſ. Brandebürg., de quo Harduinus p.109; cujus Urbis *Autonomia* conſtans fit inſuper cum ex Plinio lib.5. cap.27, tum ex Lapide *Mopſveſtiae* ſub *Hadriano* ſcalpto apud Panvinium in Faſt., Gruterum p. 255. n. 4, & Holſtenium in Steph. p.212; ubi Riccardum in Notis ad Epiſt. S.Procli p.606. fruſtra locum Plinii de *Mopſveſtiae* libertate ſollicitare ex Lapide iſto oſtendit: ut *Tarſo* cum Plinii teſtimonium lib.5.cap.27, tum Nummorum fides, qua *Antonini Pii*, *Commodi*, & *M. Aurelii*, ubi Tarſi Κοινὸν *Ciliciae* frequentatum Commune legitur, qua *Septimii Severi*, & *Caracallae*, ubi Communis *Legibus* Cilicum *Tarſi* aut Ludi *Olympici* celebrati, aut Concordia cum *Iſauria*, *Caria*, & *Lycaonia* inita, aut *Libera* Urbis conditio leguntur apud Triſtanum T.II.p.215.ſqq., Patinum p.310, De Wilde p.145, ac Harduinum p.164.ſqq. Eadem a *Caſſio*, quod ab *Antonii*, & *Auguſti* partibus ſtetiſset, vaſtata, direptaque Urbs, ab *Antonio* recuperata, inſtaurataque, teſte Appiano de Bell. Civ. lib.5. p.575, libera denuo, beneficiiſque adaucta ab *Auguſto* eſt Dione Chryſoſt. teſte Orat. 2. Tarſenſi, ſive Orat. 34. p. 515. In *Bithynia* libertate compotes, ſuis egiſse legibus qua *Calchedonem* diſcimus ex Plinio lib.5. cap.32; qua *Pruſam* docet Strabo lib.12. p.653; qua *Apameam* dignoſcitur ex Plinio Jun. lib.10. epiſt.56. ad Trajanum. In *Ponto* Urbem geminam *Sinopem*, & *Amiſum* a *Lucullo*, devicto *Mithridate*, liberas fuiſse declaratas, ac Romanis a legibus abſolutas; a *Julio* Caeſare deinde *Amiſo*, poſtquam Urbs *Pharnaci* fuiſset erepta, ac poſtremo a *Stratonis* tyrannide liberata, poſt *Actiacam* victoriam praeterea ab *Auguſto* *Eleutheriam* fuiſse qua conceſſam, qua conſervatam diſcimus ex Strabone lib. 12. p. 547, Dione lib.42. p.206, Appiano in Mithr. p.228, ac Plinio lib.6. cap.2. Qua poſtea *Eleutheria* *Trajani* beneficio *Amiſum* Romanis foederatam Urbem potiri, ſuiſque uti legibus perrexiſse adnotavit Plinius Jun. lib.10. epiſt. 93. ad Trajanum; probantque liquido Nummi Ελευθέρας cum titulo *Amiſi* cuſi *Hadriano*, *L. Aelio Vero*, *Sabinae*, *Caracallae*, & *Maximino* apud Hardui-

duinum p.15, Holſtenium in Steph. p.31, & Cellarium Geogr. T.II. p.271. ſq., Aera notati, ducenda nempe a tempore, quo vel a *Pharnacis* jugo erepta Urbs in libertatem a *Julio* Caeſare adſerta eſt, U. C. anno 708; vel quo ab *Auguſto* liberata a *Stratonis* tyrannide Urbs fuit, eique libertas confirmata eſt, anno U. C. 711, aut 723, aut 724; qua de Aera ſuo fuſius loco, non ſecus atque de Aera *Amaſiae* in Ponto Metropolis in Nummis *Fauſtinae*, *Commodi*, *Septimii Severi*, *Juliae Domnae*, *Caracallae*, *Alexandri Severi*, *Juliae Mammaeae* obſignata, ab eoque nempe tempore, quo & ipſis *Eleutheria* ab *Auguſto* indulta videtur, incipienda.

XIV. Rebus denique ab *Auguſto* in Gallia, Hiſpania, Germania &c. compoſitis, profuſa indulgentia Provinciae, Urbeſque pleraeque libertate, poteſtateque ſuis agendi Legibus, ſuiſque parendi Magiſtratibus fuiſſe potitae leguntur. Ita in Gallia, ac Germania de *Nerviis*, *Sueſſionibus*, *Ulmanetis*, *Treverenſibus*, *Leucis*, *Maſſilienſibus*, *Secuſianis* &c. tradunt Strabo lib. 4. p.187, ac Dio lib. 41. p.165. Ita in *Hiſpania* Ulteriori, ubi *Juridicos* Conventus quatuor *Gaditanum*, *Cordubenſem*, *Aſtigitanum*, & *Hiſpalenſem* enumeravit, Oppida quoque *Libera* Sex, quibus duo praeterea adjungit *Aſtigim*, & *Oſtippum*, memorata Plinio lib. 3. cap. 1. leguntur: in Citeriori vero *Hiſpania*, ubi Conventus *Juridici* ſeptem *Carthaginenſis*, *Tarraconenſis*, *Caeſarauguſtanus*, *Clunienſis*, *Aſturicenſis*, *Lucenſis*, & *Bracarenſis* recenſiti ſunt, Plinio lib.3.cap.3. *Aſturicenſis* libera Capita CCXL.M., *Lucenſis* Capita libera CLXVI. M., *Bracarenſis* CCLXXV. M. referre licuit. *Italiam* quod attinet, Latii, antiquiſque Italiae Populis ipſi *Romanae Civitatis* juri ſuarum Jus legum cum libertate conjunctum longe facile fuiſſe antelatum diſcimus ex Livio lib. 9. cap. 43, ubi de *Hernicis*, *Alatrinis*, *Verulanis*, & *Ferentinis* loquitur, & lib. 23. cap. 20, ubi de *Praeneſtinis*; ex Cicerone quoque Orat. pro Balbo cap. 21, ubi de *Neapolitanis*, *Heracleenſibus*, aliiſque finitimis lege *Julia* in libertatem adſertis diſſerit. *Siculos* libertatis, ſuarumque adeo legum fuiſſe retinentiſſimos, ut ſuis inter ſe legibus certare domi Cives dediſcere & neſcirent, & nollent, docet etiam

tiam Cicero Proœm. Orat. in Verrem cap. 13, & Verr. 2. cap. 32. Atque a Romanis utique ſuis agere legibus permiſſos, ſuiſque parere Judicibus *Thermitanos*, tradit ibid. cap. 90. *Syracuſanos* etiam ex Nummis innoteſcit, ubi *Jupiter* Ἐλευθέριος ibidem cultus, *Liberatoris* ideſt nomine legitur. Ad haec in *Liberarum* Urbium cenſum adſcriptae a Cicerone in Verr. Orat. 3. cap. 13. leguntur *Mamertium*, *Tauromenium*, *Centuripina*, *Haleſina*, *Segeſtana*, *Italicenſis*, & *Panormitana*: queis *Campaniam* adjungit Livius lib. 23. cap. 5. *Sardiniae* denique quicumque ſua tradidiſſent nomina, veteris Oraculi ſponſione illos libertatem omne per aevum fore obtenturos, ſuaque adhuc ſub aetate Oraculi veritati obtemperatum referebat Diodorus lib. 5. cap. 5. p. 139. Sed hocce de argumento hactenus: qui plura deſideret adhuc, me praeſto auctorem, ut Sigonium imprimis adeat de Antiquo Jure Provinc. lib. 1. cap. 3. ſqq. Oper. T. V. edit. Mediol. p. 482. ſqq., ubi de *Autonomiae* jure *Saguntinis*, *Maſſilienſibus*, *Illyricis*, *Macedonibus*, *Theſſalis* indulto; Graeciae item Civitatibus, ac Provinciis *Atticae*, *Achajae*, *Phrygiae*, Aſiae *Proconſulari*, *Ciliciae*, *Lyciae*, *Ponti*, *Heracleae* conceſſo, ad *Carthaginem*, *Accillam*, *Leptim*, *Libyam* Cyrenaicam, *Cretam* &c. extenſo copioſe agit: cui jungendi Spanhemius Orb. Rom exercit. 2. §. 13. ſqq. Antiq. Rom. T. XI. edit. Ven. p. 101. ſqq., ipſius Exſcriptor Pitiſcus in Lex. Antiq. Rom., & Graec. T. I. edit. Ven. p. 229. ſqq., & Octavius Guaſcus in diſſert. de *Autonomia* Oper. T. II. p. 169. ſqq. Quibus omnibus loco praeſtabilitis, unde lux haud parva infra dicendis adfundetur, ad Populorum tam Orientalium, quam Occidentalium Aeras, & Epochas ordine jam noſtra progrediatur oratio.

DE AERIS, SEU EPOCHIS

Hebraeorum, Eleutheropolitarum, Hiericontinorum, Nicopolitarum, Ptolemaidenſium, Gabenorum, Tiberienſium, Sepphorenorum, ſive Diocaeſareenſium, Paneadenſium, Juliadenſium &c.

ARTICULUS I.

I. HEbraeae, Gentium antiquiſſimae, a qua proinde dicendi exordium capere opportunum ducimus, non unam, ubique ſemper, eamdemque ſupputandorum Temporum *Epocham* uſu pridem veniſſe res eſt profecto omnis extra dubitationis aleam poſita. Annos namque primum a *Diluvio*, poſtea a *Linguarum diviſione* putare ſolemni poſitum, veterique Judaeis in more fuerat. Aliis perinde ab *Ingreſſu*, frequens aliis ab *Egreſſu Aegypti*; nonnullis a *Lege* lata, ab Ædificatione *Templi* nonnullis tempora dinumerare magis adlibuit. Pro Epocha interdum *Templi* Excidium his; interdum Babylonica *Captivitas* illis adſumpta eſt; aliquando *Templi* reſtauratio quibuſdam; quibuſdam aliquando *Captivitatis* relaxatio. Rerum poſtquam in Aſia potitus eſt *Alexander* Macedo, tum Judaeis Macedonum Aera *Contractuum*, Hebraice הַשְּׁטָרוֹת *Haſciettaròth* nuncupata, frequentiori recepta uſu ſuit, ac in publicis obſignandis Actis, Inſtrumentis, atque Scripturis uſurpata, de qua fuſius infra. Poſtquam vero *Thalmudi* תַּלְמוּד Opus *Κατ' ἐξοχήν*, *Doctrinale* videlicet a לָמַד *Lamad* verbo *Diſcere* vocatum, duabus veluti partibus מִשְׁנָה *Miſchna*, a radice שָׁנָה, qua *Lex ſecundaria* ſignificatur, denominata, & גְּמָרָה *Gemara*, a radice גָּמַר, qua *Operis conſumatio* denotatur, adeo ut *Miſchna* ſit veluti Doctrinalis corporis *Textus*, *Gemara* ſit ejuſdem veluti *Commentarius*, conſtans, Δευτέρωσι, videlicet *Lege ſecunda*, ſeu *Orali* veluti, ac Τελειώσει, ejuſdem veluti Legis *Complemento*, ſive *Supplemento*, quo plane Opere poſt Moyſis Libros nihil

Judacis habetur antiquius, ad umbilicum perductum fuit, tum primum ab Orbe condito putari Tempora Judaeis occepere. Qua de Aetate, unde mos iſte cepit, ut magis conſtet, ſciendum eſt *Miſchnam* a R. Jehuda רַבִּי *Doctore*, cognominato הַקָּדוֹשׁ *Hakadoſc Sancto*, & הַנָּשִׂיא *Hannaſi Principe* dicto, celeberrimo Judaeorum Megalandro anno Mundi 3978, juxta Computum Judaicum a Davide Gantzio, & Serira Gaon initum, Aerae Chriſtianae anno 218, a Templi excidio 148. compilatam ferri: cui traditioni ſubſcripſere R. Juda ben Levi in libro *Cozri* tract. 3. fol. 27, R. Azaria in *Meor Eunajim* cap. 24. Contra vero compilatam fuiſſe anno M. 3949, ab excidio Templi 120, Chriſti 190. ſcribunt R. Abraham ben David in libro *Kabalae*, R. Menachem in Praeſ. libri *Tzedah Lederech*, R. Harravad in *Hakkabala* p. 60, & Zacuthus in *Juchaſin* p. 160: quibus adhaerent Bartoloccius, Cherubinus a S. Joſeph, Buxtorfius in Tiberiade cap. 5, qui tamen in Synagoga Jud. cap. 3. p. 59. priori ſubſcripſit o pinioni; Leuſdenius vero in Philolog. Hebr. diſſer. 26. p. 310. anno Chriſti 150. confectam cenſet; Fechtius de Eccl. Jud. p. 64. Chriſti anno 160; Morinus denique a R. Juda Hakkadoſc editam inficiatur, ſed poſt ejus obitum ſcriptam, eique ſuppoſitam: qua de *Miſchna*, ejuſque Auctore, & Aetate plura dabunt adhuc ex Judaeis, praeter eos, quos modo laudavimus, R. Maimonides in Praeſat. ad יד חזקה, R. Gedalias in *Schelſcheleth Hakkabbala* fol. 32. B, R. Abarbanel in Praeſ. ad *Pirke Aboth*, Joſephus Levita in *Halicoth Olam* cap. 1, R. Simpſon in Libro כריתות, Zachutus in *Juchaſin* p. 105, R. Azarias in *Meor Ennajim* capp. 12, & 24; e Noſtris vero Joſephus Voiſinius in Praeſat. ad Pugionem fidei Raym. Martini, Serarius de Rabbinis lib. 1. cap. 9. p. 251, Bartoloccius Bibl. Rabb. T. III. p. 349, Morinus in Exerc. Bibl. lib. 2. Exerc. 6. cap. 2. ſq. p. 294. ſqq., Cherubinus a S. Joſeph Bibl. Crit. T. II. diſſert. 9. diſp. 1. p. 612. ſqq., Auliſius de Scholis Jud. lib. 1. cap. 35. p. 232, Soucietus in diſſert. Crit. ad *Miſchnam* a Surenhuſio Amſt. editam p. 594. ſqq., aliique; ex Proteſtantibus vero Buxtorfius in Recenſione Oper. Thalm. p. 230. ſqq., Marshamus in Can. Chron. p. 158. ſqq., Triglandus de Karaitis p. 17, & 35, Hoornbe-

ekius

ekius contra Jud. lib. 1, Hardtius in Effigie Corporis Judaici praemiſſo lib. de Jejunio, Voſſius de Orac. Sibyll. cap. 16. p. 285, Baſnagius Hiſt. Jud. T. III. Par. I. edit. Hagae Com. lib. 3. cap. 6. ſq. p. 138. ſqq., Hottingerus Hiſt. Eccl. Nov. Teſt. Seculo II. p. 72. ſq., Wolſius Bibl. Rabb. T. II. lib. 4. cap. 1. p. 658. ſqq., aliique.

II. Sciendum item *Gemaram* Hieroſolymitanam, quae Babylonica annis 150. circiter antiquior eſt, elucubratam fuiſſe a R. Jochanan Ben Eliezer ex ore Rabbenu Hakkadoſc, R. Jannai, R. Oſciaajae, & R. Ezechiae acceptam, eum adjuvantibus R. Rau אריבא, & R. Samuele R. Judae *Sancti* diſcipulis, anno Mundi 4000, juxta R. Gedaliam in *Schelſcheleth Hakkabbala* p. 34. col. 1, David Gantzium in *Tzemach David* ad annum 3990, & R. Seriram Gaon in lib. *Juchaſim* p. 94, Aerae Chriſtianae nempe 270; vel anno 300. a Templi excidio, Chriſti 370, juxta Maimonidem in Praefat. ad *Jad Chaſaka*, Abarbanelem in Praef. ad *Pirke Aboth*, Eliam Levitam in Praefat. ad *Methurgeman*, Simpſonem in *Mikkenon* Par. IV. lib. בויתות *Porta*, ſive cap. 2, alioſque apud Morinum Exercit. Bibl. l. b. 2. Exer. 6. cap. 3. p. 298, ubi R. Gedaliam emendandum obſervat, ac Mundi annos, non 400, ſed 4030. illi numerari debuiſſe oſtendit; vel Aerae Chriſtianae Seculo IV, ideſt anno 230, uti Leuſdenio in Philolog. Hebr. Mixto diſſer. 12. p. 93, ſq. & Lightfooto in Centur. Chorogr. ad S. Matth. cap. 81. Oper. T. II. p. 227. ſq. viſum eſt; vel Seculo V, veluti Marshamo in Can. Chron. p. 159. arriſit; vel Seculo VII, ideſt poſt annum 650, ut aeſtimant Morinus p. 299, & Pezronius Antiq. temp. defen. cap. 2. p. 71. ſq.; vel imo Seculo VIII, velut autumat Voſſius de Orac. Sibyll. cap. 16. p. 285. Sciendum denique *Gemaram* Babylonicam in lucem emerſiſſe opera R. Aſche, non integram tamen, ſed libros 35. tantum, reliquos Codices 28. deinde a R. Mar ejus filio, & R. Maremar diſcipulo abſolutos, anno Mundi 4187, juxta R. Gedaliam loc. cit. fol. 35. p. 1, & David Gantzium in *Tzemach David* ad cit. annum, ideſt Chriſti 427; a R. Abina deinde continuatam fuiſſe, referentibus R. Gedalia loc. cit., & Zacutho in *Juchaſin* p. 75. B, a R. Joſe demum abſolutam anno M. 4260, Aerae *Contractuum* 811,

 obſi-

obſignatae *Miſchnae* 311, hoc eſt Chriſtianae Aerae 500, juxta R. Gedaliam, R. Seriram Gaon in *Juchaſin* fol. 117. B, Abraham Levitam in lib. *Kabalae*, & *Tzemach* David ad eumdem annum 4260: quibus adſtipulantur Buxtorfius in Synag. Jud. cap. 3. p. 61, Bartoloccius Bibl. Rabb. T. I. p. 484. ſqq., ubi emendandos monet Galatinum de Arcan. Cath. Verit. lib. 1. cap. 5. anno Domini 436, & Caferrium in Compendio Chronolog. p. 401. anno Chriſti 367, aut imo 357. compilatam *Gemaram* Babylonicam arbitratos; Lightfootus in Chron. Temp. de Excidio Urbis Sect. 10. Oper. T. II. p. 149, & Cherubinus a S. Joſepho Bibl. Crit. T. II. p. 627. ſq. Quamquam hanc abſolutam anno M. 4265, Chriſti 505. tradit Auctor יסוד עולם *Jeſod Holam* lib. 4. cap. 18; aut imo Aerae Chriſtianae 545. ſcribit Abarbanel in Praef. ad *Pirke Abot*, conſentitque Moyſes Aegyptius in Prooem. ad *Jad Chaſaka*: qua de re videndi Morinus Exerc. Bibl. lib. 2. Exer. 6. cap. 4. ſq. p. 300. ſqq., ubi annis prope 200. inferius deprimendam iſtius obſignationis Aeram multis contendit, Buxtorfius in Recenſ. Oper. Thalm. p. 230, Pfeifferus in Theolog. Jud. Exerc. 1. p. 12, Wolfius Bibl. Rabb. T. II. p. 682. ſqq., Leuſdenius in Philol. Hebr. Mix. diſſer. xi. p. 90. ſqq., & Aulisius de Scholis Jud. lib. 1. cap. 35. p. 232. ſqq.

III. Poſtquam, inquam, perfectum Thalmudicum Opus fuit, ideſt poſtquam abſoluta fuit *Miſchna*, quin imo nonniſi poſtquam *Gemara* utraque tam *Hieroſolymitana*, quam *Babylonica* compilata fuit, tum primum apud Judaeos Temporibus ſupputandis *Orbis* conditi adhiberi Epocha cepit, non *Hiſtorica*, ſed *Technica*. Quandoquidem enim Computi Judaici cardo, ut jam alibi innui, ſit *Molad Tohû* מולד תהו *Neomenia* nempe, quae Mundi exordium praeceſſiſſe fingitur, Octobris die 7, Periodi Julianae anno 953, quo a capite Judaeorum calculus iniri conſuevit, inde patet Judaeis annum primum ante Orbis initium putari. Quumque Mundi conditi ante Chriſtianam Aeram annos 3760. numerare Judaei ſoleant, qui Chriſtianis 4004. communius numerantur, quique in Periodo Juliana ſunt 4712, inde fit, ut e *Juliana* Periodo demptis annis 952, aut Aerae *Chriſtianae* adjectis 3760, annus illico Periodi *Julianae* obtineatur, aut Aerae *Chriſtianae* in anno *Judaico*

Digitized by Google

daico decurrens. Propoſito viciſſim *Judaico* anno additis 952, aut ablatis 3760, continuo habebitur annus *Judaicus* in Periodo *Juliana*, aut in Aera *Chriſtiana* decurrens. Atque ita per Numeros utique Millenarios procedendo, Judaica haec Aera vocatur *Major*, quum nempe Numerus אֶלֶף *Mille* אַלְפַּיִם *Bis Mille*, שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים *Ter Mille* &c. ſcribitur; dicitur vero Aera *Minor*, quum Numerus Millenarius in ſcribendo, uti fieri ſolet, brevitatis gratia, omittitur, etſi ſubintelligi debeat. Ubi tamen obiter obſervandum eſt cum Morino Antiq. Eccl. Orient. Epiſt. 25. edit. Lond. p. 139. Judaeis Numeros ſupra 400. duobus exprimi modis ſolere, vel ope quinque Litterarum finalium ץ· ף· ן· ם· ך· 500. 600. 700. 800. 900; vel Litteras alias conjungendo, ut תק· 500, תר· 600, &c. Pro Millenariis vero Litteris etiam uti accentu notatis, ut א' 1000, ב' 2000, ג' 3000, ד' 4000. &c., ac velut ב'רלד. 2234, &c. Itaque anno Aerae *Chriſtianae* 240. *Judaicus* annus 4000. expletus intelligitur: nam anno 3760. adjecti 240. efficiunt 4000: igitur Aerae *Minoris* anno propoſito additi 240. indicabunt annum *Judaicum* Aerae *Minoris* in Chriſtiana *Aera* currentem. Ita v. g. R. Benjamin in Praefat. Itiner. obſervatu digna collegiſſe ſe, ac in Caſtiliam detuliſſe ſcribit anno 933: cui ſummae adjectis 240, fient anni 1772, qui eſt annus Aerae Chriſtianae in *Minori* Judaica Aera decurrens: cuique ſummae 1772. addito millenario 4000, fiet annus Chriſti 5772, quo a Benjamino Itinerarium confectum illud fuit. Queis de Aeris paſſim agitur in Judaeorum Chronicis, *Majori*, dicto *Seder Olam Rabba*, cujus auctor creditur R. *Joſe* ben Chalipta, qui R. Jehudae *Miſchnae* auctoris diſcipulus apud Gedaliam in *Schelſcheleth* p. 32, David Gantzium in *Tzemach David* ad an. M. 3881, & Zachutum in *Juchaſin* p. 43. A. fertur; verius anno 772. ab Excidio *Templi*, Aerae Chriſtianae 832. vixiſſe refertur R. Azariae in *Meor Ennajim* Par. III. cap. 19. Etſi Operis auctorem *Joſeum* hunc non fuiſſe inde patet, quod ipſius met *Joſei* mentio eodem in Opere frequens occurrit: quo de Opere, Scriptoreque videndi Morinus Exerc. Bibl. lib. 2. Exer. 1. cap. 2. p. 227. ſq., Baſnagius Hiſt. Jud. T. III. p. 116, Wolfius Bibl. Rabb. T. I. §. 848. p. 491. ſqq., & Vorſtius in Obſervat. ad

ad Chronolog. R. Gantzii p. 213, ubi multas Judaeorum contradictiones colligit; in *Minori* Chronico, *Seder Olam Zutha* nuncupato, cujus auctor incertus, aetaſque dubia, anno tamen Mundi 4884, Chriſti 1124. circiter conſignari ſolet, de quo Morinus, & Wolfius loc. cit.; in Chronicis item *Jeſu Both*, hoc eſt *Reſponſionum* a R. Serira Gaon Seculi XI. ſcriptore exarato, *Sepher Kabala*, ideſt *Traditionum* ab Abraham Levita ben Dior, ſive David Seculi XII, *Sepher Juchaſin*, ſive Libro *Genealogiarum* ab Abrahamo Zachuto Seculi XIV; in *Schelſchelet Hakkabbala*, videlicet *Catena Traditionis* a R. Gedalia Seculi XVI, in *Tzemach David*, nempe *Germine David* a Davide Gantzio Seculi XVI. ſcriptore elaborato, aliiſque Chronicis, quae ultra perſequi nec juvat, nec intereſt.

IV. Epochae jam vero huic *Orbis Conditi* praecipuae minores pleraſque alias paſſim in Kalendariis, quae prodere quotannis ſolent, adponere Judaeis in more poſitum obſervat Bartoloccius Bibl. Rabb. T.I. p.81. ſqq., & T. II. p.550. ſqq., ubi Tabulas Epocharum apud Judaeos celebriorum ex Kalendario, quod Venetiis, ac Mantuae quotannis evulgari ſolet, excerptas exhibet, quas inde derivarunt Baſnagius in Hiſt. Jud. edit. Hag. Com. T.VI. Par. II. lib. 6. cap. 29. p. 675. ſqq., ac Wolfius in Bibl. Rabb. T.I. p.27. ſqq., ſuntque ſequentes juxta Kalendarium a R. Menacheme Simpſone ben Salomonis Bazilae Venetiis anno Mundi 432. *Minoris* Aerae, *Majoris* 5432, Chriſtianae 1672. editum: quod Kalendarium vitiis multo, quam alia, minoribus laborare ex Tabula Chronologica Viennae in Auſtria anno 1571. edita Vir doctiſs. deprehendit; quo tamen a Kalendario multum diſcrepare Kalendarium alterum a R. Abrahamo Joſue ben Jedidiae anno Chriſti 1644. evulgato idem advertit, tum in Nativitate *Jacobi*, quae anno M. 2146. conſignatur, annis 38. ideſt tardius; tum in Regni *Macchabaeorum* initio, quod anno M. 3683. conſtituitur, annis ideſt 30. ſegnius; tum in *Mohammedi* Natali die, qui annis 48. retardatur, hoc eſt in annum M. 4330. confertur. Ejuſmodi vero inter alios inſigni, geminoque laborare Kalendarium utrumque errore, vitioque comperit, tum quod *Abrahami* nativitatem annis 48, velut etiam R. Gedalias, diviſionem *Linguarum*

guarum praeceſſiſſe adfirmant, quo in errore pariter manent Arabes, Mohammedani &c., quo tempore *Abraham* aetatis annos 45: בן מה שנה *Ben 45. Scianá* habuiſſe legitur in *Seder Olam Rabba* cap 1, & in libro *Juchaſin*, ſive annos 48. שנה ושמונה *Uſcomoná Scianá*, ut habetur in *Seder Olam Zutba*, & in Catena *Kabalae*; tum quod *Chriſti D.* in Carne natalem conferunt in annum M. 3760: quo a computo immaniter diſcrepant Orientales ad unum omnes, qui *Mundanam* Aeram, ſive *Antiochenam*, ſive *Alexandrinam*, ſive *Conſtantinopolitanam* amplexi ſunt, de quibus ſuperiori Proleg. V. Art. IV. §. 1x. ſqq. p. 219. ſqq. abunde, opinor, diſputatum eſt. De variis aliis vero Mundi Annorum computis, quibus *Chriſti* D. Natalis, varias juxta Chronologorum opiniones, conſignari ſolet, agemus, ut Superis placebit, quum ſermo nobis de Aera *Chriſtiana* fiet. De caeteris autem Epochis Sacris, videlicet *Diluvio*, Linguarum *Diviſione*, Abrahami *Natali* &c. ſuus Chron., & Crit. Sacr. Par. II. opportunior agendi locus erit. Itaque vulgatum juxta juxta Computum Judaeorum, de quo fuſe Hieronymus a S. Fide, Paulus a S. Maria, Lyranus, Georgius Venetus, Galatinus &c., ſequentes ex Kalendario anno Domini 1672. a R. Menacheme Simpſone excerptae a Bartoloccio Epochae inſigniores exhibentur, juncto Scaligero de Emend. temp. lib. 7. p. 626. ſqq.

AB

AB ADAMO AD

Anni ante Christi Natalem		Anni Mundi
2104.	Diluvium Anni effluxerunt	1656.
2812.	Nativitatem Abrahae	1948.
1764.	Diviſionem Linguarum	1996.
1712.	Nativitatem Iſaaci	2048.
1652.	Nativitatem Jacobi	2108.
1522.	Ingreſſum in Aegyptum	2238.
1392.	Nativitatem Moyſis	2368.
1312.	Exitum ab Aegypto	2448.
1274.	Ingreſſum in Palaeſtinam	2486.
1873.	Unctionem David in Regem	2887.
832.	Aedificationem I. Templi	2928.
556.	Captivitatem X. Tribuum	3204.
422.	Deſolationem I. Templi	3338.
371.	Initium Regni Medorum, & Perſarum	3389.
352.	Aedificationem II. Templi	3408.
317.	Initium Regni Graecorum	3443.
410.	Aeram Contractuum, & Prophetiae finem	3450.
102.	Initium Regni Macchabaeorum	3653.
O.	Nativitatem Chriſti D.	3760.
68.	Deſolationem II. Templi	3828.
189.	Miſchnae obſignationem	3949.
273.	Conſtantinum Magnum	4033.
293.	Haereſim Manichaeorum	4053.
422.	Gemarae Hieroſol. obſignationem	4182.
505.	Gemarae Babylon. obſignationem	4265.
522.	Nativitatem Mohammedi	4282.
583.	Initium Sectae Iſmaelitarum	4343.
1276.	Obſignationem Hajiad, Libri Moyſis Aegyp.	4936.
1395.	Exſilium Gallicum	5155.
1492.	Exſilium Hiſpanicum	5252.
1500.	Exſilium Portugallicum	5260.
1669.	Exſilium ab Urbe Vienna in Auſtria	5429.

V. Tam

V. Tam vero Epochas iſtas diverſas ab Annis *Orbis* conditi exordiri, quam Epochas inſuper diverſas alias qua Sacras, qua Profanas adhiberi, ſecundum Codices Sacros, Majorumque Traditiones, Scriptoribus aliis Judaeorum ſolemne eſt. Sic Joſephus Antiq. Jud. lib. 1. cap. 5. verſ. Lauri ab *Adamo* ad Diluvium annos 2650, dinumerat, in Codicibus aliis 2253; a *Diluvio* ad Moyſis obitum 3974; ab *Exodo* ad Templi Salomonici aedificationem 612. lib. 20. cap. 18; a *Moyſe* ad Alexandri M. initium 1292, ſive ab *Adamo* ad Alexandrum M. 5266; ab *Adamo* ad Chriſti natalem 4003. juxta nonnullos, 4163. juxta Imbonatum, 4193. juxta Scotanum, verius 5555. juxta Ricciolium. Sic ab Auctore *Magni* Judaici Chronici *Seder Olam Rabba* cap. 30. p. 91. ad Regnum Familiae *Haſmonaeorum* anni 3623. computantur: quo in computo exceſſum annorum 4. intercedere obſervat Scaliger de Emend. temp. lib. 7. cap. 654.; ad Regnum vero *Hagarenorum* eodem in Chronico anni 3726. numerantur: quem in locum Scaliger loco cit. pro *Hagarenorum* regno Regnum *Herodis* interpretatus, computum recta procedere advertit: qua de re infra. Sic ab Auctore Chronici *Minoris* ideſt *Seder Olam Zutha* cap. 1. verſ. Genebrardi ab *Adamo* ad Templi II. excidium ſub *Tito* anni 4801. recenſentur. Aſt enim de anno deſolationis *Templi* II. ſub *Tito* diſcrepantes ſunt admodum Judaeorum ſententiae R. Iſſacharo ben Mordekai in Computo recenſitae, & a Petavio in Animad. ad S. Epiphanium de Menſ., & Pond. Oper. T. II. p. 388. memoratae. Ipſe namque R. Iſſachar annum *Judaicum* 5299, qui Aerae Chriſtianae fuit 1538, a *Templi* II. deſolatione fuiſſe 1470, qui in Aera ideo Chriſtiana fuit 68, putat; aliis vero putari refert *Judaicum* annum 5299. a deſolatione *Templi* fuiſſe 1469; atque verius quidem, nam ab anno 5299. detractis 1469. reſtat annus 3830, qui Aerae Chriſtianae fuit 69, quo revera inclinante vaſtata *Hieroſolyma* eſt; aliis iterum annum *Judaicum* 5299. numerari a deſolatione *Templi* 1472: qui fuiſſet in Aera Chriſtiana 66; quod oppido falſum eſt. Aſt enim aliis *Deſolationis* annus 162. *Mundi* 4000. cenſetur, veluti Thalmudicis in Addit. ad Tract. עא cap. לפני חגיהן; aliis *Deſolationis* annus 200. jungitur cum

anno M. 4000, uti R. Gedaliae in Catena *Kabalae* fol. 34. apud Morinum Exerc. Bibl. lib. 1. Exerc. VII. cap. 2. p. 170. In Judaico Computo rurſus apud Scaligerum de Emend. temp. lib. 7. p. 655. ad *Templi* II. deſolationem anni 3829. computantur: quo in Computo annum 1. retardari, atque deſolationem illam anno 3830. contigiſſe ex Joſepho Scaliger oſtendit lib. 5. p. 474. ſq. Sic ab *Orbe* condito ad Chriſtianam Aeram annos diverſimode Judaeis aliis computari certum eſt. Nam annos 3486. colligit Auctor *Seder Olam Zutha* apud Morinum loc. cit.; annos 3616. R. Iſaac Abarbanel; 3630. R. Abraham ben Dior; 3670. R. Abraham Zachutus in *Juchaſin* fol. 142. apud Morinum p. 170; annos 3728. R. Gedalias loc. cit.; 3734. R. Jaſon Noſen; 3740. R. Nahaſſon lib. de Cyclo Paſch. apud Genebrardum; 3754. RR. Gerſon, & Abraham; 3758. R. Joſe in *Seder Olam Rabba*; 3766. Thalmudici in Addit. ſupra cit.; 3780. R. Levi in Daniel. XII; annos 3784. Thalmudici apud Genebrardum, & Scotanum; 3957. Philo lib. de Temp.; 4058. R. Moyſes Gerundenſis. Recolenda, ſi libet, quae de Hebdom. Dan. ex Judaeorum traditione diſputata multis oppido ſunt ſuper. Prol. V. Art. III. §§. 111. ſqq. p. 101. ſqq. Sic Judaeis aliis aliae item Profanae Epochae paſſim uſurpatae apud Hornium, & Imbonatum Bibl. Rabb. T. V. p. 9. leguntur, juxta quas initium Regni *Chaldaeorum* illigatur anno Mundi 1771, poſt Diluvium 114; *Aegyptiorum* anno M. 1816, poſt Diluvium 159; *Sinenſium* anno M. 1893, poſt Diluvium 235; *Romae Conditae* anno M. 3326, poſt Diluvium 1671; *Olympiadum* anno M. 3328, poſt Diluvium 1673; Aerae *Seleucidarum* anno M. 3693, poſt Diluvium 2036; *Chriſti D. Natalis* anno M. 4000, poſt Diluvium 2343; *Dionyſianae* Aerae anno M. 4004, poſt Diluvium 2347: quibus de Epochis amplior infra nobis agendi patebit locus. Conferendus interea Morinus inter alios Exerc. Bibl. lib. 2. Exer. V. cap. 5. p. 288. ſqq., ubi pleraſque de *Chriſti D.* anno Natali Judaeorum perſequitur opiniones, Judaeorumque perſtringendi duritiem, ac pervicaciam opportunam inde capit occaſionem.

VI. Haſce praeter Epocas, quae in Kalendariis praefigi a Judaeis ſolent, celebris altera ab *Herodis* M. anno, non uti-

utique quo Romae inauguratus eſt Rex, bene vero triennio poſt, ab eo ideſt, quo *Hieroſolyma* ab ipſo capta Urbs eſt, anno, a quo ipſius perinde anni Regni 34, ſive ex quo renuntiatus Romae Rex fuerat, anni 37. computari ſolent, exordio capto, apud Judaeos Epocha invaluit. Is porro Annus Ἑβδοματικὸς fuit, *Sabbathicus*, Joſepho teſte Antiq. Jud. lib. 14. cap. 28, & lib. 15. cap. 1; atque proinde Annus fuit *Judaicus* 3724, Periodi Julianae 4677, Scaligero judice de Emend. temp. lib. 5. p. 375, & p. 450. ſq. Nova igitur in *Herodis* utique honorem Epocha inſtituta ab hoc Anno *Judaica* 3724. incepit. Atque in *Seder Olam Rabba* quidem, Judaeorum *Magno* ideſt Chronico, cap. 30. p. 91*, poſtquam ingeſta de *Perſarum*, *Graecorum*, & *Haſſamonaeorum* Aeris mentio fuiſſet, de *Herodis M.* Regno verba faciens Judaeus Chronographus ille, ab ipſius Regno ad *Templi* II. excidium annos 103. effluxiſſe refert. Quo tamen in Computo quadriennii errorem intervenire liquido conſtat ex Joſepho Antiq. lib. 20. cap. 8, quo loci ab *Herode* uſque ad *Templi* excidium annos 107. interceſſiſſe diſerte ſcripſit. Quò perinde fit, ut novae *Herodianae* Epochae initio quadriennio retroducto, in *Judaicum* Annum 3724. incidiſſe novam hanc Epocham oporteat. Aliud porro in cauſſa fuiſſe, cur nova ab hoc anno Judaeis Aera inita ſit, refert David Gantzius in *Tzemach David*, ſive Chron. ad An. 3761. p. 178, ac poſt ipſum obſervant Jacob. Capellus ad An. M. 239. p. 18, ac De Vignolius Chron. Hiſt. Sac. T. I. lib. 3. cap. 2. p. 741. ſq., illud fuiſſe nempe, quod *Lunae* Cyclus XIX. per Cyclum *Solis* XXVIII. multiplicatus dat annos 532: quae ipſa Periodus eſt *Victorina*, ſive *Dionyſiana*. Periodus iſta vero per 7. in ſe ducta conficit annos 3724: quae ſumma eſt, unde nova cum Periodo, nova *Herodiana* a Judaeis confecta Epocha eſt. De aliis jam vero apud Judaeos uſu frequentioribus loquendo Aeris, duplex inter alias deinceps illuſtrior adhibita Judaeis Epocha legitur: prior, vereque ab *Autonomia* cum a Romanis conceſſa, tum a Syriae Regibus confirmata; poſterior, minuſque vere ab *Aeliae Capitolinae*, hoc novo *Jeroſolymae* nempe deſignatae nomine, reaedificatione ſub *Hadriano* Imperatore facta. Atque de priori, qua de pauca jam ſuper. Ar-

tic.III.§.xxxi.p.161.ſq. pro loco tetigimus, paullo fuſius modo loquendo, *Autonomiae* Judaeis reſtitutae ſeptem utique ſtatui ex libro 1. Macchab. Epochae poſſe videntur, quarum prima quarta, & ſexta a *Romanae*, & *Lacedaemonicae* Reipublicae liberalitate ſint rependae; reliquae quatuor ſecunda, tertia, quinta, & ſeptima Syriae Regum beneficio acceptae ſint referendae, ſecunda ideſt, & quinta *Demetrii* II. *Nicatoris* indulgentiae; tertia, & ſeptima *Antiochi* VI. cognomento *Dionyſii*, & *Antiochi* VII. *Evergetis* cognominati gratiae. Enim vero ex Cap.viii.v.17.ſqq. liquido adparet a *Juda* Macchabaeo Legatis Romam miſſis *Eupolemo*, & *Jaſone*, cum Romanis percuſſo foedere, Judaeos in proprium Jus non tam adſertos, quam a Romanis agnitos fuiſſe; prohibitumque *Demetrium* II. Syriae Regem, ne in Judaeorum Principatum irrepere deinceps auderet. In Cap. xi. v.27. ſqq. a *Demetrio* Princeps factus *Jonathas* legitur, Immunitateque donatos fuiſſe Judaeae fines, Toparchias item tres Lyddam, Ramatham, & Samariam; Tributa quoque relaxata fuiſſe, remiſſaſque Decimas, Salinarum Areas, & Coronas demum quotannis ad Syriae Reges deferri ſolitas fuiſſe condonatas indidem liquet. Ex eodem Cap.xi.v.57. ſqq. iterato fit evidens ab *Antiocho* VI, aliis VII, *Alexandri* I. vulgo *Balae* filio, *Dionyſio* cognominato, *Jonatham* quatuor ſuper Civitates, tres praeter Toparchias a *Demetrio* promiſſas, fuiſſe conſtitutum, eique Regiis indui veſtibus facultatem indultam; *Simonem* quoque Ducem a finibus Tyri uſque ad Terminos Aegypti factum. Ex Cap.xii. v.1. ſqq., juncto Cap.xiv.v.16.ſqq. a *Jonatha* rurſus, Legatis *Numenio*, & *Antipatro* ad Romanos, & Lacedaemones miſſis, foedereque confirmato, impetratum fuiſſe liquet, ut per illos propriis uti Legibus fas Judaeis prorſus foret, ac Principatu vivere ſibi proprio liceret. In Cap.xiii. v.35. ſqq. a *Demetrio* II. *Nicatore*, una cum Tributis, ac debitis, *Simoni* remiſſae Munitiones leguntur omnes; ibique verſ.41. ſq. ita ſubjungitur: *Anno* 170. *ablatum eſt jugum Gentium ab Iſrael: & cepit Populus Iſrael ſcribere in Tabulis, & geſtis publicis: Anno primo ſub Simone Summo Sacerdote, Magno Duce, & Principe Judaeorum*. Eodem vero

vero anno Syro Praeſidio, quo Arx Sion adhuc occupabatur, fame inde expulſo, a Judaeis anno inſequenti 171. Arce recuperata, omnem prorſus in Principatus libertatem adſerti ſunt, & in proprias vindicati Leges, atque Jura. Ex Cap. XIV. v. 17. ſqq. conſtat item tam a Lacedaemoniis, quam a Romanis *Simoni* Macchabaeo Principatum, qui prius in *Jonatha* fuerat iiſdem probatus, anno 172. fuiſſe itidem confirmatum, Judaeiſque libertatem prorſus omnem propriis vivendi legibus, propriiſque utendi moribus indultam, juncto Cap. XV. v. 15. ſqq., quo loci Judaeorum hoſtes a Judaeo Regno invadendo, non abſque minis, abſtinere jubentur. Ex eodem denique Cap. XV. v. 5. ſqq. manifeſte patet ab *Antiocho* VII, cognomento *Evergete*, *Demetrii* II. filio, anno 174. *Simoni* vectigalia, debitaque prorſus omnia fuiſſe relaxata, facultatem inſuper procudendae Monetae factam, *Jeruſalem* liberam juſſam, Praeſidia, & Arma cujuſque genus proprii Judaeorum fore deinceps juris permiſſa.

VII. Jam vero inquirendum manet, a quanam iſtis ex ſeptem Epochis inſignis ea, qua Judaeis *Autonomia*, aut ſi malis, *Eleutheria* indulta eſt, Epocha Judaeis aliquando uſurpata, ſit expiſcanda. Et quidem initio ad haec uſque tempora, hoc eſt Aerae *Seleucidarum* annum 174, nullum unquam Lacedaemoniis, aut Romanis in Judaeos ſiquidem Imperium fuerit, inde fit, ut ab Epocha nec a prima, de qua Cap. VIII; nec a quarta, de qua Cap. XII; nec a ſexta, de qua Cap. XIV, ubi uno de foedere tractatum Judaeis cum Romanis, ac Lacedaemoniis fuiſſe legitur, Judaeorum *Autonomia* deduci queat. Sed nec eadem repeti ab Epocha ſecunda poteſt, de qua Cap. XI; *Demetrius* namque ibidem verſ. 53. egregie in verbo ſuo mentitus legitur, tantumque abeſt, ut promiſſa uti Judaeos *Autonomia*, Principatuque *Jonatham* defungi permiſerit, ut potius iſtum pejus vexare, illoſque opprimere perrexerit: donec ipſe *Demetrius* ab *Antiocho* VI, *Alexandri* I. *Balae* filio victus, & in fugam conjectus Syriae Regno abſtinere coactus eſt, Judaeiſque moleſtiam inferre prohibitus. Sed neque Judaica haec *Autonomia* ab Epocha tertia, de qua eodem Cap. XI, incipere potuit, quo nempe tempore ab *Antiocho Dionyſio Balae*

lae filio *Jonathae* Principatus oblatus legitur, quae utpote effectu promiſſio caruit, quove plane defungi Principatu *Jonathae* neque reapſe, neque diu, neque pacifice fas fuit: nam tum *Antiochus* biennio Regni vix, ac ne vix quidem expleto, veluti liquet ex Cap.XIII. v.31. ſq., a *Tryphone* Regni cupido cum vita Regno exſpoliatus eſt; tum ab eodem *Tryphone* dolo captus *Jonathas* ipſe cum libertate, imperio, vitaque eodem anno ipſo privatus fuit, ideſt anno 2. Olympiadis 159, uti liquet ex Capp.XII. v.39. ſqq., XIII. v.1. ſqq., & XIV. v.5. ſqq., junctis Strabone lib. 16, & Joſepho Antiq. Jud. lib. 13. cap. 9. ſq.: quo patet integra Olympiade erraſſe Euſebium in Chronico verſ. S. Hieronymi Oper. T. VIII. edit. Vallarſii p.580. *Jonathae* necem in annum 2. Olympiadis 160. referendo, uti recte notarunt ibidem in Not. Scaliger, & Vallarſius, nec non Froelichius in Annal. Reg. Syriae p.72. Sed neque ab Epocha ſeptima, de qua Cap. XV, ubi ab *Antiocho* VII. *Evergete*, (*Demetrii* II. filio, ut habetur cit. Cap. XV. v. 1, non fratre, ut perperam habet Froelichius in Proleg. Annal. Reg. Syr. p.82.), ampliſſimae *Eleutheriae* utique ſpecies indulta *Simoni* legitur: namque tum haec prioris quintae, de qua mox, potius Epochae ſequela fuit, collataeque a *Demetrio Autonomiae* confirmatio magis fuit; tum ante quam haec ab *Antiocho* fuiſſet *Eleutheria* collata, ampliſſimo jam pridem *Simon* Principatu defungebatur, uti mox palam fiet; tum paullo etiam poſt haec promiſſa tam ampla *Simoni* facta, *Antiochus* ipſe a data fide deficiens, quae pactus antea fuerat, atque pollicitus, omnia reſcidiſſe prorſus legitur cit. Cap. XV. v.26. ſqq., Urbes, Caſtra, Munitioneſque repetens; Tributa denuo impoſuiſſe, Exercituque demum immiſſo, atque *Simone* duobus cum filiis interfecto, ſub jugum denuo Judaeam ſuppoſuiſſe. Reſtat igitur, ut inſignis haec Judaeis reſtitutae *Autonomiae*, ſive *Eleutheriae* cardo a quinta repetatur Epocha, de qua Cap. XIII, ubi explicitiſſime a *Demetrio* II, *Nicatore* dicto, nonnullis *Sidete*, Munitiones omnes conceſſae, ac Tributa omnino relaxata memorantur: quibuſque memoratis, confeſtim Anno 170. Graecorum ab Iſraele ablatum Gentium jugum refertur, indeque publicas inſigniri Tabulas, geſtaque Anni

Anni 1. *Simonis* Pontificis M., Ducis, ac Principis obſignari nota cepiſse ſubjungitur: quo cum Anno 1. *Simonici* Principatus concurrere profecto Graecorum Annum 170, ab iſtoque proinde, non ab inſequenti anno 171, quo recuperata Sionis Arx Judaeis fuit, celebrem Epocham hanc ineundam fore palam infra fiet.

VIII. Atque hanc plane ipſam egregie confirmatam Epocham dedere Nummi jam dudum, qui exinde vel cum *Simonis* Principatus, ſive *Στρατηγοί Strategi*, hoc eſt *Ducis* epigraphe, vel cum Iſrael, aut Sion, aut Jeruſalem *Libertatis*, aut *Redemptionis*, aut *Liberationis*, Samaritice ideſt, ſive Hebraice לִגְאֻלַּת *Ligbeulath*, aut לַחֲרוּת *Labaruth*, inſcriptione procudi ceperunt, atque paſſim ex Gazis Regum Gall., Daniae &c., Vindob., Medicaea, Canon. Regul. S.Genovefae, Comitis de Pembroc, DD. Foucaltii, Harlaei, De Wilde, Henrionis Pariſ., Gottifredi, Pontcarrè, de Boze, Peiriſcii, Fulvii Urſini, Patini, Antonii Auguſtini, Triſtani, P. Chamillardi, P. Vitry. &c. exhibentur a Kirchero Oedip. Aegyp. T. II. Claſſe 11, a Villalpando Comment. in Ezech. T.II, a Battoloccio Bibl. Rabb.T.IV. p.158. ſqq., a Fortunato Schacco Myroth. Sacr. Elaecchriſm. lib. 2. cap. 3, a Morino Exerc. 2. in Pentat. Samar. cap. 10. p. 208. ſq., a Vaillantio de Num. Reg. Syr., a Buterovio in *Recherches Curieuſes des Mon.*, a Joberto Scient. Num. T. I. Inſtruct. 7. edit. Ven. p.158. ſq., a Richardo Simonio Bibl. Crit. T. II. cap. 27. p. 389. ſqq., a Toinardo in Epiſt. de tribus Nummis Samar. Bibl. Univ. T.XXI. Par. II. p.131. ſq. inſerta, a Calmetio Dict. Bibl. T. II. edit. Ven. p. 599. ſqq., ab Harduino in Chron. Vet. Teſt. p. 601. ſqq., a Soncieto diſſert. 1. de Num. Hebr., a Froelichio in Annal. Reg. Syriae p. 87. ſqq., c.; ex Proteſtantibus vero a Buxtorfio in diſſert. 4. de Litter. Hebr. Antiq. §. 26. p. 188. ſqq., a Waſero de Antiq. Hebr. Num. Crit. Sacr. edit. Francof. T.VI. p. 930. ſqq., a Stephano Morino Exerc. 2. de Lingua Hebr., a Sckichardo de Num. Hebr. in Prooemio ad Tarik Regum Perſiae, & in *Bechinat Happeruſchim* p. 82, ab Hottingero de Num. Orient. p. 120. ſqq., a Seldeno de Jure N., & G. Hebr. lib. 2. cap. 6 p. 186. ſqq., a Waltono in Proleg. ad

Bi-

Biblia Polygl. p.81. ſqq., a Spanhemio de Praeſt. Num., a Conringio in Paradoxis de Num. Hebr., a Sperlingio de Nummis non cuſis., a Relando de Num. Samar., a Cellario in Hiſt. Samar., a Joh. Bapt. Ottio in diſſert. de Num. Samar., ab Erneſto Loeſchero in Comment. de Cauſſis Ling. Hebr. p. 201. ſqq., a Willelmo Goeree in libro Anglico de *Joodſe Oudheden* lib.1. cap. 3. p. 76, ab Eiſenſchmidio de Pond., & Menſ. cap. 4, a Cornelio Dieterico Kochio in duplici diſſert. de Re Num. Vet. Teſt., & de Num. Hebr. Inſcript. Samar., a Morellio in Specim. Rei Num., a Deylingio Obſerv. Sacr. Par. III. Obſer. 25. de Re Num. Vet. Hebr. p.222. ſqq., aliiſque, quos longius perſequi neque vacat, neque praeſtat: in quibus ſane Nummis Epocham hancce, qua de agitur, detexiſſe omnium primus legitur R. Moyſes Alaſckhar magni apud Judaeos nominis memoratus R. Azariae in Libro מאור עינים *Meor Enajim*, ex iſtoque relatus a Villalpando Appar. Par. II. lib. 2. diſp. 4. cap. 21. p. 376. ſq., Soucieto in diſſert. 1. de Num. Hebr. p. 17. ſqq.; ſed & Nummorum ante omnes iſtorum meminere R. Rambam in fine Comment. in Pentat., R. Azarias de Adumim in אמרי בינה *Imre Binà* cap. 56. p. 171, R. Simeon הַדַּרְשָׁן *Haddarſchan*, ideſt *Concionator* in יַלְקוּט *Jalchuth*, *Pera*, ideſt Collectione Interpretationum in Sacr. Codicem, Sect. לך לך p. 41. edit. Liburn. 6. §. ואגרלה, R. Azariae in *Meor Ennajim*, & Davidi Gantzio ad annum M. 5070, Chriſti 1310. commendatus. In horum jam vero Nummis aliquibus ſcalptus ulla abſque Epocha legitur שמעון נשיא ישראל *Simeon Princeps Iſrael* intra Coronam Querceam apud Harduinum, & Eiſenſchmidium. In aliis expreſſa conſpicitur Amphora cum Litteris שנת אחת לגאלת ישראל *Anno. 1. Redemptionis Iſrael Sciaǹath Abath Ligheulath Iſrael* apud Soucietum, & Froelichium. Corona porro Quercea Victoriae pro indicio, & Amphora pro Vini oblationis ſigno poſita videtur. In quibuſdam Cyathus inſcalptus, aut impreſſum Lilium viſitur, cum Inſcriptione N. שקל ישראל *Siclus Iſrael* anno 1, aut ירושלם קדשה *Jeruſalem Kaddoſch Sancta* apud Villalpandum, & Kircherum. Ubi obſervandum Lilium illud frequens in Judaea Lilium eſſe Regium, ſive Perſicum, quod vulgo Corona Imperialis dici ſolet,

ſolet, Hebraeis שושן *Schuſchan*, ſive *Suſan*, voce derivata ab Urbe *Suſan* Perſidis Metropoli, cujus in Agro flos hic olim abundabat, Arabice تُسَي *Thuſai*, Graece vero Κρῖνον Βασιλικόν denominatum, quo de multa egregie Soucietus diſputat diſſert. 2. de Num. Herodis p. 157. ſqq. Lilii vero loco alicubi Virga *Aaronis*, & Cyathi loco Calix inſculptus inſpicitur. In aliquibus cum Pampino, aut Uvae racemo ſcalpto legitur להרית ירושלם *Labaruth* ideſt *Libertatis*, ſive *Liberationis* Jeruſalem; vel לגאלת ציון *Ligheulath*, hoc eſt *Redemptionis* Sion apud Harduinum, & Spanhemium. In nonnullis Manipulus Spicarum inter duas Olivas viſitur cum Inſcriptione שנת ארבע *Scianàth Arèbbaa anno* 4; aut Vas coopertum videtur cum epigraphe שנת שלוש *Sciànath Scalòs anno* 3. apud Waſerum, & Waltonum. Alicubi *Simeonis* intra Coronam Lauream nomen adparet, aut duæ Tubae expreſſae comparent cum titulo *Liberationis Jeruſalem*, aut cum eadem epigraphe Lyra, ſive Cinyra, aut Palma inter Spicas aſpicitur apud Calmetium, & Soucietum; alibique *Simeon* inter quatuor Columnas legitur, aut cum Palma Arbore fructibus locupleti.

IX. Atqui quatuor hincce graves emergunt haud contemnendae difficultates: 1.ª quo a tempore cudi apud Hebraeos Nummi coeperint: 2.ª queis inſcalpi figuris, ac litteris conſueverint: 3.ª quo ab anno putandae ſint Epochae in Nummis obſignatae: 4.ª qua tandem ratione ſint explicandae legendae in Nummis expreſſae. Quibus obiter difficultatibus ut obviam fiat, ad 1.ᵐ obſervandum eſt jam pridem ab aetate Patriarcharum *Abrahami*, *Jacobi*, *Moyſis*, *Joſue* &c., deincepſque ſub Regum aevo *Saulis*, *Davidis*, *Salomonis* &c. cudendae Monetae uſum apud Judaeos invaluiſſe multis oppido, doctiſque Viris olim fuiſſe perſuaſum. Ita namque Geneſ. xx. 16. כֶּסֶף *Cheſeph* Hebraice, *Argentei* Latine, & Syriace, *Drachmae* Arabice, *Sicli Argenti* Chaldaice, Δίδραχμον *Didrachma* Graece, *Plumbei* Samaritice memorantur. Gen. xxiii. 9. 13. 16. כֶּסֶף *Argenti* Hebraeo, & Samaritano Scriptori, & *Argenti* אֶשֶׁל *Siclorum*, Latino Interpreti, Syria-

co, & Chaldaeo Paraphraſti *Pecuniae*, & *Siclorum*, Interpreti Arabico *Pretii*, *Nummorum*, & *Siclorum*; Graecis LXX. Viralibus *Argenti*, & *Didrachma* fit mentio: quin eodem loci v. 16. *Probatae Monetae publicae* meminit Vulgata noſtra, *Argenti probati Mercatoribus* Graeca, Samaritana, Arabica, & Syriaca Verſio, cui haud abludit Hebraeus Textus, & Paraphraſtes Chaldaeus Bibl. Polygl. Lond. T.I. p. 9. ſqq. Gen. XXIV. 22. iterum *Sicli* Hebraeo, Latino, Syro, Arabi, & Chaldaeo, *Aureorum Pondus* Samaritano, Graeco, & Syro memorantur Interpretibus. Gen. XXXIII. 19. rurſus, qui *Agni* vocantur Latino Vulgatae, קְשִׂיטָה *Keſitbah* item *Agni* Hebraeo, Graeco, Chaldaeo, & Samaritano, *Oves* Arabi, & Syro, ii Act. Apoſt. VII. 16. Ἀργυρίου *Argenti* pretium Graeco, Latino, & Arabi, vel *Argentum* Syro, vel *Aurum* Aethiopi Interpreti adpellantur; & quae Jobi XLII. 11. *Ovis* in Latina Vulgata, Ἀμνάς *Agna* in Graeca LXX virali, *Ovis* item in Chaldaica Paraphraſi, in Syriaca, & Arabica Verſione, in Hebraeo Textu קְשִׂיטָה *Keſitbah Agnus* legitur, *Nummus* vertitur. Atque ita vertendum, ac pro Nummo accipiendam *Keſitham* Hebraei, ſive *Ceſtuf* كستوف Arabis, ſive *Agnum*, ſive *Ovem*, ſive *Agnam*, de qua Gen., Job., & Act. loc. cit. autumant Vatablus, Cajetanus, Lippomannus, Tremelius, Munſterus, Fagius, Caſtalio, Druſius, Clarius, Grotius Crit. Sacr. edit. Francof. T.I. p. 310. ſqq., & Codurcus T. II. p. 1118; pro *Obolis* interpretati RR Salomon Jarchi, & David Kimchi leguntur apud Druſium Crit. Sacr. loc. cit., & Polum Synop. Crit. Sacr. T. I. p. 235; quibus adhaeſit Lyranus, dicam tamen inſcripſere Druſius, & Polus ibid.; pro *Minis* accepere Eugubinus, Bonfrerius &c. apud Polum p. 234; pro *Nummis* accipiendam docent Waſerus de Antiq. Num. lib. 2. cap. 15, Stephanus Morinus de Lingua Primaeva cap. 9. p. 271, Polus, Rivetus ad Gen. XXIII, Mercerus ad Job. XLII. 11, Arias Montanus ibid., Junius, & Tremelius, Piſcator, & Scultetus apud Polum Synop. Crit. Sacr. T. II. p. 497. Indeque factum putatur, ut *Pecunia* in genere a *Pecude* Nummis impreſſa denominaretur: qua de denominatione Plutarchus in *Publicola*, Columella in Praef.

lib. 7,

Digitized by Google

lib.7, Varro de Re Ruſtica lib. 2. cap.1, Plinius lib.18. cap.3, Harduinus de Re Monet. p.187.ſq., Waltonus de Pond., Menſ., & Monet. &c. edit. Tigur. Proleg. p. 95, & Carlius de Orig. Monet. T. I. diſſert. 1. §.2. p.5, ubi Sperlingium in diſſert. de Num. non cuſis cap. 1. opinatum a *Phidone* Argivo Chriſtianam ante Aeram anno 894. omnium primo Nummos fuiſſe procuſos, teſtimonio ſuffultum Julii Pollucis Onom. lib. 9. cap. 6. Segm. 83. Oper. T.II. p.1062, Strabonis lib.8. p.358, & Marmorum Oxon. Epocha xxxi, ſibi refellendum ſuſcepit. Parum tamen feliciter: namque a *Phidone* primum litteris Pecuniam fuiſſe obſignatam refert Pollux, in quem videndi Plinius lib.7. cap. 56, Begerus in Theſ. Brandeburg. T.I. p. 279, & Hemſtherus in Not. cit. p. 1062. ſq.; *Phidonem* omnium primum ad Menſuram, & pondus exigendam Pecuniam docuiſſe indicat Herodotus in *Eratone*, & auctor eſt Strabo loc. cit., ubi conferendus Caſaubonus; a *Phidone* vero in Aegina Argenteam Monetam fuiſſe procuſam indicat Etymologus, & docent Marmora Oxon., in quae conferendi Lydiatus, Palmerius, Prideaus &c. Videndus etiam Pollux Segm. 70. ſq. p.1040. ſqq., & 79. ſq. p.1055. ſqq., ibique Hemſtherus in Not., Freretus quoque in Nov. Obſervat. ad Vet. Chron. Defenſ. Par.I. Sect.3. p.99. ſqq., quo loci cum Herodoto lib.6. cap.127, & Pauſania lib. 6. p.509. cum *Phidone* hoc a Nevvtono confuſum *Phidonem* II, turpi annorum 298. anachroniſmo obſervat; atque Begerus cit. Theſ. Brandeb. T. I. p. 279, ubi Argenteum Nummum inſcriptum duabus hiſce ΦΙ. litteris ad dexteram, & ad laevam duabus hiſce ΔΟ. *Phidoni* tribuere non dubitat, eidemque vindicare conatus eſt diſſert. edita Miſcell. Berolin. T.I. p.33. 59. Schottus Begeri Nepos. Contra vero *Phidoni* abjudicarunt Sperlingius de Num. non cuſis cap. 1, & Cuperus in Epiſt. ad Schottum in Contin. II. Miſcell. Berolin. p.1. ſqq., Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Scient. Num. Joberti Inſt. 1. T.II. edit. Ven. p.6. ſqq., ac Jacob. Baſnagius, contra quem tamen diſputat Matur. Veiſſierius la Croze in libello Gallice edito 1711. *Entretiens ſur divers ſujets d'Hiſtoire* &c. exerte pro Nummis *Phidonis*, non ſecus atque *Amynthae*, aliiſque antiquis, de quibus infra, pugnans. Et Cuperus in eo certe vim

argumenti maximam collocat, quod Nummi apertiſſime No-θαν prodat nimia ipſius Nummi elegantia, nitorque; fieri nequaquam potuiſſe ratus, ut ipſa Sculptoriae Artis initia ſummam ipſius perfectionem attigerint.

X. Aſt enim Schottus cum in Reſponſ. ad Cuperum eodem T.II. Miſcell. Berolin. p.9.ſqq., tum in Diſquiſitione antiquaria de eodem Nummo, quem a Sperlingii dubitationibus liberare, Nummique A'υθεντίαν vindicare ſatagit Miſcell. Berolin. T.III. p. 32. ſqq., *Phidonis* Nummum, non *Phidonis* nomine a ſeris poſteris, ſed a *Phidone* ipſo procuſum, legitimum, juxtaque antiquiſſimum haberi debere hiſce ductus momentis ſuadere nititur. 1.° Nummi craſſitie, pondere, forma, materia, quae genuinum oſtendunt; *Craſſitie*, olim ſiquidem, antequam ſcilicet Nummi malleis, ac formis ſubjicerentur, ſed ex metallo liquefacto, moduloque ex argilla confecto, Nummique formam, ac figuras referenti infuſo ita primum efformati, formiſque deinde percuſſi, craſſos ex officinis prodire Nummos oportebat; Craſsoſque quammaxime inſolito Aeginenſium olim fuiſse Nummos teſtatam rem facit Pollux lib.9. cap.6; *Pondere*, Aeginaeo quippe ponderi optime Nummum illum reſpondere obſervat, utqui ad bilancem exactus duas pendere Drachmas, non Atticas, ſed Aeginaeas, (quae quatuor obolis plus valuiſse, fuiſeque Attica ponderoſiores ex Polluce, aliiſque patet, Drachma namque Attica obolos ſex, Aeginaea vero decem valebat,) deprehenſus eſt, ac pondere convenire cum *Chelone*, ſeu Aeginenſium Nummo teſtitudine inſignito, in eodem Regio Berolinenſi Muſaeo ſervato; *Materia*, ex puro enim argento conflatus adparet Nummus, cujuſmodi ex puro argento e fodinis effoſso, nullaque ſeparationis arte purificato, vel adulterato priſcos conflari Nummos conſueviſse inter rei Antiquariae Peritos jam convenit; *Forma* denique, qua rudis, rudique e fabrica profectus Nummus ſe manifeſtat, etſi ſua ei pro tempore elegantia non deſit; qua nulla inſcriptione inſignitus antiquitatem prodit ſuam; ſiquidem pluribus ex probatae fidei Nummis aliis pateat, quò antiquiores, eò inſcriptione deſtitutos eſse Nummos. 2.° Nummi figura, Typo, adverſaque Nummi facie; quibus ab omni ſup-

ſuppoſitionis nota ſatis vindicari Nummum contendit: *Figura*, quae artificioſe etſi caelata videatur, ut tanta vetuſto illi aevo artis peritia convenire parum videatur, dubitationem tamen de Nummi ſinceritate omnem amovet auctoritas cum Pauſaniae, qui lib.7.p.533. de pervetuſto *Herculis* ſigno apud Erythraeos olim percelebri verba faciens Aeginaea Simulacra Atticis, Aegyptiiſque praeponit, quod eiſdem arte praeſtarent; lib.8. p.708. Simulacra arte praeſtantia Graecis *Aeginaea* nuncupari conſueviſse refert; atque lib.10. p.890. *Dianae Dictynnaeae* apud Ambryſſenſes Simulacrum deſcribens opus fuiſse Aeginaenſis artis adfirmat; tum Paterculi lib. 1. cap. 5, qui Homerum, & Archilocum primos auctores Poeſeos, eoſdemque perfectiſſimos fuiſse teſtatus, argumento eſt in Sculptura, & Pictura eſse quoque potuiſse antiquiſſimos, eoſque peritos Artifices; qualis eſse potuit *Daedalus* in Graecia bello Trojano vetuſtior, ideoque & *Phidon* in Aegina: quod ipſum confirmant Aureus Vitulus ab Iſraelitis conflatus, Hieroglyphica apud Aegyptios celebratiſſima, Nummique plerique vetuſti rudi quidem Minerva procuſi, ſed qui elegantiam quamdam praeferant; *Typo*, in quo nulla quum humana cernatur figura, ne caput quidem *Phidonis*, documento eſt artem eo tempore haud multum progreſſam fuiſſe; quae vero in Nummo Urcei, Clypei, & Uvae figurae viſuntur, vitio carent utique, quae elegantiae ſpecies eſt, artificium tamen exquiſitum non oſtendunt, ſiquidem haec delineare nihil ſimplicius; Nummi, ſive Typi adverſa facie, in qua Clypeus Boeotius admodum ſimplici arte delineatus exhibetur, cujuſmodi ſpeciei Nummi ſunt antiqui *P. Licinii Stolonis*, in quo *Auguſtus* Signis militaribus a Parthis recuperatis ovans in Urbem regrediens viſitur, in altera parte Clypaeus conſpicitur; alterque *Antonini Pii* cum Clypeo in poſtica depicto adparet caput: namque in Nummorum, ſive Typorum adverſa parte harum figurarum ſimplicitatem Antiquitatis documento eſſe viderunt etiam Jacobus Barthelemvus Regis Gall. Nummophilax Monum. Acad. Pariſ. Inſcript. T.XXIV. p.30, ac Paullus Paciaudus in Animadv. Philolog. ad Nummos Conſulares ſect.9. p.65. ſqq. Eis obſervatum eſt enim in vetuſtiſſimis Graecarum Urbium Nummis in poſtica

ca parte rudi artificio Tetragonum Circulo inſcribi conſueviſſe, quod inde factum putant, quod initio Artifices ignari, qua ratione pecuniam utrinque ferirent, quin Typum inferiorem confunderent, opuſque ex antica parte exactum offenderent, metalli fruſtum retinaculo quodam applicatum malleo tum demum percutere conſueverint: ideoque Nummos ſimplicibus hiſce in poſteriore parte figuris procuſos nonnisi prima artis Monetariae naſcentis adhuc, impolitaeque primordia eſſe. Sed de *Phidonis* Nummo jam nimis.

XI. In S. Scriptura rurſus, cujus loca omnia, in quibus Nummorum occurrit mentio, egregie percenſuit Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p.603. ſqq., *Argentei* paſſim memorantur Gen. XXXVII. 28, & XLV. 22, Judic. XVI. 5, & XVII. 2, I Reg. II. 16; II. Reg. XVIII. 12, & IV. Reg. VI. 25, II. Paralip. I. 17, Iſaj. VII. 23, Hier. XXXII. 9, Oſe. III. 2, & Zachar. XI. 12. Judaici *Sicli* iterum mentio fit Exod. XXI. 32, XXX. 23. ſq., & XXXVIII. 24, 28. ſq., Levit. V. 15, XXVIII. 3, 16, Num. III. 47, 50, VII. 13. ſq., 25. ſq., & XVIII. 16, Deuter. XXII. 19, 29, Joſue VII. 21, Jud. VIII. 26, I. Reg. XVII. 5. 7, II. Reg. XIV. 26, XVIII. 2, XXIV. 24, III. Reg. X. 16. 29, IV. Reg. XV. 20, I. Paralip. XXI. 25, II. Paralip. I. 17, III. 9, II. Eſd. V. 15, I. Macchab. X. 40. *Hemiſiclus*, ſive *Sicli* dimidium מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל *Mabeatzith Haſcekel*, ſive בֶּקַע הַשֶּׁקֶל *Beka Haſcekel*, *Media pars* Sicli memoratur item Exodi XXX. 13. ſq., quo viginti obolos contineri dicitur: qua voce *Beka* Hebraice, מַטְבֵּעַ *Mathbeah* Chaldaice, & Syriace, Τὸ Ἥμισυ τοῦ διδράχμου, *Dimidium Didrachmatis* Graece, Hemiſiclus, & *Medium Sicli* Latine, *Monetam* generatim etiam ſignificari notat Waſerus de Antiq. Num. cap. 3, invito tamen Sacro Textu; quo Siclus obolos viginti continere legitur. *Sicli Aurei* (de Auri plurimis ſane dictionibus apud Hebraeos, Chaldaeos, Arabes, Syros &c. conferendus Waſerus cap. 6. ſqq.), *Aurei*, inquam, *Sicli* זהב *Zabab* Hebraice, ſive דהב *Debab* Chaldaice, & Syriace, ſive זהב שקל mentio etiam occurrit IV. Reg. V. 5, I. Paralip. XXI. 25, & XXIX. 7, II. Paralip. IX. 16. *Stateris* item Vulgato Interpreti, שקל etiam *Sicli* Hebraice dicti, qui duos nempe Siclos pretio aequat, & pondere, I. Reg. IX. 8, IV, Reg.

Reg. VII. 1, Hierem. XXXII. 9, & Ezech. IV. 10. *Adarcon* אֲדַרְכּוֹן, Latine *Solidi*, Auri monetae I. Paralip. XXIX. 7, I. Eſd. II. 69, & VIII. 27, qua de R. David de Pomis in Lex., & R. Kimkius de Radic. *Minas* quoque memoratas legere licet III. Reg. X. 17, I. Eſd. II. 69, II. Eſd. VII. 72, I. Macchab. XIV. 24, & XV. 18. *Talenti* demum כִּכָּר *Ciccar* mentio fit Exodi XXXVIII. 24, 26. ſqq., II. Reg. XII. 30, III. Reg. IX. 14, 28, X. 10. 14, XVIII. 24, & XX. 39, IV. Reg. V. 5, 23, XV. 19, XVIII. 14, XXIII. 33, I. Paralip. XIX. 6, XXII. 14, & XXIX. 4, II. Paralip. III. 8, VIII. 18, IX. 9, 13, XXV, 6, 9, XXVII. 5, I. Eſd. VII. 21. ſq., VIII. 26, Tobiae I. 16. ſq., Eſth. III. 8. ſq., I. Macchab. XI. 28, XIII. 16, XV. 31, & II. Macch. III. 11, IV. 7. ſqq., V. 21, & VIII. 10. ſq. *Sicli triens* שלישית השקל memoratur inſuper II. Eſd. X. 32; *Sicli Quadrans* זוזא Chaldaice *Zuzam* I. Reg. IX. 8, Syriace Δραχμή; *Sicli vigeſima pars* גרה *Gerah*, Chaldaice מעא *Mehah* Exod. XXX. 13, Levit. XXVII. 25, Ezech. XLV. 12, quae pars eſt Drachmae quinta, non vero Obolus, veluti cum aliis vulgo cenſet Calmetius in Diſquiſ. de Monetae Signatae vetuſtate T. I. edit. Ven. p. 22, *Obolus* ſiquidem Drachmae pars ſexta eſt. *Agorah* אגורה legitur I. Reg. II. 36, qui Chaldaice מעא *Mehah* idem ac *Gerah* גרה, Graece Ὀβολον, Arabice, مغا *Megha*, כסף *Keſeph* etiam, *Nummi*, atque *Pecunia* vocantur Gen. XX. 16, XXIII. 16, & XLIII. 21, I. Reg. II. 36, & II. Reg. XVIII. 12: qui Chaldaice pro *Siclis* סלעא *Silga*, Graece Σικλον, Hebraice קשיטה *Keshitah*, Arabice كستوف *Ceſtuf*, Latine *Agni*, & *Oves* denominantur Gen. XXXIII. 19, Joſue XXIV. 32, Jobi XLII. 11, incerti *Nummi*, qui pro *Obolis Gerah* Hebraeis accepti feruntur apud David Kimkium in Radic., R. Levi ben Gerſom in Pentat., & R. Salomonem Jarchi in Gen. loc. cit. Graecis pro *Agna* Nummis inſcalpta Ἀμνή legi Μνᾶ *Minam* credunt Eugubinus, & Bochartus in *Phalegh* lib. 1. cap. 7. Oper. T. II. p. 366. Κάρ Jonice *Ovem*, כר *Car* Hebraice *Agnum*, vel *Arietem* indicari opinatus. Perſicum eſſe Nummum credit le Pelletier *Darico* reſpondentem a *Dario Hyſtaſpi*, a quo primo Monetas fuiſſe procuſas, *Daricos* inde dictas, fertur, denominatum,

tum. *Burſam* apud Perſas *Tomanos* 50, ſeu apud Turcas *Nummos* 2500. continentem interpretatus Calmetius in Dict. Bibl. T. I. p.559.

XII. Ex quibus veri parum oppido ſimilior adparet Villalpandi T.III. lib.2. diſp.4. cap. 28, & Schikardi de Num.Hebr. §. 13. p. 15. opinio de una, eademque Hebraeis Monetae ſpecie olim uſurpata. Videndi ſane, qui de Nummorum diverſa apud Hebraeos tum ſpecie, tum valore, ac proportione uberiori diſputarunt oratione poſt Heſychium V. Σικλος, Pollucem Onom. lib.9. Segm. 70. ſqq. T.II. p. 1040. ſqq., Suidam V. Ταλαντον T. III. p.425. ſq., Joſephum Antiq. Jud. lib.3. cap. 10, R. Davidem Kimchium in lib. de Radicibus, & R. Moyſem Gerundenſem Expoſit. in Pentat. ad fin., Arias Montanus in Tract. de Siclo, Maſius in Joſue cap.7, Antonius Auguſtinus Dialogo 2. de Num., Harduinus de Re Monet. p. 185. ſqq., & in Chronol. Vet. Teſt. p.603. ſqq., Froelichius in Proleg. Annal. Syr. Par. V. cap. 4. p. 83. ſqq., Calmetius in Dict. Bibl. T. II. ad calcem p. 563. ſqq., & in Diſquiſ. de Monetae Sign. Vetuſt T.I. p. 17. ſqq., Brereevoodus de Pond., & Pretiis Vet. Num. cap. 1. ſqq. apud Waltonum in Proleg. 2. ad Biblia Polygl. edit. Tigur. p. 81. ſqq., Pridaeus Hiſt. Jud. T. I. in Praefat., Waſerus de Antiq. Num. Hebr. Chald. Syror. &c. Crit. Sacr. edit. Francof. T. VI. p.930. ſqq., Cumberlandus de Menſ., & Pond. Num. Jud., Eduardus Bernardus de Pond., & Menſ. Antiq. &c. Quia vero *Siclos*, & *Talenta* cum ad Templi, ſive Sanctuarii Menſuram, ac pondus Exodi xxx. 13. ſqq., Levit. xxvii. 25, Num. iii. 47, & 50, & xviii. 16, tum ad Publicum Mercatorum לסחר Gen. xxiii. 15. ſq., & II. Reg xiv. 26. apud Judaeos appendi conſueviſse conſtat, inde in ſuſpicionem adducor, ut opiner Judaeis Monetarum valorem, non ex effigie, ſed ex pondere, aut menſura aeſtimari conſueviſse. Menſurae vero, & ponderis duplex fuiſse genus inde patet, *Regium*, & Publicum pro uſu quotidiano, ac profano, *Sacrum*, ac privatum pro uſu Sacro, ac probando quotidiano, prout oporteret, quum nempe contra Publicum reclamare fortaſse contingeret: videndusque Leuſdenius in Philologo Heb. Mixto diſsert. 28. p. 204. Ideo diverſa Pondera majus, & minus

nus lege lata prohibita leguntur Moyſi Deuter. XXV. 13. ſqq., & Amoſo VIII. 5. Quae generatim prohibita argumento ſunt in falſo laborare Sperlingii, Bocharti, Zanolini in Lex. Hebr. p. 540, aliorumque opinionem de Pondere Sacro *Templi*, quod duplo alteri praeſtaret, cum Gentilibus Judaeis adhibendo, deque Pondere altero publico *Urbis* cum exteris puta Aegyptiis, Phoeniciis, Cananaeis &c. uſurpari permiſſo: qua de re videndus le Pelletier in diſſert. de Pondere Comae Abſalonis. Ideo Sacrum a Profano in eo diſcrepaſſe pondus augurari fas eſt, quod illud prae iſto ad legum praeſcriptum omnino, omnemque prorſus juſtitiae aequitatem exactum eſſet, exaequatumque. Tam itaque Sacer, quam Profanus *Siclus* quatuor pendebat Drachmas Atticas, teſtibus Joſepho Antiq. lib. 3. cap. 10, & Heſychio V. Σίκλος; idque liquet ex Matth. XVII. 24, ubi quod *Didrachama*, ideſt Drachma duplex, vocatur, idipſum Exod. XXX. 13. *Semiſiclus* dicitur: quatuor autem Drachmae Atticae Romanam Semiunciam pendebant, notante S. Hieronymo in Ezech. IV; ex Siclis 60. vero *Mina* ſicut ex Minis 60. *Talentum*, conſtabat, ideſt ex Drachmis 240. Siquidem autem *Drachma* Alexandrinum, non ſecus atque *Talentum*, Attico duplex erat, inde factum eſt, ut Graeci LXX. Interpretes, qui ſane aut Alexandrini fuere, vel Alexandriae certe Graecam Verſionem exornarunt, qua de re alio in loco, Hebraicum שקל *Siclum* conſtanter Δίδραχμον *Didrachma* interpretati ſunt: inde factum, ut S. Epiphanius de Pond., & Menſ. p. 183, Vetus Scholiaſtes apud Camerarium, & S. Iſidorus Orig. lib. 16. cap. 24. *Siclum* duas valere Drachmas Atticas ſcripſerint, qui ſcribere debebant Drachmas Alexandrinas duas, Atticas quatuor; indeque factum, ut a nonnullis per errorem duplex excogitatus fuerit *Siclus*, Sacer unus, qui Drachmas quatuor penderet, Profanus alter, qui duabus tantum Drachmis aequivalet. Videndi Bochartus in Epiſt. ad Faukelium de Pondere Capillorum Abſalonis Oper. T. II. p. 883. ſqq., & Petavius, in Animad. ad S. Epiphanium de Pond., & Menſ. Oper. T. II. p. 427. ſq.


XIII. Jam vero Siclos, Hemiſiclos, Stateres, Aureos, Solidos, Argenteos, Drachmas, Minas, Talenta &c. ponde-

ris apud Hebraeos nomina pridem fuiſſe ut credam facile adducor. Namque ab *Abrahamo Siclos* appenſos fuiſſe adparet Gen. XXIII. 16; ex Pondere repertam *Pecuniam* in Fratrum Saccis Gen. XLIII. 21. a *Joſepho*; ad Pondus appenſos *Siclos* ab *Eliezere* Gen. XXIV. 22; ex Pondere, & Menſura *Siclos*, & *Talenta* a *Moyſe* praeſcripta Exodi XXX. 13, XXXVII. 24., & XXXVIII. 24; ex Pondere *Siclorum* penſitatos *Abſalonis* Capillos II. Reg. XIV. 26; ad Pondus expenſa *Talenta Salomoni* quotannis ex Ophir allata III. Reg. IX. 28, & X. 14. *Argentum* ad Stateram ponderari conſueviſse patet item ex Iſaiae XLVI. 6, Hierem. XXXII. 9. ſq., & Zachar. XI. 12; *Stateres* etiam ad Pondus appenſos ex Ezech. IV. 10. liquet. Videndi Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 607. ſq., Calmetius in Diſquiſ. de Mon. Sign. Vetuſt., Relandus de Num. Sam. diſſert. 1. p. 7, Hottingerus de Hebd. Dan. diſſert. 2. ſect. 2. §. 31. p. 128, Carpzovius in Crit. Sacr. Par. I. cap. 5. ſect. 6. p. 234. ſqq., & Baſnagius Hiſt. Jud. lib. 6. cap. 24. Hinc neque ſatis perſuadere mihi queo, ut putem apud Hebraeos Monetis olim inſculptas figuras, Agni puta, Ovis, Arietis &c. fuiſſe, ea pro ſumma, qua Sculptilis ab omnis ſpecie religione abhorrebant. Unde fieri potuit, ut pro voce *Keſitah* obſcuriſſima Gen. XXXIII. 19, ſive pro *Agnis* ipſis, (quo nempe *Keſitah* nomine in Africa dumtaxat *Pecuniam* vocatam audiri refert R. Akiba in *Raſch Haſciana* cap. 26,) eorumdem pretium a Chaldaeo, Graeco, Latinoque Interprete poſitum fuerit, uti putant Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 601, Villalpandus, Bolducius in Jobi cap. 42. v. 11, Calmetius in Diſq. de Mon. Sign. Vetuſt., Bochartus Hier. Par. I. lib. 2. cap. 43, Baſnagius Hiſt. Jud. lib. 6. cap. 24. §. 15, Buxtorfius, Spanhemius in Hiſt. Jobi Oper. T. II. p. 85. ſqq., Deylingius Obſerv. Sacr. Par. III. Obſerv. 25. §. 3. ſqq. p 225. ſqq. Atque ita ſane Jobi XLII. 11. per קשיטה *Ovem* proprie dictam, non ut in Moneta expreſſam, intelligi debere jubent Bolducius, Spanhemius, & Deylingius. Itaque ubi IV. Reg. XII. 10. *Pecunia* numerata legitur Artificibus, ita accipienda videtur Buxtorfio in Lex. Thalm., & Baſnagio loc. cit., ut Verbo המתכן *Hametbukkin Ponderata*, ſive *Parata* idem ſignificetur, ac תכן *Thacan* numero, & pondere penſitata. Quin ego

ego tamen inficias eam tum etiam Argentum in fruſta diſpertitum pro numerata pecunia apud Judaeos, non ſecus atque Gentes apud alias, puta Aegyptios, Phoenicios &c., hodiequedum apud Sinenſes, queis Aurum ita in numero eſſe, ut tela, veſtiſque ſerica, pretium pro portione argenti, ut tempus Negotiatorum rationes poſtulant, varium, Nummoſque quidem ſignatos conſpici, quos tamen Imperator honoris, ac muneris loco dumtaxat Natali die ſuo dividere ſoleat, non ita etiam ut tanquam Pecunia publica uſu veniant, ſed uſu publico maſſas Argenti rudes, ſigno tametſi aliquo notatas, venire obſervat Bayerus de Re Nummaria Sinenſium Miſcell. Berolin. T. V. p.175. ſqq., accipi potuiſſe. Quocirca ad fabellas, quas paſſim belle permiſcere delectatus eſt, amandanda profecto traditio, quam unus nobis vendidit Abulpharagius Hiſt. Dynaſt. p. 12, de *Sarugo*, cujus Gen. XI. 20. mentio, primo cudendae Monetae tam Argenteae, quam Aureae inventore. Junge quod longe quam ante Judaeis ſub *Abrahae*, ſive *Moyſis* aetate, ſerius Aegyptiis, Chaldaeis, Aſſyriis, Phoenicibus, Medis, Perſis, Macedonibus, Graecis, Latiniſque ſignata uſu Moneta venit. Etſi enim Aeris, Auri, & Argenti vetuſtiſſimus fuerit uſus; unde *Aeris* uſum a *Lido* Scytha genere inventum refert Ariſtoteles apud Plinium lib. 7. cap. 57, & Clementem Alex. Strom. lib. 1. p. 307; *Argenti* tribuunt *Ericthonio Vulcani* filio ante bellum Trojanum anno 300. circiter Plinius lib. 7. cap. 36, & Pollux lib. 9. cap. 6. Segm. 83. T. II. p. 1063, ac videndi Kuhnius, & Hemſtherus ibid. in Not.; *Aeaco* item Plinius ibid., & *Lyco* Pollux loc. cit., *Indo* Scythae, quem non differre a *Lido* Ariſtotelis, nec a *Lyco* Pollucis autumo, Hyginus Fabul. 274, & Caſſiodorus Var. lib. 4. epiſt. 34; videndique Marshamus in Can. Chron. Seculo XV. p. 421, Blanchinius Hiſt. Univ. Dec. IV. cap. 31. p. 534. ſq., & Haymius in Theſauro Britan. T. I. p. 133. ſq., ubi *Lici* nomine inſignitum exhibet Nummum, *Antiſtenis* etiam unum, & *Eupolemi* alterum ibid. p. 135. ſq., & T. II. p. 64: quos tamen Nummos ſerius procuſos fuiſſe ſuſpicari fas eſt ipſis ex litteris, quae ſequioris aetatis notam praeſeferunt; *Auri* demum uſum inductum *Prometheo* adſcribit Euripides; *Linceo* ante Chriſti natalem an. 1460. Palaephatus Opuſc. Mytho-

tholog. Phyſ. n. x. V. *Linceus*; *Oſimandyum* etiam Aegypti Regem Auri, & Argenti uſum feciſſe referat etſi Diodorus Sicul. lib. 1. p. 23. ſq.; etiamque etſi Aeris, Argenti, Aurique in fruſta diviſi uſum pro Nummis primum obtinuiſſe apud Lydos tradant Herodotus lib. 1. cap. 94, & Pollux cit. p. 1063; a *Jano* primum anno 1330. circiter ante Chriſtum Macrobius Sat. lib. 1. cap. 7, & inlatum fuiſſe velint Athenaeus ex Cytherio Poëta Dipnos lib. 15. p. 692, ab *Ithone* Theſſaliae Rege, *Deucalionis* filio, *Jano* antiquiore potius contendat Lucanus lib. 6. v. 402; a *Phidone* Argivo Chriſti ante natalem anno 895, ut habent Marmora Oxon. Epocha xxix, magis repetant Pollux loc. cit., & Strabo lib. 8. p. 358, totum id tamen pondere, non numero, peragi ſolebat. Videndus Begerus Theſ. Palat., & Brandeburg. T. I. p. 279, & 282, ac T. II. p. 527.

XIV. Et quidem ante *Trojae* excidium Monetae ſignatae nequidem nomen auditum teſtatur Plinius lib. 33. cap. 3, cui conſentit Paulus Digeſt. *De Contrah. Empet.*, quem fruſtra vellicat Carlius de Orig. Mon. diſſert. 1. §. 3. p. 6. ſq., quaſi omnem is Monetae uſum negarit, qui unius Monetae Signatae negat uſum. Quamquam Feithius in Antiq. Homer. lib. 2. cap. 10. ex Homero, Servio, Plutarcho in *Theſeo*, Dionyſio Perieg., Philoſtrato lib. 3. Vitae Apoll., Polluce &c. oſtendere nititur ante *Trojae* excidium Graecis jam Monetas uſu ſignatas veniſſe. Et ſane Trojano ſub bello *Pylaemenis Evergetae* Paphlagoniae Regis Nummum apud Patinum vindicare, ſingularique illuſtrare diſſertatione ſtuduit Sebaſt. Faeſchius Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 1606; atque Cumaeis ab *Hermodice* conjuge *Midae* Phrygiae Regis, Chriſti ante natalem anno 696. primo Nummos fuiſſe percuſſos refert Caelius Rhodig. Antiq. Lect. lib. 21. cap. 48. Sub *Croeſo* tamen, Chriſti ante natalem anno 562, Moneta necdum ſignata conſtat ex Herodoto lib. 6. cap. 123. Ante *Darium Hyſtaſpem* Perſis ignota Moneta ſignata adparet item ex Herodoto lib. 3. cap. 89, & lib. 4. cap. 166, ex Strabone quoque lib. 15. circa finem. Ejus vero de nomine dictos olim אדרכון *Adarcon*, & דרכמון *Drakmon*, quorum mentio Eſd. II. 69, & VIII. 27, Nehem. VII. 70. ſqq., ac I. Paralip. XXIX. 7. occurrit, adeo ut *Drakmon* ponderis nomen fuerit,

rit, *Adarcon* vero Regis Perſarum, *Darii* nempe, cujus nomine Aurea Signata Moneta uſu primum Judaeis venerit, docent verius Eduardus Brerewodus de Ponder., & Pretiis Vet. Num. cap. 3, Jobus Ludolfus in Not. ad Hiſt. Aethiop. p. *66*, Ant. Bynaeus in Epiſt. ad Cuperum Antiq. Graec. Suppl. Poleni edit. Ven. T.IV. p.53, & 60, Eduardus Bernardus de Menſ., & Pond. Antiq. p.115. ſqq., & Gisbertus Cuperus in Epiſt. *23*, & 25. ad Sperlingium eodem Suppl. Poleni T.IV. p. 49. ſqq., & 53. ſqq. (Qui tamen in epiſt. ad Stephanum Morinum p.68. ſqq. contra ipſum in Epiſt. p.61. ſqq. apud Hebraeos omnium primos jam a *Noachi* tempore Signatae uſum Pecuniae obtinuiſſe pugnantem verius putat Hebraeis olim Pecuniam non ad numerum, ſed ad pondus aeſtimari conſueviſſe, atque ſignatos Nummos apud Hebraeos primos fuiſſe *Daricos* Perſarum, nec eos e Graecorum *Drachmis* efformatos, ſed eos magis a Perſis ad Hebraeos, & Graecos manaſſe, velut etiam viſum eſt Hottingero de Num. Hebr. diſſert.3. p. 103. ſqq.) Quamquam minus vere tamen Sperlingius in Epiſt.22, & 24. ad Cuperum cit. Poleni Tomo IV. p.47. ſq., & 54. ſq. in ea perſuaſione fuerit, ut putaret a Graecis prius, quam a Perſis ſignatam Hebraeos mutuatos fuiſſe Monetam, atque *Drakmon* quidem, & *Adarkon* non aliam fuiſſe, quam Graecam Δρχ́χμὴν Hebraeis primum uſurpatam. Cui alioquin in opinione praeivere, aut poſt adſtipulari non dubitarunt tam Lexicographi Pagninus, Scindlerus, Buxtorfius, Coccejus, Caſtellus &c., quam Antiquarii, & Interpretes Arias Montanus de Menſ. Sacr., Caſpar Waſerus de Antiq. Num. Hebr. lib. 2. cap. 16, Matthaeus Hoſtus T.I. p.305, Nicolaus Fullerus Miſcell. Sacr. lib.6. cap.20. Crit. Sacr. edit. Francof. T.VII. p.309. ſqq. Sub *Alexandro M.* Aurum nondum obſignari conſueviſſe intelligi datur ex Diodoro lib 18. p.604. In Graecia omnium antiquiſſimi habentur Nummi *Amynthae* I. Patris *Alexandri* I, qui regnare cepit anno 1. Olymp. 63, videnduſque Baſilius Cardonus in Diſsert. praevia ad Placentinii Opuſc. de Siglis Vet. Graec. p. 5, ubi Siglas  BAMI in *Amynthae* Regis Nummis interpretatur: Βασιλέως Αμύντυ Μακεδόνων, (Nota I. vero indicatus anno 1. videtur.) An tamen *Amynthae* Macedoni, an *Galatae* tribuen-

buendus ſit Nummus valde dubitat Froelichius in Num. Antiq. cap.7.p.139. Contra *Amynthae* I. Philippi Patri, avoque *Alexandri M.* Nummum tribuit De Wilde in Select. Num. p. 1. ſqq. *Amynthae* Regis Nummis antiquiorem equidem Nummum ſe reperiſse credidit Harduinus, qui ex Muſeo Ducis Cenomanenſis eum deſcripſit in Ephem.Trevolt.anni 1727.Aug.p.1444. Ex epigraphe nempe, quae in eo conſpicitur ΔΑΜΩΝΑΚΤΟΣ in parte antica, & in poſtica ΚΥΡΑΝΑΙΟΝ, arguit a *Demonace* Cyrenaeo ſub *Batho* IV. adhuc puero Regni adminiſtro, *Cyro* fere coevo, U.C. Seculo II. ad exitum vergente, velut ex Herodoto lib.4. cap. 161. augurari fas eſt, Nummum fuiſse cuſum.. Aſt enim ſpurius viſus eſt Nummus D. Bimardo de la Baſtie in Annot. ad Joberti Scient. Num Inſtr. 1. T.II. edit. Ven. p. 9. ſq., ideo quod *Demonacis* nomen cum Ω *Omega* ſcalptus legitur: quae ſane littera, non ſecus atque littera H *Ita* altera diu poſt, neque niſi ſub *Euclidis* Archontis aetate, ideſt anno 2. Olymp. 94. in Graecum admiſsa fuit Alphabetum; ideoque Nummum *Demonaci* alteri Cyrenaeo Magiſtratui longe poſteriori fore tribuendum putat. Quamquam Vir eruditus ex Cimelio Gall. Regis Nummos alios Cyrene procuſos, inſcriptoſque ΑΡΚ. ΒΑΤ. ΚΥΡ. profert, quos ad *Arceſilam* IV, & ad *Bathum* IV. Cyrenis Reges, *Cyro*, aut *Cambyſi* aetate ſuppares, referendos opinatur.

XV. Bellum ante Trojanum anno 40. circiter ſub *Theſeo* de *Decabaeis*, & *Hecatombaeis* mentio fit, ſed obſignatam fuiſse Monetam negat Sperlingius in diſsert. de Num. non cuſis. Et Athenis certe Argenteam Monetam non ante Olympiadem 67, ſub *Hippia* ideſt, cudi cepiſse auctor eſt Ariſtoteles Polit. lib. 2. cap. 20. Quocirca veterem, quam Athenienſes docuiſse *Theſeus* refertur Plutarcho in *Theſeo*, Monetam, quae *Bos* adpellata, ex figura videlicet inſcalpta, fertur Polluci lib.9.cap.6. Segm. 60. T.II. p.1028. ſq., notaturque Sardo de Nummis p. 11, & Lipſio de Re Num. p. 3, non obſignatam fuiſse, ſed Argenti dumtaxat tantum continuiſse, quanti *Bos* emi poſſet, arguit eo loci Sperlingius. Cujuſce tamen conjecturam non uno evertit modo Hemſtherus in Not. ad Pollucem loc. cit., ab Etymologo ſiquidem tum in Moneta Attica *Bovis*

vis effigies inſculpta diſſerte adfirmatur; tum ex Homero nedum Βοῦς, ſed Δεκάβοῦς, & Ἑκατόμβοῦς, *Decem Boves*, & *Centum Boves* uſurpari traduntur; tum ex Draconis Legibus *Decaboei* ſolvendi memorantur, tum demum *Bos* ſingulus in duas Drachmas Atticas computatus liquido traditur. Ubi demum advertit eam a Plutarcho, cur *Bovis* effigie ſcalpi Nummos voluerit *Theſeus*, adferri cauſſam, ſive quod id fecerit *Bovis* Marathonii, ſive *Minotauri* gratia, ſive quod Symbolo iſthoc admonitos de Agricultura exercenda Atticae voluerit Incolas. Scythas, qua Sarmatas Auri, & Argenti prorſus ignaros produnt Strabo lib. 7. p. 208, & Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. A *Servio Tullio* apud Romanos omnium primo Monetam *Pecude* inſculptam, unde *Pecuniae* nomen derivatum tradunt Varro de Re Ruſt. cap. 1, & de Vita Populi Rom. lib. 1, Plutarchus in *Publicola* p. 103, & in Quaeſt. Roman. p. 274, Columella de Re Ruſt. in Praef. lib. 7, & Plinius lib. 18. cap. 3; qui tamen lib. 33. cap. 3. ante *Pyrrhi* Regis aetatem, quin imo Argento ſignato nonniſi poſt annum U. C. 485, nec niſi poſt annos 62. Romanos Auro ſignato uſos negat. Circumferuntur quidem Nummi plerique alii veteres in Phrygia *Midae* Chriſti ante natalem anno 500. in Pembrokii Comitis Muſeo, in Lydia *Atydi*, veluti legit Spanhemius, aut *Alyati*, uti legendum vult Wachterus, in eodem Muſeo, ſcalpti: quos tamen inter dubios habendos vidit Froelichius de Num. Antiq. cap. 7. p. 137. ſq. Eodem in cenſu habendi videntur Nummi *Cecropis*, & *Dardani* apud Haymium Theſ. Britan. p. 164. ſqq., & 239, etſi de iis ipſe non dubitet; Nummi *Lycurgi* Chriſti ante natalem anno 884, atque *Lyci* ante Chriſtianam Aeram anno 1415, Spartae utriuſque Regis, apud Haymium p. 131. ſqq.; quum nonniſi ſub *Agide* II. Rege anno Chriſti ante natalem 355. invecta Spartam pecunia ſignata fuerit, Plutarcho teſte in Lycurgo edit. Pariſ. 1624. p. 58; Nummi *Gelonis* ante Chriſtum anno 490. circiter, *Hieronis* an. 460. Syracuſis tyrannidem agentium; *Theronis* Agrigenti ante Chriſti natalem anno 480, *Deucetii* in Urbe Siciliae Mena an. 460, *Dionyſii* Sen. an. 405, ac Jun. an. 368. apud Froelichium in Num. Antiq. cap. 7. p. 131. ſqq., quamvis ipſe de his nihil ambigat. In Caria quoque ſigna-

ti

ti leguntur Nummi ſub *Hecatomno* Rege ante Chriſtianam Aeram anno 390, ſub *Mauſolo* an. 357, ſub *Artemiſia* ejuſdem conjuge apud Begerum in Theſ. Brandeburg., atque ſub *Thontopato* an. 337. apud Bimardum in Annot. ad Jobert., quos tamen genuinos, legitimoſque pronuntiare omnes ego non auſim. Idem ferendum judicium de Nummis *Evogorae* Cyprii ante Chriſtum anno 390. apud Maffejum in Veron. illuſt., atque Heracleae in Ponto tyrannis *Timotheo* ante Chriſti natalem an. 350. circiter apud Haymium p. 141. ſqq., *Dionyſio* apud eumdem, ac Froelichium p.136. ſq., & *Amaſtri* ejus Conjugi apud Spanhemium adſcriptis. Etſi vero de Nummis dubitare nefas ſit Tegeae cum *Martis*, ac *Palladis* imaginibus apud Froelichium Num. Antiq. cap. 2. p. 20. ſq.; Athenis cum *Noctua* apud Haymium Theſ. Britan. p. 170. ſqq.; Corinthi cum *Pegaſo* apud Froelichium p. 25; Thebis cum *Scuto*, aliiſque Boeotiae Urbibus cum *Minervae*, aut *Neptuni* iconiſmis apud Haymium p. 227. ſqq.; Delphis cum *Capra* apud Witzeleben in Num. Lipſ. 1754; Aeginae cum *Ariete*, ac dimidia *Navi* apud Haymium p. 224. ſq.; Aegeae cum *Teſtitudine* apud de Wilde in Select. Num. p. 72. ſq.; Eleuſi cum *Cereris* Curru, aut *Clava* apud Haymium p. 225. ſq. &c. ſcalptis, eorum tamen de aetate certi nihil conſtat, unde de cuſae Monetae Epocha fas judicium ferre ſit. In ea tamen Froelichius de Numiſm. Antiq. cap. 2. p. 18. opinione obverſatur, ut putet germanos eſſe, atque pervetuſtos tergeminos *Umbrorum* Nummos Cimelii Vindobon Auſtriaci, & Acad. Soc. J., in quibus *Bovis* imago conſpicitur, inde motus, quod Herodoto lib. 1. cap. 94. teſte, a Lydis omnium primis inventa Moneta fuerit, Lydorum vero Colonia a *Tyrrheno* ducta in Umbriam legatur; atque Strabone lib. 8. p. 577. edit. Amſt. ex Aeginetis olim Coloni in Umbriam advenerint, Aeginae vero a *Phidone* Nummos fuiſſe ſcalptos ſide cum Aeliano adfirmat ſua. Tam antiquum vero, quam legitimum habere nullus ambigo Nummum tetradrachmum *Arei* Regis Spartanorum nomen, cum *Herculis* capite, & *Aquilae* inſigne praeferentem, quem e Savorgnaneo Venetiis Cimelio Froelichius in Num. Reg. Veter. p. 1. ſqq. protulit. Qui ſane *Areum* I. hunc fuiſſe haud dubitat, (*Areus* II. ſi-

II. ſiquidem octennis puer obierit), qui Spartae regnum ante Chriſti natalem anno 309. iniit, Litteraſque dediſſe ad *Oniam* I. Judaeorum Pontificem M. legitur Macchab. lib. 1. cap. 12. verſ. 20, & apud Joſephum Antiq. Jud. lib. 12. cap. 4, alias 5. edit. Havercamp. p. 606. Hoc ipſo antiquitatis, ſinceritatiſque loco habendi Nummi profecto ſunt tam *Archelai* Macedoniae Regis tertii poſt *Amyntam* I, qui Chriſti ante natalem anno 413. regnum adivit; quam *Andoleontis* Paeoniae Regis, qui *Philippo* Macedoniae Regi *Alexandri M.* Patri aetate ſuppar fuit, circa annum 360. ante Chriſti natalem, queis de copioſe Froelichius p. 40. ſqq. Vetuſtiſſimos etiam, juxtaque legitimos habet Nummos, quos eodem e Cimelio Vindob. exhibet p. 23. ſq. Froelichius, *Crotone* cum *Ciconiae* imagine; *Agrigenti* cum *Aquilae* iconiſmo, Βουστροφηδόν utrumque ſcriptum; *Zaucle* cum *Delphini* ſigura; & *Regii* cum *Bovis* capite expreſſos. Adeundi tamen Harduinus de Re Monet. p. 186. ſqq., Jobertus Scient. Num. T. I. Inſt. 5. edit. Ven. p. 59. ſqq., Baſnagius Hiſt. Jud. T. VI. p. 535. ſqq., Calmetius in Diſquiſit. de Mon. Sign. Vetuſt., Joh. Georgius Vachterus in Archaeologia Num. cap. 4. de Num. Sign., & invent., Matth. Hoſtus Hiſt. Rei Num. T. I. lib. 1. cap. 2. p. 9. ſqq., Zacharias Gaeſius diſſert. 1. de Num., Barthelemyus in Tentamine Palaeographiae Numiſmat. Memor. Academ. Inſcript. &c. T. XXIV. p. 30. ſqq. &c.

XVI. Ex Nummis jam vero, qui adhuc ſuperſunt, ut de illis ſileam, qui *Adami*, & *Evae*, *Caini*, & *Abelis*, *Moyſis*, & *Aharonis* &c. referunt effigies, ex his pleroſque ſub *Samuele*, *Saule*, *Davide*, *Salomone* &c. fuiſſe revera percuſſos cum Judaeorum quadriga celebri R. Azaria in *Meor Ennajim* fol. 174. Col. 2, R. Maimonide in Scholiis ad Cod. ידים de *Lotione Manuum* cap. 4. §. 5, R. Moyſe Nachmanide in *Piruſch Tora* fol. 342. b, & R. Obadias de Barthenora in Tract. *Jadain* cap. 4. §. 5. p. 194, arcte perſuaſum olim habuere Scaliger. in Not. Euſeb., Arias Montan., Schaccus, Villalpandus Appar. Urbis, ac Templi Par. II. lib. 2. diſp. 4. cap. 27, Voſſius uterque, Allixius, Buxtorfius, Druſius, Clericus Bibl. Select. T. II. p. 35, Iſelius in diſſert. de Siclis Hebraeor., Kircherus, qui cum Villalpando Oedip. Aegypt. T. II. Par. I. p.

102. loco *Simeon* legit *Samuel*, & *Salomon*; Maſius, Goereeus, Fabricius, Seldenus, Bochartus, Seguinus, & Molinetus, qui tres poſteriores pro *Redemptionis Sion* in Nummis legerunt *Redemptionem Job*; Lud. Capellus, & Relandus, qui legit *Liberationis Graecorum*; Waltonus, Conringius, Waſerus, Morinus &c., qua de re adeundi inter alios Butterovius in *Recherches Curieuſes des Mon. de France* p. 18. ſqq., & Hottingerus de Num. Orient. p. 141. ſqq. eos ad unum omnes, qui veterum illorum Regum Judaeorum nomine inſcripti ſunt, Nummos ea de Antiquitatis poſſeſſione deturbarunt. Ex adverſo Nummos Judaeorum, quotquot edaciſſimum rerum tempus nobis non invidit, adulterinos omnes reputat Sperlingius de Num. non cuſis, cui adſtipulatur Gisb. Cuperus in Epiſt. 21. ad ipſum Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. p. 45. ſq., eodem ſpuriorum cenſu habet quotquot ante *Veſpaſiani* tempora, ſive Urbis excidium procuſi proferuntur, Wagenſeilius in Comment. ad Tract. Thalm. *Sota* ad *Miſchnae* cap. 4. p. 574. ſqq. Eoſdem indiſtinctim omnes tanquam ſero confictos rejiciunt etiam Jobertus in Scient. Num. Inſtr. 7. T. I. p. 151, & Baſnagius Hiſt. Jud. T. VI. Par. II. lib. 6. cap. 24. §. 23. ſq. p. 564. ſqq. Media nobis cum Harduino Chron. Vet. Teſt. p. 601. ſqq., Soucieto diſſert. 1. de Num. Hebr. p. 14. ſqq., Richardo Simonio Bibl. Crit. T. II. cap. 27. p. 397. ſqq., Froelichio Proleg. ad Annal. Reg. Syr. Par. V. cap. 2. p. 77. ſqq., Calmetio in Diſs. de Mon. ſign. Vetuſt., & Dict. Bibl. V. *Moneta* T. II. p. 74. ſq., Relando in diſſert. 1. de Num. Samar. p. 7, Carpzovio Crit. Sacr. Par. I. cap. 5. Sect. 6. p. 235. ſq., Hottingero de Hebd. Dan. diſſert. 2. Sect. 2. §. 31. p. 127. ſq., Joh. Bapt. Ottio de Num. Samar., Deylingio Obſerv. Sacr. Par. III. Obſ. 25. §. 2. p. 224. ſq., §§. 10. ſqq. p. 234. ſqq., Buddeo Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Periodo II. Sect. 6. p. 810. ſq. &c., quae plauſibilior hodie, vulgoque receptior opinio eſt, ineunda via eſt, dicendumque vere ſub *Simone* Macchabaeo, quo tempore Judaei, qui ante Macchabaeos Α῎σημοις Nummis non obſignatis, ſed ex ſolo aeſtimandis pondere aſſueti fuerant, Nummos Ε῎νσήμους ſignatos ex numero putare deinde cepere, ſub *Simone*, inquam, Macchabeo Nummos cum Notis cudi cepiſ-

ſe,

ſe, ſiquidem eidem cudendae Monetae facultatem ab *Antiocho* VII. *Evergete* Syriae Rege explicitiſſime factam vidimus, fuiſſeque reipſa cuſos documento ſunt utique ejus nomine, ejuſque ſub aetate Judaeis ampliſſimae reſtitutae *Autonomiae* titulo inſcripti Nummi in Urbis ruderibus paſſim reperti, inter quos inſignis habetur ille, in quo vim facit magnam Soucietus, e Muſaeo D. de Pontcarrè exhibitus, ſub *Trajano* recuſus, velut in antica parte legitur, in poſtica vero litteris Samaritanis deſcriptus.

XVII. Atque opportune quidem de Litteris, figuriſque modo, quae ſecundo difficultas loco jam expedienda venit, loquendo, quibus inſculpti paſſim apud Judaeos Nummi conſpiciuntur, alii ſane Charactere Hebraico quadrato, Aſſyrio etiam dicto, vulgoque Chaldaico, quo hodie S. Biblia deſcribi ſolent, inſcripti ſunt; iique quamplures *Adami*, *Moyſis*, *Jobi*, *Samuelis*, *Davidis*, *Salomonis* &c. aut Capita, aut Nomina referunt: qui etſi aliquando genuini aliquibus viſi fuerint, jam hodie nemo vere ſapit, qui non ad ſpurios amandet omnes, veluti ſequiori aetate de induſtria fabricatos. Alii vero Charactere Samaritano, non recentiori utique, quo exarati Codices Pentateuchi Samaritani in Polyglottis Pariſ., & Londin. adparent, (in quo plerique, uti Waltonus Proleg. XI. §. 10. ſqq. edit. Tigur. p. 369. ſqq., hallucinati ſunt, unam dumtaxat Samaritani Alphabeti ſpeciem agnoſcentes,) ſed vetuſtiori in ſolis hodie Nummis reliqui, inſcripti leguntur, cujuſmodi ſunt Nummi ſub *Simone* Macchabaeo cuſi, quorum de integritate prudentior quiſque jam hodie dubitat nemo. Utriuſque porro tam Veteris, quam Recentioris Characteris Samaritani formas videre fas eſt apud Soucietum in diſſert. I. de Num. Hebr. p. 13, & Froelichium in Annal. Syr. Tab. XVIII, quibus duo Alphabeta R. Azariae, & Vaticanum pridem a Villalpando evulgata, necnon vetus Alphabetum Graecum adjunxit, quo ejuſdem ab Hebraico veteri origo pateret. Quamquam Viris eruditis aliis Kirchero, Richardo Simonio, Loeſchero, Stephano Morino, Deylingio, Wolfio, Carpzovio &c. Samaritanos hoſce Characteres in Nummis exaratos reapſe ab Hebraeis ipſis non differre viſum eſt, qua de re fuſius infra,

 Lecto-

Lectorique judicium ferre ex Tabula ex Villalpando, Bartoloccio, Soucieto, Froelichio, Pfeiffero in Crit. Sacr. ad calcem, a Fabricio Cod. Pſeudepigr. Vet. Teſt. T. I. p. 1016, ubi & litteras in Amuletis deſcribi ſolitas exhibet, Bocharto in Phaleg lib. 1. cap. 21. Oper. T. II. p. 451., ac potiſſimum ex Alphabetis S. Congreg. Propagandae Fidei deſcripta Volum. I. p. 196. ſq. fas erit, advertendo quatuor litteras *Zain*, *Teth*, *Samech*, *Pe*, ſive *Phe* Samaritanis ex Nummis deprehendere hactenus non licuiſſe: quae ideo litterae eaedam ipſae ſunt, atque Samaritanae Biblicae. A Samaritano porro Biblico Phoenicium nihil omnino differt Alphabetum, a Phoenicio vero Graecum vix, ac ne vix quidem diſcrepat antiquum: quo fit, ut a primaevis illis Hebraeis profectae Graecae veteres fuerint litterae, velut appoſita diſcere magis licebit ex praecit. Tabula. Qua profecto in Tabula locum non feci Alphabeto deſcripto a P. Jacobo Bonaventura Ord. Minim. in *Virga Aurea*, quod parum a Samaritano Biblico, litterarum diſpoſitione mutata, differat; nec Alphabeto a Laur. Schradero Helmſtadii anno 1592. edito, quod mutato litterarum ordine parum a Chaldaico differt Vaticano.

XVIII. Quid porro cauſſae fuerit, cur Macchabaei, potius quam Hebraicis, litteris Samaritanis inſcribere Nummos voluerint, divinando magis Viri docti inquirentes, in diverſas abierunt, adverſaſque opiniones. Quippe, (ut de iis non loquar, qui Nummos ita procuſos ante Captivitatem putantes, inde litteras Samaritanas uſu pridem fuiſſe Judaeis perſuaſum habuere, ideoque litteras Aſſyrias, vulgares ideſt Hebraeas, poſterioris aetatis ab *Eſdra* inductas fuiſſe,) plerique adhuc pugnant Judaeos in Nummis veteri Hebraeo, ideſt Samaritano, Charactere uti voluiſſe, queis alioqui poſt Captivitatem alter, ideſt Aſſyrius, vulgo Chaldaeus ab *Eſdra* invectus, uſu familiari venerat. Ita Soucietus inter alios in diſſert. 1. de Num. Jud. p. 26. ſqq.; quo de argumento, fuſius, Deo dante Chron., & Crit. Par. II. ad Aetatem Mundi I. nobis agendum erit. Quidam viciſſim duplicem apud Judaeos uſu Characteris ſpeciem veniſſe cenſentes, *Sacrum*, qui fuerit Aſſyrius, & *Civilem*, qui fuerit Samaritanus antiquus, hunc

hunc poſtremum Judaeis in Nummis obſignandis fuiſſe prae illo uſurpatum concludunt; non ſecus atque, inquientes, Characterem Sacrum alium, aliumque Profanum fuiſſe Aegytiis perhibent Herodotus lib. 2. cap. 36, Diodorus lib. 1. p. 72, & lib. 3. p. 144. verſ. Abb. Terraſſonii, Porphyrius de Abſtin. lib. 4. cap. 7, & Clemens Alex. lib. 5. p. 555. Strom., & lib. 6. p. 633. ſq., quibus litterae profanae vocatae leguntur *Epiſtolographicae*, Sacrae vero *Hierogrammaticae*, videndique Warburthonus in *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens* T. I. Par. II. §. 28. ſqq. p. 153. ſqq., & D. de Origny in Antiquo *Aegypto* T. I. cap. 7. p. 231. ſqq.; fuiſſe Aſſyriis teſtatur Manetho apud Euſebium edit. Scalig. p. 6, & Syncellum in Chronog. p. 40. edit. Pariſ., Ven. p. 31. ſq.; qua de re Marshamus in Can. Chron. p. 370. ſq., & 240, Stillingfleetus Orig. Sacr. lib. 1. cap. 2. §. 2, & Shuckfordus in Hiſt. Mundi T. I. p. 247, & T. II. p. 294; fuiſſe Phoeniciis auctores ſunt Philo Byblius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 9, & apud Philonem Sanchoniathron ſacras illas litteras vocantes *Ammoneas*, a Templo *Solis* videlicet accepto nomine, quod חַמָּן *Hamman* dicitur, *Sole* videlicet חמה *Hamma* dicto veluti *Caeli Domino*, unde litteras in Sacris Templi receptas חַמָּנִים *Hammanim*, ideſt *Ammoneas* denominatas obſervat R. Abenezra Comm. in Levit. XXVI. 30, conferenduſque Bochartus Geogr. Sacr. lib. 2. cap. 17. Oper. T. II. p. 773; fuiſse Babyloniis tradit Thraſyllus vetus Scriptor apud Diogenem Laertium in vita Democriti Segm. 49. lib. 9; Reineſium vero, & Menagium locum interpretatos de Aegyptiis, ſive de Babylone Aegyptiaca refellit Auctor Notar. in Warburthonum in *Eſſai* &c. T. I. p. 159; fuiſse Aethiopibus, ſacraſque litteras vocatas *Regales*, profanas autem *Civiles*, ſive *Vulgares*, teſtes accedunt Diodorus, ſeu Heliodorus lib. 4, & Laertius cit. lib. 9; fuiſse Graecis Hierophantis admonuit Theodoretus in Gen. q. 61; fuiſse demum Orientalibus univerſis, Hebraeis &c. perſuaſum habuere Morinus in Pent. Samar. Exerc. 2. cap. 4, Bochartus loc. cit., & Fourmontius Reflex. Critic. T. I. p. 36. Ita poſt Judaeorum par inſigne R. Azariam in *Meor Ennajim* cap. 58, & Obadiam de Bartenora in Tract. ידים, ideſt Comment. in *Miſchnajot* 1. *Maſſechet Judaim* cap. 4. §. 5.

§. 5. edit. Ven. p. 194, Poſtellum de Phoenic. Litter., & de Hetruſc. Origin. p. 114. ſq., Buxtorfius in diſsert. de Litter. Hebr. antiq. §§. 45. ſq., 65. p. 205. ſqq., 234, Hottingerus in Pent. diſsert. Append. 2. de Samar. §. 5. p. 405. ſq., Carpzovius in Crit. Sacr. Par. I. cap. 5. Sect. 6. p. 236. ſq., Conringius in Parad. de Num. Heb. cap. 6; e noſtris Sgambatus Archiv. Vet. Teſt. lib. 1. cap. 10, Froelichius in Proleg. Annal. Syr. Par. V. cap. 1. p. 75. ſq., &c., quos data opera refellunt Soucietus cit. diſſert. 1. p. 7. ſqq., Baſnagius Hiſt. Jud. T. VI. Par. II. lib. 6. cap. 24. §. 12. ſqq. p. 543. ſqq., Joh. Clericus Bibl Select. T. XI. p. 20, Deylingius Obſerv. Sacr. Par. III. Obſ. 25. §. 15. p. 240. ſq.; quo de argumento nobis agendi opportunior Chron., & Crit. Par. II. ad M. Aetat. 1. patebit locus. Id unum modo palmarium utique funditus huic evertendae diſtinctioni objeciſse ſufficiet, illis videlicet in Nummis utique ſinceris conſpici *Templi* Salomonici, *Mannae* Urnae, *Virgae* Aaronis, *Lulaph*, Ramorum ideſt Feſti Tabernaculorum, *Cyathorum* pro Libationibus &c. effigies, rerum videlicet ſumma apud Judaeos in religione habitarum: putas ne igitur haec omnia profano, diverſoque ab eo, quo Codices Sacri, Charactere a Judaeis ſcalpi, inſcribique voluiſse?

XIX. Itaque alii Nummos illos, non a Judaeis, ſed a Samaritanis, ſive a Cuthaeis, vel ab his illorum, quorum jugo ſuberant, imperio fuiſſe procuſos veri putant ſimilius: ita Morinus ipſe Exerc. 11. in Pent. Samar. cap. 10. p. 210, Richardus Simonius Bibl. Crit. T. II. cap. 27. p. 404. ſq., Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 601. ſq., Sperlingius in Epiſt. 75. ad Cuperum Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. p. 232. ſq., & Buddaeus Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Par. II. ſect. 6. p. 812, ea nempe ratione ducti, quod Hebraeis ars conflatoria prohibita diſtricte fuerit Exod. xx. 4, Levit. xxvi, Deuter. iv. 15. ſqq., ac propterea id muneris, operis, ac laboris Samaritanis, qui Judaeorum Principatui fuerunt contributi, a *Simone* fuiſſe demandatum opinantur; iiſque apud Samaritanos cuſis, ſicuti cuſis apud alienigenas Nummis, ut adparet ex Matth. xxii. 19. ſq., Marc. xii. 16, & Luc. xx. 24, Judaeis uti fas fuiſſe, non ſecus atque jure apud ipſos uſitato cudere nefas viciſſim erat. Verum opinioni huic

huic id officit, quod Hebraeos rerum earum formas ſcalpere, quae nihil animatum referrent, ſibi nunquam religioni duxiſſe multis oſtendunt Soucietus cit.Diſſert.de Num.Hebr.p.53.ſqq., Froelichius in Proleg. ad Annal. Syr. Par.V. cap.2. p.79. ſq., largaque manu Seldenus de Jure N., & G.Hebr.lib.2. capp.6,& 8. p.180. ſqq., & 216. ſqq. Patet id de Imaginibus, quae ad Sacrorum apparatum, & fabricam facerent, luculenter ex Exodi xxv. 18., III. Reg.vi. 35, & Ezech.xli. 18., & quae ad Sepulcrorum honorem, & religionem ſpectarent, liquido ex I. Macchab. xiii.27.ſqq. Caeleſtium Imagines, ut de *Cherubinis* taceam modo memoratis, inſculpi licuiſſe ultro citroque fatentur Judaeorum Megalandri R. Iſaac Moſaides in *Aqueda Shair* 45. fol.149. col.1., & *Shair* 48, R. Manaſhen ben Iſrael in *Conciliatore* ad Exod. q.30. Latine, 97. Hiſpanice, nempe Signorum *Zodiaci*, Orbiumque Caeleſtium efformare Judaeis fas fuiſſe ex *Miſchnae* Tit. *Roſch Haſchana* cap. 2. Thalm. Babyl. fol.24, R. Maimonide ibid., & R. Obadia de Bartenora in eumdem loc., ex *Gemarae* Tit. *Aboda Zara* cap.3. fol.43. col.1, R.Joſepho Karo in *Schulchan Aruch* lib. *Jove Dea* cap. 141.§.4, & R. Salomone Loria in *Chochmath Schelomo* fol.61. col.2. oſtendit Seldenus cap.6. p.201. ſqq., conferendus etiam cap.8.p.216. ſqq., ubi Picturae, Sculpturaeque apud Judaeos uſum adeo viguiſſe pergit oſtendere, ut vel Sacros Bibliorum Codices Animalium figuris ornare diverſis non fuerint veriti. Expreſſior eſt apud Soucietum p.72. ſqq. Judaeorum opinio iſthaec figuras, Hominum exceptis, ad ornatum pertinentes ſculpere, pingereque haud lege prohibitum eſſe putantium. Ita namque explicitiſſime docent R. Maimonides in *Jad Hazaka*, *Avoda Zara* cap.6. fol.25 a, R. Mikkotzi in סמ״ג 1. *Sepher Mitſvoth gadhol* praecepto 22, *Avoda Zara* fol.9. a, R. Moyſes Kotſenſis ibid., *Miſchna* Par.IV. Tract. de Idolol. cap. 3.§.1. fol.40. b, & §.4. fol.44, & cap.4.§.4. fol.51. b, ac ibid. RR. Maimonides, Rambam, & Obadias de Bartenora: qua de re quoque Hottingerus de Num. Orient. p.185, & Conringius in Parad. de Num.Hebr.cap.5. Quin & Icones Arborum, Stirpium, Animalium ſcalpere, & effingere fas ſibi feciſſe Judaeos liquet ex R. Iſmaele, R. Salomone in Mechilta ad Exod.

xx.

xx. 4. fol. 27, & in *Avoda Zara* cap. 3. fol. 42. ſq., conferenduſque Joh. Coquius in Not. ad Excerpta *Gemarae* Tract. *Sanhedrin* cap. 7. p. 269. ſq. De Judaeis quoque Indis, Aethiopiam ideſt inhabitantibus, ex Iſraelitis hoc eſt a *Teglathphalaſare* primo, deindeque a *Salmanaſſare* in Aſſyriam, ac Mediam deportatis illuc diffuſis, loquens Claudianus adverſus Eutropium, auctor eſt illos Aulaeis operam, qua victum ſibi quaererent, diligentem impendiſſe, quae ut pluris Aegyptiis, Aſsyriiſque venderent, Arborum, Animaliumque, quin Hominum figuris eadem intertexere ſolerent: *Jam frugibus aptum aequor, & aſſuetum ſylvis delphina videbo; jam Cochleis homines junctos, & quidquid inane nutrit Judaicis, quae pingitur India velis*: quo loci loco *Judaicis* perperam ſubſtitui *Lydiacis* a Salmaſio, pejus *Attalicis* ab aliis rite obſervavit Baſnagius in Hiſt. Jud. edit. Hagae Comit. T. VII. lib. 7. cap. 5. §. 8. ſq. p. 107. ſqq. Junge, quod Judaeos Nummis uti Perſis, Syris, Graecis, Romanis &c. fuiſſe permiſſos, figuris etſi inſculpti eſſent, idem Soucietus obſervat p. 76. ſqq.; quin imo Nummos in *Herodis*, *Agrippae*, Rom. item Imp. *Auguſti*, *Tiberii*, *Neronis* &c. honores fas procudere Judaeis fuiſſe, fuiſſeque reapſe procuſos eodem loci p. 89. ſqq. Soucietus pergit oſtendere. Ad haec etſi I. Macchab. x. 30, & 38, ac xi. 28, & 34. duo, aut tres Samariae Toparchias Judaeis adſcriptas fuiſſe conſtet, inde tamen a *Simone* fuiſſe Samaritanos expulſos, ratione habita praecepti Exod. xxiii. 23. ſqq., xxxiv. 11. ſqq., Deuter. vii. 1. ſqq., xxxi. 3. ſqq., Jud. i. 17. ſqq., & xi. 1. ſqq., arguit Soucietus ex I. Macchab. 11. 20. ſqq., & xiii. 47. ſqq. Samaritanis deinde Hebraicam linguam, & litteras incognitas fuiſſe conjecturam facit ex IV. Reg. xvii. 27. ſq., & S. Hieronymo Praefat. in libr. Reg., ubi a Samaritanis Pentateuchum litteris 24. ſcribi refert. Judaeis deinde Genti etſi ſuperſtitioſiſſimae viſum fuerit Nummis ab alienigenis cum figuris cuſis uti fas, ſibi vero cudere nefas, idipſum tamen de *Simone* quoque Macchabaeo mihi perſuadere facile nequeo, ea aliis nempe, ut facerent, imperaturum fuiſſe, quae facere per ſe, ſuoſque nefas crederet. Et Judaeis certe *Sculptile* fabricare neque pro ſe, neque pro altero licere perſuaſum fuiſſe diſerte

ſerte

ſerte perhibent R. Moyſes ben Maïmonides in Cod. *Jad Hazaka* Tract. de Idololat. cap. 3. fol. 27. a, R. Moyſes Mikkotzi lib. de *Praeceptis* praecep. xx. ſq. negativo apud Soucietum p. 71. ſq. Samaritani denique illi Nummis Judaeorum fabricandis a Judaeis praefecti Hebraico potius, ideſt Dominorum proprio, Charactere ſignare Nummos debuiſſent, ſi Judaeis erant revera ſubjecti: ſin vero jure proprio Nummos procudiſſent, & Charactere ideo ſignaſſent proprio, cur *Simonis*, aut *Jeruſalem*, aut *Sion*, titulo *Sanctae* cumulato, nomine Nummos inſcripſiſſent, Vaſis inſuper, rebuſque ad Templi Hieroſolymitani uſum, ornatumque ſpectantibus expreſſis inſculpſiſſent, Gens videlicet Judaicae, Templi potiſſimum Judaici cauſſa, infenſiſſima? Videndus etiam, qui hocce de argumento contra Sperlingium docte agit Gisb. Cuperus in Epiſt. 76. Suppl. Poleni T. IV. p. 234. ſq.

XX. Veri ergo ea videtur ſimilior aliorum ſententia, qui Samaritanas eas litteras, in Nummis ſub *Simone* Macchabaeo cuſis exaratas, diverſas ab eis utique aeſtimant, quae in *Taliſmannis* occurrunt, quod ſcite obſervandum eſt, ab Hebraeis tamen ipſis Quadratis, ſeu Aſſyriis, ſeu vulgo Chaldaeis ſpecie haud differre, ſed rem quoad ipſam Hebraeorum ipſaſmet eſſe *Tachygraphicas* litteras, ex celeriori ſcribendi ratione, ſtudioque exortas, ac quibuſdam dumtaxat apicibus diſtinctas arbitrantur. Ita Kircherus in Oedip. Aegyp. T. II. p. 102, Richardus Simonius Bibl. Crit. T. II. cap. 27. p. 409. ſq., Stephanus Morinus de Ling primaeva Exerc. 11. p. 271. ſqq., Loeſcherus in Comm. de Cauſſis Ling. Hebr. lib. 2. cap. 1. §. 5. p. 206, Salomon Deylingius Obſerv. Sacr. Par. III. Obſ. 25. §. 16. ſqq. p. 242. ſqq., Pfeifferus Crit. Sacr. cap. 4. p. 65. ſq., Wolfius Bibl. Rabb. T. II. ſect. 6. p. 236, Buddeus Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Par. II. ſect. 6. p. 812. &c. Quam antequam plenius opinionem exponam, pauca de litteris, quae *Taliſmannis* inſculptae cernuntur, adnotare non abs re erit. Hoc itaque *Taliſmanni* nomine Perſico, vel Arabico, vel Graeco *Teleſma*, quo Latine *Illuſio*, ſive *Phantaſma* denotatum videtur DuCangio, *Emblemata* deſignantur, ſeu Imagines Caeleſtis alicujus *Conſtellationis* in Lapide, aut Metallo inſculptae, dictae item *Sigilla*

Planetarum, aut etiam Membranae, aut Chartae certo modo inſcriptae, certiſque formulis ignotis, litteriſque conceptae, quas קמיעות vocant, atque ad Morbos, aliaque mala, & infortunia propulſanda, faſcinum amovendum, corpuſque adverſus ictus lethiferos praemuniendum &c. certiſſime facere fabulantur. A Chaldaeis, & Aegyptiis, quibus Magicas Animalium figuras, Characteres Hieroglyphicos, ignotaſque litteras Lapidibus inſcalpere, dictos inde *Abraxas*, veteri poſitum in more referunt Ruffinus Hiſt. Eccl. lib. 11. cap. 26, & Caſſiodorus Variar. lib. 3. ep. 2, & 51, ad Judaeos *Amuleta* iſthaec derivaſſe non dubium eſt. Diverſa hujuſce genus *Amuleta*, figuraeque *Magicae* proſtant apud Agrippam de Vanit. Scient., Kircherum in Arithmologia, & Oedipo Aegypt. T.II. Par.II. p.473, Sponium in Miſcell. Erud. Antiq. ſect. 9. Antiq. Rom. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 1241. ſq., Peringerum in diſput. de Amuletis Hebr., Bartoloccium Bibl. Rabb. T.I. p.71, & T.IV. p.232. ſq., & 250. ſq., Hermannum Vonder Hardt in Comment. de Aenigm. Jud., Muhlium in Apologia Thalmud p. 7, Joh. Henr. Majum in Bibl. Uffenbachiana p.324, 339. ſqq., 370. ſqq., & 409. ſqq., Olaum Borrichium in diſſert. de Kabbala Characterali, Buddaeum in Theſibus de Atheiſmo, & Superſt. p.730. &c. Ignotarum vero litterarum Exemplaria, ſive Alphabeta ſeptem, pro Chriſtianis praecavendis ab hujuſmodi *Amuletis*, exhibet idem Bartoloccius Bibl. Rabb. T.IV. p.166. *Amuletis* ejuſmodi adcenſenda ſimiliter veniunt *Sigilla* Kabbaliſtica, Kabbaliſtica *Numiſmata* cum *Chriſti D.*, & *B. Virginis* Imaginibus, aliaque nominibus *Angelorum*, litteriſque qua ignotis, qua Judaeorum vulgaribus inſcripta: inter quae illud *Maghén David*, & *Abraham* dictum a Raphaele Aquilino, Gabriele Anguiſciola, & Carolo de Fabri evulgatum S. Congr. Indicis decreto 16. Martii 1621. damnatum legitur apud Bartoloccium T.I. p.227. ſqq., & T.IV. p.160. ſqq., & Imbonatum T.V. p.212. ſq. Et in hunc *Amuletorum* cenſum referendum dubio procul venit *Scutum David*; voce אגלא *Agla* notatum, ad extinguenda incendia idoneum a Judaeis habitum, quod ſuper Maſſa panis formari ſolet, duplici, oppoſita ratione ſibi mutuo implexo, triangu-

lo

lo inſculpto, in quatuor lateribus יהוה nomine Dei Τετραγαμμάτου deſcripto, in medio quatuor Sectionum angulorum nomine טיר *Raſche Tephos*, in medio vero אגלא *Agla* inſcripto. Quo de Scuto multa Edzardus ad *Avoda Zara* cap. 2. p. 353, Carpzovius in Not. ad Conc. Funebres T. II. p. 1397, Galatinus in Arcan. Cath. Verit. lib. 2. cap. 15, Buxtorfius in Abbrev. Hebr. p. 21, & Lex. Talm. fol. 22., Schikardus in *Tarik* Reg. Perſ. p. 54., Gejerus de Superſt. cap. 3. §. 41, Reicheltus de Amuletis p. 86, Vulferus in Not. ad Theriacam Jud. p. 74, Joh. Jac. Schudt in Memor. Jud. Par. IV. lib. 6. p. 74. ſq., Lehmannus in diſput. de Clypeo Davidis, Fabricius in Cod. Pſeudepigr. Vet. Teſt. T. I. cap. 182. p. 1007. ſqq., & Wolfius Bibl. Rabb. T. II. p. 1214. ſqq., ubi Codicum MSſ. Kabbaliſticorum, & Magicorum, quibus a Judaeis Diabolica ejuſmodi *Amuleta* efformandi ars traditur, Indicem texit; videndus item eodem T. IV. p. 1377. ſq., ubi libros ספר סגולות ורפואות *Sepher Segulloth Urephuoth*, & libros item ספר סגולות וקמיות בקבלה *Sepher Segulloth Ukemeoth Bekabbala* inter Artis iſtiuſmodi Magiſtros praecipuos habitos percenſet; iterum p. 1436, quo loci libri nefandiſſimi alterius שמוש תהלים *Schimmuſch Tehillim*, ideſt *Uſus Pſalmorum*, mentionem ingerit, quo nempe docetur modus, quo Pſalmi pronunciari, membranae inſcribi, de collo ſuſpendi, adſcito certi *Angeli* nomine, adhiberique ad varias res ſuperſtitioſe perficiendas poſſint: qua de re item Buxtorfius Bibl. Rabb. p. 415, Bartoloccius T. IV. p. 328, Hottingerus Hiſt. Eccl. Par. V. p. 657, & Giſb. Voetius Diſput. Select. Par. II. p. 83; conferendus etiam Bibl. Rabb. T. IV. in Supplem. Script. Hebr. Anonym. p. 1033, ubi ex Groddekio Magicum alium ejuſdem furfuris librum רזיאל *Raſiel Adamo* tributum, de quo etiam Buxtorfius, & Bartoloccius T. IV. p. 300, memorat, & p. 1060. ſqq., ubi ex Paulo Frid. Opitio libri *Schimmuſch Tehillim* latina Civitate donati ſpecimen exhibet.

XXI. In lineam, unde deflexi, modo ut regrediar, ſermoniſque de Litteris Nummis Judaicis inſcalptis filum retexam, Samaritanas eas litteras a Quadratis Hebraicis ipſis, *Tachygraphicis* ideſt, ſpecie haud differre Viris doctiſſ. arcte

 per-

perſuaſum fuiſſe paullo ſuperius inquiebam. Quibus hacce ſane in opinione diu ante praeiviſſe videntur Judaeorum Magiſtri praecipui R. Moyſes Alaſchkar in Reſponſ. cap. 74. ſcripturam hanc in Nummis exaratam Hebraeam, ſola apicum forma ab Aſſyria diſtinctam adfirmans: qua ratione apud Judaeos etiam Hiſpanos figuras litterarum alias uſurpari refert, & R. Abraham Balmeſius in מקנה אברהם in *Grammatica* nempe p. *Aleph* 3. col. 2, ubi fata linguae Hebraicae deſcribens, Scripturam apud Hebraeos de forma quidem *Aſſyriacae* participare adfirmat, ita tamen ut varios pro diverſitate Provinciarum modos paſſa fuerit. Quo patet haud ſatis ad hancce Characterum formam attendiſſe R. Azariam in *Meor Ennajim* cap. 9, & in *Imrè Bina* cap. 56. apud Villalpandum T. III, Bartoloccium T. IV. p. 158. ſq., & Buxtorſium diſſert. 4. de Litter. Hebr. Antiq. §. 56. p. 226. ſq., R. Moyſem Nachmanidem Expoſit. in Pentat. apud Ariam Montanum de Siclo, Druſium in Exod. LVII, ac Morinum, & R. Obadiam de Bartenora in *Jadaim* cap. 4. p. 194. apud Soucietum cit. diſſert. 1. p. 17, Buxtorſium cit. diſſert. 4. §. 44. p. 204, & Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 75, qui Nummos illos *Cuthaeis*, ideſt Samaritanis lectos, intellectoſque ſtatim referunt, ſibi vero incognitos fuiſſe. Hacce perinde ipſa pene ratione Hebraicas ipſas litteras Compendiarias, quales conſcribendis epiſtolis, computiſque uſurpari ſolent, a quadratis Biblicis differre Viris doctiſſ. hujus opinionis obſervatum eſt. Quae rurſus ab Hebraeis Aegyptiis, aut Hiſpanis adhibentur litterae, diverſae videntur ab his, quae Hebraeis Germanis, aut Italis uſu frequentiori venerunt. Syriaci quoque Characteres formam diverſam apud diverſos referunt Orientales; atque Latinae eaedem ipſae litterae aliter efformatae leguntur adhuc Romanis, Gothis, Langobardis, Saxonibus, Germanis &c. Quo de diſcrimine tamen Erudito Lectori tutius, ac ſatius ex Volum. I. p. 196. ſq. exhibito Schemate judicium ferre licebit. Jungunt & illud, quod Characteres hi Samaritani in Nummis expreſſi cognationem haud modicam habent cum Punicis litteris, cujuſmodi conſpiciuntur in Nummis Africanis, Hiſpanis, Sidoniis, Tyriis, Gadenſibus, Siculis, Hetruſcis, aliiſque apud Bernardum Aldrete de Var. Antiq. Hiſp.,

Hiſp., Africae, aliarumque Provinc. Hiſpanice elucubrato libro, & Joh. Clericum Bibl. Selec. T.XI. p. 105. In hanc ipſam conceſſiſſe opinionem videtur Soucietus in Diſſert. 1. de Num. Hebr. p. 27. ſqq., ubi ceteris Litteras haſce diligentius ad incudem revocavit, initio Relandum in diſſert. de Num. Samar. p. 6. refellens, Inſcriptiones Nummorum illas Chaldaicas ſuſpicatum, pure ipſe, puteque Hebraicas, ulla abſque Chaldaici, Samaritani, aut Syriaci mixtura, multis oſtendere pergens: indeque conficit p. 26. ſqq., 38. ſqq., 41. ſqq., 53. ſqq., 63. ſqq., & 89. ſqq., quod ſi 1.° purum, putumque redolent Nummorum Inſcriptiones hae Samaritano Charactere exaratae Hebraiſmum; quod ſi 2.° genuini, germanique ſunt Nummi illi Charactere Samaritano ab Hebraeis inſcripti; ſiquidem vero 1.° fieri nequiverit, ut Hebraei diverſo linguam, quae uſu ipſis fuiſſet, Charactere, quam quo eadem lingua exprimi ſolebat, expromere voluerint, (nam alioqui nec intelligi facile, neque legi felicius Nummos illos voluiſſe Hebraei ipſi putandi forent), (quo putaretur modo, qui Latine ſcribens Graecis uti litteris vellet); ſiquidem vero 2.° manifeſtum ſit ſub Macchabaeorum aetate Hebraeis alias litteras, Aſſyrias nempe, ſive Hebraicas quadratas, ſive Chaldaicas vulgo dictas, adhibitas fuiſſe, inde ſit evidens Samaritanas litteras eas fuiſſe ſane, quae Hebraeis uſu aliquando venerint, ideoque ante Captivitatem utique. Atque quidem ante Captivitatem Nummos procudi Judaeis conſueviſſe pergit ſuadere Vir doctiſſ. p. 105. ſqq. uſque ad pag. 141; a qua deinceps veteres Hebraeis uſurpatas litteras Samaritanas fuiſſe, ſive Phoenicias perſuadere nititur uſque ad pag. 154; indeque ex Samaritanarum litterarum ſimilitudine profectas variantes Lectiones Codicum Hebraicorum, Syrorum, Arabicorum, Graecorum, Latinorum &c. multis declarare exemplis ſatagit. Atqui hocce de argumento fuſius alibi, ſi Superis placebit.

XXII. Quo nunc ab Anno putanda ſit Epocha *Autonomiae* Judaicae in Nummis inſcriptae, inquirendum ſupereſt, itaque expedienda, quae tertio propoſita loco difficultas fuerat; atque ita perinde explicandae, bonoque in lumine reponendae ſuccurrent *Legendae* in eiſdem Nummis expreſſae;

qua

qua demum ratione quarto propoſitae loco difficultati fiet ſatis. Initio igitur Litterae illis in Nummis inſculptae nonnullae aliter ab aliis referri, explicarique ſolent, atque ita quidem, ut alium plane ſenſum efficiant, aliumque prorſus reddant annum. Namque litteris א· ב· ג· ד· nonnulli *Siclum*, dimidium *Sicli*, tertiam, aut quartam *Sicli* partem ſignificari olim putabant, veluti Villalpandus, Kircherus, Waltonus, Waſerus &c. Sed enim Buterovio Introd. in *Recherches* &c. p. 23, Morino in Pent. Sam. Exerc. 11. cap. 10. p. 203, Richardo Simonio Bibl. Crit. T. II. cap. 27. p. 400. ſqq., Soucieto p. 20. ſq., Froelichio Annal. Syr. p. 88. ſqq., Conringio in Parad. de Num. Hebr. cap. 4, &c. obſervatum eſt *Hemiſiclos* eſſe, quos illi exhibent littera א· obſignatos. Sed & litteris illis ſolitariis haud raro adſignatam conſpici litteram ש, qua שנת *Scânath*, ideſt *Annum* legendum eſſe ſuadent Nummi alii, qui vocem hanc integram exhibent; quum neque Nummi deſint, in quibus etiam integre legitur *Scànath ahath Anno* 1, *Scànath Arbba* ארבע *Anno* 4; adeo ut proinde littera ש juncta א· Annum 1, juncta ב· Annum 2, juncta ג· Annum 3, juncta ד· Annum 4. indicet, non vero *Siclum*, dimidium *Sicli*, trientem *Sicli*, & quadrantem *Sicli*. Dubitat quin etiam doctiſſ. Soucietus p. 21. ſq., an ullo in Nummo unquam litterae ג, & ד· *Ghimel*, & *Daleth* inſcriptae ſint, ac fieri potuiſſe ſuſpicatur, ut loco ב· *Beth* Samaritani ◿. legeretur ד· Hebraeum R. Azariae, Villalpando, Kirchero, Morino, Hottingero &c. In ſuſpicionem autem pridem jam venerat R. Moyſes Alaſchkar apud R. Azariam, & Villalpandum p. 376. ſq., an litteris illis Annus magis, quam Sicli pars aliqua deſignaretur, ut poſt ipſum viderunt etiam Conringius, & Hottingerus p. 144. Pejus ad haec litteris שם· *Samuel* aliquibus legendus viſus eſt, *Salomon* aliis, uti Kirchero, quum *Simeon* legi debeat. Quidam pro ש·ד· *Anno* 4. legerunt *Siclus David*, veluti cum R. Azaria Kircherus, & Morinus, quos refellit Richardus Simonius p. 402. ſq., & 411. ſq.; quidam viciſſim pro ציון *Sion* pejus *Job* legere ſe putarunt, uti Seguinus, Molinetus, Calmetius &c. In aliis iterum loco לחרות *Liberationis* ירושלם *Jeruſalem*, aut ישראל *Iſrael* legendum falſo duxere quidam הנש הראש *Sculpſit Princeps*, ut Liebaeus; quidam

dam מול עת *Circumciſiionis tempus*, veluti Kircherus, & Villalpandus; quidam loco לגאלת ציון *Liberationis Sion* falſo legendum מיון *Graecorum* maluere, uti Relandus p. 27. ſqq., quem multis caſtigat Soucietus p. 39. ſq. Nonnullis littera ש *Sin* pro *Sion* perperam *Sichem* interpretati ſunt, quos idem refellit Soucietus p. 99. ſq. Ita quoque pro סמעון *Simeon* perperam מעבו *A pinguedine ejus* legit Villalpandus. Littera א· *Aleph* Urnae alicubi ſuppoſita Dei nomen *Adonai* delineatum arbitratus idem Villalpandus eſt; *Urbis* alicujuſce viciſſim nomen, ubi *Siclus* ille ſit cuſus, indicatum Waltono de Pond., & Num. Hebr. p. 36, ac Morino viſum eſt; *Aharonis* e contra Hottingero de Num. Orient. p. 141, quos omnes erroris rite arguit Richardus Simonius p. 403, quum ea littera א· nonniſi *Annus* 1. denotetur. Legendas iterum in Nummis illis cum ל· copula Epochas, & Epigraphes, ita ut לחרות ירושלם, aut שנתאחת לגאלת, ideſt *Scànath Aahth Ligheulath*, aut *Laharuth Jeruſalem* hunc ſenſum conjunctim efficiant: *Anno* 1. *Conſolationis*, aut *Liberationis Jeruſalem*, poſt R. Moyſem Alaſchkar perſuaſum fuit Spanhemio de Praeſt. Num. p. 67, Buterovio Introd. in *Recherches* &c. p. 23, Hottingero de Num. Orient. p. 144, aliiſque. Sed enim Soucietus in Diſſert. 1. de Num. Hebr. p. 28. ſqq. recte advertit hoc loci ל· *Lamed* particulam non eſſe *Copulativam*, ideoque diſtinctum in Nummis eſſe ſenſum inter Epochas, & Epigraphes, ita ut legendum ſit *Anno* 1, vel 2, vel 3, vel 4. diſtinctim ab aliis verbis *Simeon*, vel *Conſolatio*, vel *Redemptio*, vel *Liberatio Iſrael*, vel *Sion*, vel *Jeruſalem*. Cujuſce rei ea ratio eſt, tum quod in caeteris Syrorum, Graecorum, ac Romanorum Nummis Epochae diſtinctae omnino ſint ab Epigraphibus, ita ut Epochis nempe non indicentur Anni Regum in Nummis obſignatorum, ſed Anni alio a capite deducendi, in Nummis puta Syris Epochae *Seleucidarum*, in Graecis Epochae Urbium *Autonomia* donatarum, in Romanis Epochae aut *Urbis* conditae, aut Aerae *Auguſtaeae* &c.; tum quod ſicut in Nummis Syris, Graecis, Latinis &c. litterae Epochas indicantes diſtinctum occupant locum, ſic in Nummis Samaritanis litterae א·ב·ג·ד· indicantes Annum 1. 2. 3. 4. diſtinctum obtinent ſitum, adeo ut ſi

legen-

legenda in Nummis occupet campum, Epocha ſit in exergo, atque viciſſim ſi Epocha ſit in campo, legenda circumferentiam occupet; tum quod I. Macchab. nuſpiam *Simonis* nomen cum Epocha copulatum legitur, v. g. *Anno* 1. *Simonis*, quod alioqui falſum efficeret ſenſum, ſed diſtinctim *Anno* I. II. III. IV, ideſt *Aerae* Judaeorum, *Sub Simone*. Ita Ετους Πρωτου επι Σιμωνος &c. Και τουτο Τριτον ετος επι Σιμωνος capp. XIII. 42, & XIV. 27. Mitto levioris momenti caetera apud ipſum recolenda. Jam vero quo ab anno iſtiuſmodi Aerae *Judaicae* ducendum initium ſit, dubium eſt haud leve: nam in Nummis illis hactenus viſis Anni I. II. III. IV. dumtaxat lecti ſunt; neque plures liquent ex I. Macchab. capp. XIII, & XIV; quum tamen ab expugnata Arce Sion per annos octo adhuc *Simon* Judaeis praefuerit uſque ad annum 178. Seleucidarum. Ad haec Sion Arx a Judaeis recuperata dumtaxat fuit anno Seleucidarum 171, ut habetur cap. XIII. 51: quo proinde ab anno 171. *Judaicam* Aeram ineundam autumant Calviſius in Chron. ad Annum M. 3808, ante Chriſtum 140, & Froelichius Proleg. in Annal. Reg. Syr. Par. V. cap. 3. p. 80. ſqq. Veriſſime tamen non ab anno 171, quo Arx Sion recuperata eſt, ſed antecedenti ab anno 170, quo Urbs Jeruſalem in libertatem adſerta fuerat, quo videlicet a *Demetrio* II. *Nicatore* Judaeis *Autonomia* indulta, & *Simoni* Principatus collatus eſt, Aerae *Judaicae* capiendum initium fore poſt Pagium in Appar. Chron. ad Annal. Baronii T. I. edit. Lucen. p. 338. ſtatuit Vir doctiſſ. Soucietus cit. diſſert. p. 35. ſqq. Ita namque I. Macch. cap. XIII. v. 41. ſq. explicitiſſime *Anno* 170. *ablatum Graecorum jugum ab Iſrael* dicitur, indeque in Tabulis, geſtiſque publicis ſcribi ceptum: *Anno* 1. *ſub Simone ſummo Sacerdote*, *Magno Duce*, & *Principe Judaeorum*; adeo ut anno 2. *Judaicae* Aerae, ac *Simonis* Principatus Arx Sion recuperata fuerit Verſ. 50. ſq., adeoque ut Annus I. II. III. IV. *Liberationis Jeruſalem*, ideſt Aerae *Judaicae* in Nummis inſcriptus ab expugnatione *Arcis Sion* ſit Annus II. III. IV. V. Atque illuſtri hacce de Judaeorum Aera ſatis jam, atque ſuper.

XXIII. Epochae jam vero *Judaicae* huic illuſtri, a recuperata *Autonomia* repetitae, alias Judaicis rebus illuſtrandis

dis etſi minus illuſtres, ex Urbium Judaeae videlicet reſtauratione ductas adjungere juvat, ac intereſt. Atque principio obſervare praeſtat Judaeae, Chananaeae, Palaeſtinae, Galilaeae, ac Philiſtaeae, (qua poſtrema *Philiſtaeorum* nuncupatione Palaeſtinos olim dictos liquet Gen. x. 14. ſqq., & xxi. 33. ſq. in Verſione LXXVirali, notante S. Hieronymo in Quaeſt. ad Gen., junctis Hierem xlvii. 4, & Amoſo ix. 7, juxta Hebraicum Textum, ac I. Reg. vi. 17. ſq. collato cum Joſue xiii. 2. ſqq.), quibus nominibus Regionem, quam Judaei incoluerunt, omnem heic accipimus, hos a Ptolemaeo Geog. lib. 5. cap. 16, & Tacito Hiſt. lib. 5. cap. 6. praefigi terminos, a Septentrione Syriam, ab Ortu Arabiam Petraeam, a Meridie Aegyptum, ab Occaſu Phoeniciam, & Mare, ſive Aegypti partem, quae ad Mare protenditur. Diverſa vero pro temporum diverſitate fuit Palaeſtinae diviſio; de qua nonnulla obiter magis obſervatione digna nobis attigenda ſunt. Itaque ſub *Joſue* uſque ad *Salomonem* diviſa manſit in duodecim Tribus. Sub *Roboamo* uſque ad Captivitatem Babylonicam in duo Regna, *Judaeae* duas Tribus *Judae*, & *Benjamin* complectentis, cujuſce caput *Jeruſalem*, & *Iſraelis* reliquas Tribus decem comprehendentis, cujuſce Metropolis *Thirza* primum, antea *Schomron* denominata, ac poſtea *Samaria*, diviſa fuit. Poſt Captivitatem ſub *Regibus* Syriae in Regiones, ſub *Haſmonaeis* in Toparchias, ſub *Herodibus* in Regni fruſta, Tetrarchias, Regionesque, ſub *Romanis* in Provinciam unam, a Syria primum diſtractam, a *Veſpaſiano* factam, atque Pro Praetori adminiſtrandam, deindeque Pro Conſuli a *Trajano* traditam, atque demum Chriſtianis ſub *Imperatoribus*, *Arcadio* ideſt, tres in Provincias, dictas Palaeſtinam I. II. III, fuiſſe diſſectam colligere fas eſt ex Concilio Chalcedonenſi Act. iv, & xv, Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 32, juncto Valeſio in Not., ex Codice Theodos. *De Decurrionibus* Leg. 55, & lib. 11. Leg. 28. *Quorum Appellat.*, aliiſque pluribus eodem Cod. lib. 7. L. 30. *De Erogat. Milit. Annonae*, ac Notitia Imp. apud Panciroluum, junctis Gothofredo in Comment. ad Cod. Theod. loc. cit. edit. Lipſ. 1737. T. II. p. 325, T. IV. p. 179, & T. VI. p. 269, Noriſio de Epoch. Syromaced. diſſert. v. cap. 1. Oper. T. II. edit.

Veron. p. 493. ſqq., & Relando Palaeſt. Illuſt. lib. 1. cap. 34. p. 205. ſqq., edit. Norimberg. p. 151. ſqq. Ex hiſce nec antiquiorem ſub *Judicibus*, neque mediam ſub *Imperatoribus*, ſed recentiorem Palaeſtinae tres in partes diviſionem, quam Plinium, Ptolemaeum, ac Strabonem ſequuti Geographi Relandus quammaxime Palaeſt. illuſt. lib. 1. cap. 28. ſqq. p. 142. ſqq., edit. Norimb. p. 104. ſqq., & Cellarius Geogr. Antiq. T. II. edit. Lipſ. lib. 3. cap. 13. p. 390. ſqq. amplexi ſunt, in *Judaeam* nempe, *Galilaeam*, atque *Samariam*, unde toti Regioni nomen inditum, qua de diviſione ſimiliter Acta Apoſt. IX. 31, & Joſephus de Bello Jud. lib. 1. cap. 12, nobis veluti compendioſiorem, ſequendam ſtatuimus, juxta quam Epochas prius, quae ad *Judaeae* Regnum, eas poſtea, quae ad *Galilaeae* Regiones, Epochaſque poſtremo Urbium, quae ad Regnum *Samariae* ſpectant, breviori, quoad ejus fieri poterit, oratione perſtringemus.

XXIV. Itaque caeteras inter Urbes Judaeae, quae veluti Caput eminebat, *Jeruſalem* amplum nobis hactenus de illuſtri ejuſdem agendi Epocha, quam ab *Eleutheria* ſub *Simone* Macchabaeo a Syriae Regibus obtenta exordium duxiſſe vidimus, argumentum ſuppeditavit. Everſa ſub *Veſpaſiano* eadem Urbs, ab *Hadriano* reſtaurata, eque vetuſtis ruderibus caput, non ita venuſtum tamen, ut olim extollebat, velut erigens novum *Aeliae Capitolinae*, *Hadriani* conditoris de praenomine *Aelii*, deque *Jovis Capitolini*, cui Templum aedificatum eodem fuerat loci, denominata nomen retulit, referentibus Ptolemaeo lib. 5. cap. 16, Xiphilino in Dionis epitome p. 262, Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 16, & in Chron. ad annum Chriſti 138. verſ. S. Hier. T. VIII. p. 712, S. Hieronymo in Epitaphio Paulae, Abulpharagio Dynaſt. 7. p. 121, Oroſio hiſt. lib. 7. cap. 13, Zonara in Hadriano. Erraſſe porro Euſebium, eumque ſequutum Baronium ad an. 137. n. 8, annis 4, aut 2. tardius Urbis Conditum conſignando ex Dione, Spartiano in *Hadriano*, & Chronico Alex. arguunt Scaliger in Not. ad Euſeb. p. 209, Valeſius in Not. ad Euſebii Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 6. edit. Taur. T. I. p. 126. ſq., Petavius in Animad. ad S. Epiph. de Menſ. p. 393. ſq., Beveregius in Annot. ad Concilii

cilii

cilii Nicaeni Can. 6, Pagius in Proleg. ad Appar. Chron. §.22. p.XLII, in diſſert. Hypatica ad an. 136. p.77. edit. Luc., & in Crit. ad an.134. n. 6, *Aeliam* anno 2. *Hadriani*, Chriſti 134, aut 136. reſtitutam contendentes. Verum non fuiſſe utique, cur erroris redargueretur Euſebius recte advertunt Baſnagius Hiſt. Jud.T.I. Par.II. lib.1. cap. 19. §.27.ſq. edit. Hag. Comit. p.601. ſqq., & Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron. verſ. S. Hieron. T.VIII. p.712; quibus utpote loquutus Euſebius viſus eſt, non de incepto Urbis aedificio, quod profecto ante bellum Judaicum cepiſſe conſentiunt, ſed de aedificio completo, quod nonniſi bello illo profligato ad umbilicum perductum fuit. Falli magis Valeſium obſervant Pagius, & Baſnagius, quod ab *Hadriano*, non Hieroſolymam inſtauratam fuiſſe ſcripſerit, diſerte id adfirmantibus Dione, Xiphilino, Chronico Alex., S.Hieronymo, Oroſio, Zonara, V. Beda &c., ſed *Aeliam Capitolinam* conditam. Viciſſimque a Baſnagio, & Vallarſio erroris Pagius inſimulatur, tum quod *Aeliam* ab ipſa ſui prima aedificatione Urbem nuncupatam voluerit, tum quod eo, quo, eam conſignat Euſebius, Chriſti anno 136, Vicennalibus ab *Hadriani* celebratis *Aeliam* dedicatam ullo abſque teſte proprio de ingenio confixerit. Erraſſe vero Chronici Alex. Scriptorem etiam p.254. edit. Pariſ., Ven. p. 203. *Aeliam* conditam referentem anno 4.Olymp.224, Aerae Chriſtianae 124, annis ideſt citius 14, aut 16, quam Euſebius, inde liquet, quod Judaico bello ab *Hadriano* nonniſi anno Imperii 18, Chriſti 134, aut 135. finis impoſitus fuit, ideoque nec ante Urbs perfici, nec *Aeliae* nomen impetrare potuit. Turpis jam vero genus alterius lapſus jure redarguitur a Relando Palaeſt. illuſt. lib. 1. cap.34. p.207, edit. Norimb. p.153, Carolus a S. Paulo, qui Geogr. Sacr. p.305. ſq. *Aeliam* ab Hieroſolyma diſtinguere, & inter Neapolim, & Aſcalonem, in Mappa vero inter Hieroſolymam, & Lyddam collocare *Aeliam* non dubitavit. Lapſus eſt pejus Harduinus in Num. Antiq. illuſt. p. 8. ſq., & in Chron. Vet. Teſt. p.638, ſecumque in lapſum pertraxit Jobertum in Scient. Num. T.I. edit. Ven. p.332. ſq., dum ab *Aelia Capitolina* haud fore diſtinguendam *Capitoliadem* putat, cumque novis Urbis moenibus, ac novo *Autonomiae* privilegio

novam eidem inditam Epocham fuiſſe pugnat. Nempe a *Domitiano* Hieroſolymitanum Graecis ſolum anno poſt Urbis excidium 22, Urbis R. C. 845, Aerae Chriſtianae 92. fuiſſe conceſſum; a Graecis perinde Urbem e ruderibus fuiſſe excitatam, ac Templum *Jovi Capitolino* erectum; cujuſce poſtea in Urbis partem deductis ab *Aelio Hadriano* Colonis, Urbis inde portioni *Aeliae Capitolinae* inditum fuerit nomen. Ab indigenis Graecis interea, Latinis a Colonis ſejunctim inhabitantibus, & *Eleutheria* potientibus Nummos proprio conflatos jure fuiſſe, cum Imperatorum effigie, *Jovis Capitolini* inſcriptione, Aeraeque *Capitolinae* epigraphe. Itaque in Nummis *M. Aurelii*, *L. Veri*, *Commodi*, & *Antonini Severi*, in quibus cum Imperatorum horum imaginibus, ac *Jovis Capitolini* inſcriptionibus ZKY Ζεὺς Καπιτωλῖνος Ὑπέρτατος *Altiſſimus*, tum Urbis Καπιτωλιέων nomen, tum *Autonomiae* epigraphes Ιερ. Ac. Αυ. Ἱερᾶς Ἀσύλου Αὐτονόμου *Sacra*, *Azylo*, & *Autonomia* illuſtris, tum Epochae anni ΗΞ. anno 68, qui *M. Aurelii* erat 1, Chriſti 161, aut ΘΞ. 69, qui erat *L. Veri* 1, Chriſti 161, aut Γϙ. 93, qui *Commodi* 6. erat, Chriſti 185, aut ΕΡ. 105, qui erat *Severi* 5, Chriſti 197, aut ΗΡ. 108, qui ejuſdem *Severi* erat 8, Chriſti 200, deſignati conſpiciuntur, ad *Aeliam Capitolinam* pertinere non dubitat. Hieroſolymam ideſt, cujus in Graecos translato jure *Autonomiam* eidem largiri *Domitiano* in lucro poſitum fuerit. Quin imo, ubi in Nummis *Antonini Pii*, ac *Severi* inſcripta legitur Moka Ιερα Acυλoc Aυτoμoc, priores duas Syllabas fore ſeparandas Mo. Κα putat, adeo ut duplicem efficiant ſenſum hunc Μονων ΚΑπιτολιεων *Solam Capitolini Jovis* nomine Urbem nuncupatam, *Sacram*, *Azylo*, & *Libertate* illuſtrem.

XXV. Non uno tamen erroneam Harduini, & Joberti hanc imaginationem argumento funditus everterunt Noriſius de Epochis Syro-Mac. diſſert. 3. cap. 9. §. 4. Oper. T. II. p. 335. ſqq., Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 694, edit. Norimb. p. 516, Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. §. 267. p. 535, & Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Jobertum loc. cit. T. II. p. 302. ſq. *Capitolias* namque in Coeleſyria Ptolemaeo Geogr. lib. 6. cap. 15. recenſetur, inter Damaſcum, & Gadaram Antoni-

Digitized by Google

tonino in Itiner., in Palaeſtina II. in Hieroclis Notitia, in Synodo Chalcedonenſi Act.IV, & in Concilio Hieroſolymitico anno 536. In Nummis itaque Graece inſcriptis apud Harduinum *Autonomia*, Aeraque obſignatis *Capitoliadem* in Palaeſtina II. ſitam Urbem exhiberi non dubium eſt ab *Aelia Capitolina* diſtinctam, quae in Nummis Latine dumtaxat inſcriptis uno *Coloniae* titulo, ulla abſque *Autonomiae*, aut Epochae epigraphe comparet; cujuſcemodi ſunt Nummi ſane inſcripti: *Col. Ael. Kapi.*, ſive *Col. Ael. Cap. Comm.*, ideſt *Colonia Aelia Capitolina Commodiana*, (quod poſtremum additamentum ad *Cejonium Commodum* potius, qui & *Aelius Verus* dictus fuit, fuitque Conſul anno 136, ab *Hadriano* adoptatum referre, quam Urbem a *Commodo* Auguſto credere auctam placuit Cellario loc. cit. §.116. p.462.) In quo lapſus inſigniter eſt Holſtenius in Not. ad Stephanum de Urb. p.159, Nummos hoſce Latinos ad *Capitoliadem* etiam referens, recte in hac parte ab Harduino ipſo p.562. caſtigatus. Coloniae porro a Romanis deductae propriis vivere Legibus haud permiſſae, ſed Romanis uti compulſae, *Autonomiae* proinde titulo non gaudebant. Quamvis interdum in Coloniarum Nummis Epochae aliquando etiam obſignatae, memoriae obſervandae gratia, videantur: velut in Nummis *Synopis* Ponti Urbis; cujuſce duplex obſervata Viris doctis eſt Epocha, prima ducta ab anno U. C. 684, quo a *Lucullo Autonomia* donata fertur apud Appianum in Mitrid. p.227, quae ſignata adparet in Nummis *Auguſti* anno 31, *Alexandri Severi* anno 294, *Julii Maximi* anno 305, *Gordiani Jun.* anno 308, & *Philippi Jun.* anno 319. Secunda vero inchoata ab anno U. C. 705, ut Haymio, & Froelichio viſum, aut 706, veluti Harduinus, Vaillantius. & Abbas Fontenu Memor. Acad. Inſcrip. T.X. p.465. cenſent, aut 707, uti mavult Bimardus de la Baſtie, aut verius 709, veluti contendit Abbas Belleyus in Diſſert. ad Synopis Aeram Acad. Inſcrip. T.XXVI. p.456. ſqq., ante ipſum vero Froelichius ſe ipſum corrigens in Adpend. an. 1744, curante ipſius ſucceſſore Khellio, novis edita typis, hanc ipſam ab Autumno U. C. anni 709. Aeram ducendam eſſe vidit: qua nos de Aera fuſius alibi: quo ſane anno *Synope* a *Julio* Caeſare *Colonia* facta

ċta legitur apud Strabonem lib.12. p.546, atque Epocha paſſim iſthaec obſignata occurrit in Nummis *Neronis* cum anno 102, *Octaviae* cum anno 104, *Nervae* cum anno 141, *Aelii Hadriani* cum anno 182, *M. Aurelii* cum anno 204, *Diadumediani* cum anno 241, *Antonini Severi* cum anno 252; queis de Urbis *Synopis* geminis Epochis adeundi Harduinus Num. illuſt. p.156. ſq., & in Chron. Vet. Teſt. p.612. ſq., Vaillantius Num. Colon. T.I. p. 193, & T.II. p.92, Froelichius in Append. ad Num. Colon. p.88. ſq., Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Joberti Scient. Num. Inſtr.XI. T.II. edit.Ven.p.176. ſqq., Abb. Fontenu, & Belleyus locis ſupra laudatis. Ita etiam in Nummis *Viminacii* Moeſiae Urbis, cujus ſub *Gordiano* Epocha cepit, anno I. II. &c. ſub *Philippo* anno VII., &c., & ſub *Decio* anno XI. legitur, Epocha item obſignata videtur. Quin etiam *Ptolemais*, Colonia tametſi ſub *Claudio* ducta, *Autonomia* nihilominus gaviſa viſa fuerit; *Caeſarea* quoque Colonia ſub eodem *Claudio* Epochas in Nummis ſignaverit, qua de re poſtea: unde patet *Aeliam* Capitolinam *Autonomiae* privilegio haud fuiſſe munitam. Perperam itaque Froelichius in Not. Compend. Graec. ad calcem Annal. Syr. p. 146. in Nummo *Juliae* inſcriptionem, recte alioqui lectam I.M.A.K.Γ.KAΠ. I. A. A. *Julia Mater Antonini, & Getae*: *Capitolenſium Sacrae, propriis Legibus utentis, Azylo gaudentis Urbis*, de Jeruſalem fore intelligendam opinatus eſt. *Capitoliadis* e converſo Aeram ab *Autonomia* conceſſa auſpicandam tum U. C. anno 839, Aerae Chriſtianae 86, quo Agones *Capitolinos* a *Domitiano* inſtitutos auctor eſt Cenſorinus de Die Nat. cap. 18, ſuſpicatus fuerat Noriſius. Quam ſuam attamen ſuſpicionem elidi vidit Nummo *M. Aurelii* cum Nota anni 68, alteroque *L. Veri* cum Nota anni 69: nam ab anno U.C.839. ad *M. Aurelii*, & *L. Veri* initium anni 75. intercedunt; unde fit, ut *Capitoliadis* Aera altius, quam ad annum U. C. 846. aſſurgere nequeat. Alteri ergo *Capitoliadis* Epochae inſtituendae cauſſae inſiſtens, autumat *Capitoliadem* alias inter Urbes etiam a *Veſpaſiano*, ob egregiam in bello Judaico commodatam Romanis operam, obtentas ab *Agrippa Juniore* fuiſſe cum *Autonomia* impetratam. Verum claudicat & haec Viri doctiſs. conjectu-

jectura : ſiquidem *Agrippam* fini conceſſiſſe ſuo ante U.C. annum 846. ex Joſepho Antiq. lib. 17. cap. 2. conſtat, ante hunc vero annum U.C. 846. eam haud incepiſſe Aeram mox viſum eſt. Denique *Mokam* Arabiae Petreae Urbem fuiſſe, eſſeque hodiedum haud ignobilem ſiquidem ignoret nemo, non video, cur tot inter alias *Autonomia* donatas Arabiae Urbes & hoc iſta titulo inſigniri, ideoque Nummus ibidem cum hoc ipſo cudi titulo nequiverit; unde ex *Moka* Urbe *Unicam* confingere *Capitoliadem* opus fuerit.

XXVI. Judaeis Helleniſtis Epocham, a *Templo* Hieroſolymitano videlicet ab *Herode* Aſcalonita Regni anno 18. inſtaurato ductam, alteram uſu deinceps veniſſe arbitratus eſt Erizzus Serm. in Num. Italice vulgato p. 212. Eam ſcilicet eruiſſe ſe autumat ex Nummis Graecis *Veſpaſiani*, *Titi*, *Domitiani*, *Nervae*, *Trajani Decii* &c. ex Muſaeo Medicaeo, Gall. Regis, Kircheriano Romae apud Occonem p. 166, Toinardum, Froelichium in Append. ad Num. Graec. p. 342, &c., in quibus Epocha iſthaec Graecis hiſce litteris obſignata legitur: Ἔτȣς Νέȣ Ἱερȣ IA. *Anno novo Sacro* XI, ut in Nummo *Titi*, vel integra Ἔννατȣ *Nono*, ut in Nummo *Domitiani*, aut Θ. aut H. *Anno* IX, aut VIII, ut in Nummis *Veſpaſiani*, & *Domitiani*, vel B, vel A. *Anno* II, vel I, ut in Nummis *Nervae*. Verum huic Erizzi conjecturae illud obſtat, tum quod antequam *Veſpaſianus* in lucem prodiret, ab *Herode* Templum jam fuerat reaedificatum; tum quod illis in Nummis inſculptae videntur aut *Jovis*, aut *Aquilae*, aut *Veneris* Templi imagines. Itaque Seguino in Select. Num. cap. 17. p. 134. Epocha his in Nummis expreſſa deducenda viſa eſt a *Capitolio*, ſive a *Jovis Capitolini* Templo a *Veſpaſiano* reſtaurato anno U.C. 823, de quo Tacitus lib. 4, Svetonius in *Veſpaſiano*, aliique, ita ut Inſcriptiones illae ſic legendae ſint: *Anno novi Templi* XI, IX, VIII, II, I. &c. Longe tamen propius ad veritatem Epochas illas accipiendas fore de Annis Imperii *Veſpaſiani*, *Titi*, *Domitiani*, *Nervae*, *Trajani* &c., quo videlicet a tempore Romanae ab illis res inſtauratae fuerant, renovataeque, perſuaſum arcte fuit Valeſio, Toinardo in Epiſt. ad Noriſium, Bellorio in Epiſt. ad Nicaſium, Harduino Hiſt. Aug. p. 737, Noriſio in Epiſt. ad Toinardum, & de Epoch. Syro-Maced. diſſert. 3. cap. 6.

Oper.

Oper. T.II. p.253. ſqq., Pagio in Crit. ad annum.83.n.3. T.I. edit. Luc. p.707. ſq., & Froelichio cit. Append. p.342. Anni namque in Nummis notati a *Capitolio* reſtaurato ducti cum annis Imperatorum alioqui non conſentiunt, conſentiunt vero approbe deducti ab Imperio illis inito. Et ſane ſicut *Auguſto* ab Imperio inito, Orbi pace reſtituta, Romae publica re optime redintegrata, Nummis cum inſcriptione Ετους Νεου Ιερου A. B. Δ. H. Θ. *Auguſti* ab hac Epocha *Anno novo* I. II. IV. VIII. IX. Cyprii, aliique Graeci, ut Harduino videtur, gratulati leguntur; *Hadriano* item, & *Antonino Pio*, Nummis etiam Latine inſcriptis A. N. F. F. *Annum Novum*, *Fauſtum*, *Felicem*, uti legendum viderunt Harduinus, Bellorius, Noriſius, & Pagius, Gallos Narbonenſes gratulatos putat Harduinus, ita Romano cum Populo Graecos, Syros, Aegyptioſque, a dura *Caligulae*, *Claudii*, *Neronis*, *Galbae*, *Othonis*, & *Vitellii* ſervitute liberatos, *Veſpaſiano*, *Tito*, *Domitiano*, *Nervae*, *Trajano Decio* &c. Nummis eorumdem Imperii annis inſcriptis gratulari, votaque nuncupare ſolemnia voluiſſe pronum eſt putare. In Syria vero, Agyptoque dumtaxat hanc adhibitam fuiſſe Epocam, Nummoſque percuſos autumat Pagius, ductamque a *Veſpaſiani* Syriaca, Aegyptiaque expeditione, ideo quod Syris, Agyptiiſque quammaxime *Sacri* frequentius nomen fuerit. Parum firma tamen Pagii haec eſt conjectura: nam ſub *Auguſto* eadem cum Epigraphe cum Graece, tum etiam Latine ſcalptos Nummos in Cypro, & in Gallia ſub *Hadriano*, & *Antonino Pio* mox vidimus. Graecis vero Ιερα nomen familiare prae aliis fuiſſe argumento ſunt Inſcriptiones innumerae apud Sponium, Gruterum, Chiſullum, Montfauconium, Gudium, Muratorium, Corſinium, Maffejum, Placentinum &c., quibus ideo Nummos illos referendos Graecae ipſae Inſcriptiones ſuadent.

XXVII. Ad Judaeos reflectendo nunc gradum, ab ipſis profecto novam in *Herodis* gratiam ab eo, quo Hieroſolyma ab ipſo capta fuit, anno *Judaico* 3724, Chriſtianam ante Aeram ipſorum vulgarem juxta Computum anno 36, ducto cardine, Aeram fuiſſe inſtitutam, ſuper. §. v. palam abunde factum eſt: Aera hujuſmodi etſi in Nummis haud unquam obſignata fue-

fuerit. De peculiaribus modo in Palaeſtina Urbium Epochis loquendo, inter Urbes plane Judaeae *Autonomia* illuſtres, quae inde propterea novam petendam duxerint Epocham, primo loco occurrit *Eleutheropolis*, vetus *Gerara* nonnullis credita, S. Epiphanii patria apud Sozomenum lib.6. cap.32, quae *Autonomiam*, clarius *Eleutheriam* ſolo prodit ſuam nomine, a vetuſta חרי *Liber* voce, חוריים *Horreis* derivato, quos Latine *Liberos* dicere poſſis, Regionemque primam inhabitaſſe refert S. Hieronymus Comm. in Abdiae cap.1. Cui opinioni ſuffragatur R. Natan in *Aruch* loco cit. ex *Bereſcith Rabba* ſect. 42, *Eleutheropolim*, (cujus loco in Thalmude cit. cap., & ſect. *Metropolis* perperam legitur), inde adpellatam adfirmans, quod ab ipſo diviſionis ſub *Phalego* tempore, qui primi Regionem, & Urbem inhabitarunt, in libertatem ſe illico adſeruerunt omnimodam, de eaque tuenda ſollicitos admodum dedere ſe ſe. Quod improbabile tamen Relando Palaeſt. illuſt. lib.3. p.750. edit. Norimb. p.556, & Cellario Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap. 13. §.168. p.490. videtur. Videndus interea Bochartus in *Phaleg*, ſive Geogr. Sacr. lib.1. cap.18. Oper. T.II. p.433, ubi voce הירים *Horim* denominari Hebraice & *Liberos*, & *Principes* adnotat, ac ita Eccleſ. x. 17. beatam vocari Regionem, cujus Rex eſt filius חורים *Liberorum*, ita Iſaj. xxxiv. 12. Babylonios Principes, Chaldaice בני חורין, *Bene Herin Filios Liberorum*, ideſt Heroum, ſive Principum adpellari, ita *Nimbrodum* vocatum Methodio Ἀδελφὸν τῶν Ἡρώων *Fratrem Liberorum*, ſeu Heroum, ac ita *Bacchum* Hebraica phraſi *Liberum*, ac *Principem* nuncupatum. In Itinerario Antonini ſane, & in Glycae Annal. Par. III. p.164. in Suburbio *Eleutheropolis* fons extare refertur a *Maxilla* adpellatus, qua olim *Sampſon* Philiſtaeos fudiſſe, protriviſſeque legitur. Inde fortaſſe ab hoc praeclaro *Sampſonis* facinore; quo *Eleutheriam* Populo Iſraelitico, caeſis, fugatiſque Philiſtaeis, peperit, Urbi nomen inditum ſuſpicatur Relandus; probabilius tamen a Romanis id nomen Urbi impoſitum fuiſſe opinatus. Et Urbem *Eleutheropolim* hancce ſane celebrem, ſuiſque utentem legibus olim ſub Romanis extitiſſe, ex Eunapio, ut Kuſtero videtur, refert Suidas V. *Εὐτόκιος* T.I. p.912, & V. *Μαριανὸς* T.II. p.497, ubi *Eutocium* Thracem

cem *Eleutheropolim* profectum jure *Civitatis* donari, oblata pecunia, obſecraſſe, & *Marianum* Romanum hominem *Eleutheropolis* Patricium fieri, ſub *Anaſtaſio* Imperatore, obtinuiſſe ſcribit. *Autonomia* igitur a *Pompejo* Urbem fuiſſe inſignitam augurari fas eſt ex Joſepho Antiq. Jud. lib. 14. cap. 8. verſ. Petri Lauri, ubi a *Pompejo* cum *Eleutheria* donatas fuiſſe *Demetrio* Liberto ſuo Urbes *Gadaram*, *Hipponem*, *Scythopolim*, & *Pellam* adfirmat; reſtauratis autem Urbibus Samariae, *Mariſae*, *Azoto*, *Jamniae*, & *Arethuſae* Incolas fuiſſe redditos, in libertatem vero adſertas Urbes *Gazam*, *Joppem*, *Raphiam*, *Doram*, ac *Turrem Stratonicam*, ab *Herode* deinde *Caeſaream* dictam, ſcribit, & cap. 10. ſq., ubi a *Gabinio Autonomia* praeterea inſtructas fuiſſe *Gadaram*, *Ramathuntam*, *Hierichum*, & *Sephoram* refert. Has Urbes Palaeſtinae omnes, quibus jungendae praeterea in Judaea *Nicopolis*, *Rhamata* &c., Urbeſque aliae in Galilaea, *Samaria*, *Philiſtaea*, Syriaeque confines, de queis infra, ab *Autonomia*, *Pompeii*, *Gabinii* &c. beneficio, indulgentiaque impetrata novas deinceps Epochas deduxiſſe ex Nummis etiam fit evidens. De *Eleutheropolis* Nummis itaque fidem indubiam facit Bimardus de la Baſtie in Scient. Num. T. II. edit. Ven. p. 436. Certior aſt enim altera *Eleutheropolis* inſtituta Aera ex Nummis adparet *Juliae Domnae* uno, cum nota E. H. anni 8, alteroque *Caracallae*, cum nota E. Θ. anni 9, inſcriptis apud Haymium Theſ. Britan. T. I. p. 266. ſq., ac Belleyum Hiſt. Acad. Inſcrip. T. XXVI. p. 429. ſqq. Ubi titulo etiam Urbs decorata legitur Λ. CEΠ. CEΟΥΗ. ΕλΕΥΘΕ. *Luciae*, ſive *Lucianae Septimiae*, ſive *Septimianae Severianae*: quo ipſo titulo integro donata legitur *Dioſpolis*; dimidiato vero *Severianae* dumtaxat *Tavium* in Galatia, *Aegea*, in Cilicia *Tarſus*, in Syria *Laodicea*, in Ponto *Amaſia* donatae titulo ſunt. Palaeſtinae Incolis porro a *Septimio Severo* poenas, quas ob ſectatas *Peſcennii Nigri* partes fuerant promeriti, fuiſſe remiſſas U. C. anno 949, *Severi* 3, Aerae Chriſtianae 196, paullo ideſt poſtquam *Caracalla* ſalutatus eſt Caeſar, auctor eſt Spartianus in Severo. Non ab hoc tamen anno novam *Eleutheropolis* Aeram in Nummis obſignatam incepiſſe, bene vero ab anno 8. *Severi* Imperii, U. C. 954,

954, Chriſtianae Aerae 201, quo a Parthica expeditione regreſſus, Antiochiae demoratus eſt *Severus*, Toga virili ab ipſo donatus eſt *Caracalla*, idemque Conſul, & Imperii Collega pro anno ſequenti deſignatus eſt: quo ipſo anno *Palaeſtinis* a *Severo* jam plurima fuiſſe indulta refert Spartianus in Severo p.69. ſq. In rei memoriam itaque *Septimii Severi*, a quo *Luciae Septimiae Severianae* titulo condecorata tam *Eleutheropolis* utique, quam etiam *Dioſpolis* eſt, qua de poſtea, Annos non pro Epocha tam *Dioſpoli*, quam *Eleutheropoli* in Nummis obſignatos fuiſſe cenſent Haymius, atque Belleyus ſupra laudati.

XXVIII. Ad aliarum modo Judaeae Urbium Epochas gradu facto, *Emmaum* porro, quo tres olim in Palaeſtina Urbes nomine vocatas notant Relandus Palaeſt. illuſt.lib.2.cap.4. p.427. ſqq., edit. Norimb. p.316. ſqq., ac Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib. 3. cap. 13. §. 160. p. 471. ſq., ad fines Montium Judaeae in planitie poſitam, qua de heic loquimur, *Varri* juſſu exuſtam, teſte Joſepho Antiq. lib.17. cap.12, & de Bello Jud. lib.2. cap.7, non ſub *Veſpaſiano*, & *Tito*, uti Sozomeno Hiſt. Eccl. lib.5. cap.21, & S. Willibaldo in Itiner. viſum fuit, ſed ſub *Elagabalo* reſtauratam, novum *Nicopolis* induxiſſe nomen ſcribit M. Aurelius Caſſiodorus in Chron. ad Conſul. Alexandri, & Auguſti. Nempe pro Urbis inſtauratione legatione defunctus *Julius* Africanus a *M. Aurelio Antonino Elagabalo* impetraſſe, ut reaedificaretur Urbs, legitur; Urbique *Nicopolis* inditum fuiſse nomen, apud S. Hieronymum de Script. Eccl. in Julio Afric. cap. 63. edit. Fabricii p.144, apud Anaſtaſium Bibl. Hiſt. Eccl. p.19. edit. Ven. p.10. Byzant. T.XIX. & apud Auctorem Chron. Alex., & Paſch. ad Chriſti an. 223. edit. Du Cangii p.267, edit. Ven. p.214, (unde patet falli Syncellum in Chronog. p.359, edit. Ven. p.286, *Alexandri* placito *Nicopolim* ad Urbium honorem aſcendiſſe ſcribentem), ubi quin imo Urbi praefectus *Julius* Africanus ipſe refertur. Inde fas igitur eſt augurari in *Julii* Africani gratiam *Eleutheriae* jus etiam Urbi ab *Elagabalo* fuiſse indultum; iſtudque nova cum Urbis Epocha eodem cepiſse Aerae Chriſtianae anno 223. *Hiericum* etiam, unam ex quinque Urbibus, quae to-

tius Judaeae Synedrio inſigniores erant, (erantque *Hieroſolyma*, *Gadara*, *Sepphora*. & *Amathunta*), Synedrio & ipſam illuſtrem, Joſepho Antiq. Jud. lib. 14. cap. 11, *Hiericum*, inquam, a *Gabinio* ſuis vivere legibus fuiſse permiſsam habemus ex Joſepho lib. 14. cap. 10. ſq.; non ſecus atque *Ramathham* eodem *Autonomiae* privilegio a *Gabinio* quoque fuiſse inſignitam teſtem ibidem ſe praebet Joſephus. Extant & Nummi veteres apud Vaillantium Num. Imp. p. 367, & Harduinum Num. illuſt. p. 143. *Ramathae* ſculpti, & *Auguſto* inſcripti Graeca cum Epigraphe ΡΑΜΑΘΗΝΩΝ ΒΙΡ, ideſt *Ramathenorum* anno 112. Aerae caput ab anno U. C. 640. repetendum ducit Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 965, edit. Norimb. p. 713. Contra ab anno U. C. 650, ante Chriſtianam Aeram 104, quo ab Anno etiam *Aſcalonis* Urbis Aera ineunda, quo ipſo *Auguſtana* injit, videtur, *Ramathenae* exordium ducendum ſtatuit Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 611, & 618. Ego vero ab eo, quo *Gadarae*, aut *Sepphorae*, de quibus infra, novae ceperunt Epochae, anno *Ramathae* quoque deducendam Aeram, eidemque conjungendas etiam *Eleutheropolis*, & *Hierici* Epochas, eodemque ducendas ex capite auguror ex Joſepho loc. cit., ubi auctor eſt a *Gabinio* eodem tempore, eadem *Autonomia* Urbes fuiſse inſignitas; ideoque una eademque ſiquidem fuerit omnium conditio, una omnium, eademque ſtabilienda ſit Aera. Etſi tenacius haud contendam fieri potuiſse, ut a confirmata poſtea libertate aut a *Pompejo*, aut ab *Hadriano*, ſicut *Nicopolis* Aeram ab obtenta ſub *Elagabalo Eleutheria* ducendam modo vidimus, ſic *Ramathae*, & *Hierici*, ſicut & *Gadarae*, Epochae ineundae deinde fuerint ſtatutae, quin imo, ut non ab eodem, quo libertatem adeptae fuere, ſed biennio aliquando poſt, ut de *Gaba*, *Raphia*, & *Gaza* viſum eſt Noriſio, anno Urbes Epochas aliquando ſuas iniviſse concedam.

XXIX. Prope Judaeam in *Galilaea* qua Superiori, qua Inferiori pleraeque aliae *Eleutheria* inſignitae Urbes ſe offerunt, in quibus *Acco* Mari imminens Syro-Phoeniciae adſcripta Urbs a Diodoro lib. 19. cap. 93, de Aegyptii Regis *Ptolemaei Lathuri*, cui deinde paruit, nomine *Ptolemais* denominata Straboni lib. 16. p. 521, & Stephano de Urb. V. Ἄκη, Etymolo-

mologico Magno eadem voce , Harpocrationi in Lex. , Suidae &c., cuique poſtliminio vetus reſtitutum eſt nomen , *Acca* denuo adpellata in Geographia Perſica Abulhaſen Saad Ibn apud Relandum Palaeſt. illuſt. lib.3.p.539, edit.Norimb.p.402, & Herbelotum Bibl. Orient. p.40, *Acra* Judaeis in Benjamini Tudel. Itiner. cap.8. edit. Baratierii T.I. p.73, Chriſtianis, ac Mohammedanis dicta apud Golium in Not. ad Alfrag., a *Julio* Caeſare *Autonomia*, illuſtrata ejus ideo in honorem novam inſtituiſſe Epocham , eamque ab Autumno anni U.C. 706. incepiſſe , a Pugna ideſt *Pharſalica* , ex Nummo *Elagabali* apud Vaillantium Ptolemaide ſcalpto , litteriſque HΞC , ideſt anno 268. ſignato , oſtenditur Noriſio de Epochis Urb. Phoen. diſſert. 4. cap.5. §. 2. p.449. ſq. Nam ab anno U. C. 706. numerati anni 268. incurrunt in annum 973 , *Elagabali* 3 , Chriſti 220 ; unde patet a Laodicena *Ptolemaidis* Epocham nihil diſcrepaſſe . Harduino tamen in Chron. Vet. Teſt. p.613. ab Autumno anni U.C. 705 , Chriſtianae Aerae 49 , quo pulſis e ſuperiore Aſia Parthis a *Julio* Caeſare , pleraeque in eo tractu Urbes ab eodem anno in Nummis Aeram *Caeſarianam* , *Antonianam* etiam dictam , quod cum Duumviro *Antonio* de Parthis Aſia recuperata fuerit , obſignare ceperunt , *Ptolemaidis* Epocha haec incepiſſe viſa eſt , non ſecus atque *Antiochiae* ad Orontem , *Laodiceae* ad Libanum , verius ad Mare , *Botrys* , *Raphanaeae* , *Sinopis* , ac *Tripolis* , quibus praecipue cum Romanis foedus initum eſt . Coloniam porro ſub *Claudio* Imp. *Ptolemaidem* factam adfirmat Plinius lib.5.cap.19, confirmantque Nummi *Claudii* , *Neronis* , *Trajani* , *Hadriani* , *Elagabali* , *Philippi* , *Valeriani* , *M. Aurelii* , *Severi* , *Juliae Domnae* , *Caracallae* , *Getae &c.* apud Goltzium p.238, Patinum p.299 , & 317 , Occonem p.209 , Vaillantium Num. Aer. Colon. p.100 , 124, 148, 160 , & Harduinum Num. illuſt. p.142. ſq., in quibus Col. Ptol. *Colonia Ptolemais* legitur. Quo patet falſo Pagio ad an.83. n. 3. T.I. p. 707. ſq. perſuaſum fuiſſe Coloniis peculiares haud uſu Epochas veniſſe . In Inſcriptione item apud Goltzium in *Auguſto* Tab. LXXI. habetur Πτολεμαιδος Ἱερας Συνκλητος *Ptolemaidos Sacer Senatus* ; Ptolemaidenſes inſuper Antiochenorum jure , ſive jure *Civitatis*

tis Antiochenae gaviſos fuiſſe in Nummo *Antiochi* IV. *Epiphanis*, ſive *Thei* ſe legere ſcribit Harduinus, legitque Froelichius Annal. Syr. p.51. Quod indicio eſt ſane *Ptolemaidem* Coloniam ejus fuiſſe genus, queis propriis uti legibus, Magiſtratibuſque poteſtas facta fuerat; (cujuſmodi genus etiam fuiſſe, Coloniam ideſt, & *Autonomia* illuſtrem, *Caeſaream*, antea *Turrem Stratonicam* dictam, infra ex Cujacio palam fiet); indicio quoque eſt *Antiochena* Ptolemaidenſes Aera uſos fuiſſe: quo Harduini confirmatur opinio de *Ptolemaidis* Epocha ab anno U. C. 705, Chriſti 49. repetenda. In Ptolemaidis confiniis poſita *Gaba* Urbs Galilaeae, diſtinguenda proculdubio a *Gabaa* Urbe in Judaea ſita, de quibus Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 769. ſq. edit. Norimb. p. 569. ſq., & Cellarius Geog. Antiq. lib. 3. cap. 13. p.406, & 469. ſq., a *Pompejo* jampridem *Autonomiam* adepta, *Gaba*, inquam, deinde ab *Agrippa* Seniore de *Claudii* nomine dicta *Claudia*, unde *Gabeni* Cives in *Hadriani* Nummis ſemet *Claudios* inſcripſiſſe leguntur, peculiarem inſtituit Epocham, aliarum exemplo Urbium, pari donatarum privilegio: quam ab anno U. C. 693, ante Chriſtum 61. cepiſſe vult Noriſius p. 481. ſqq.; ubi & *Gabenos* diſtinguendos cum a *Gabaenis* incolis *Gabaae* in Judaea, tum a *Gabiniis* Samariae incolis ab *Aulo Gabinio* Syriae Proconſule denominatis a Julio Africano apud Syncellum in Chron. p.308, edit. Pariſ., Ven. p.246, poſt Goarum in Annot. ad Syncellum edit. Ven. p.67. ſq., & Uſſerium Annal. Vet. Teſt. p. 551. approbe advertit. In Nummo *Hadriani* Γαβηνῶν Κλαυδιέων POZ. annus 177, & in Nummo *Antonini Pii* Nota ZIC. anni 217. inſcribitur apud Vaillantium p. 31, & 339, & Harduinum Num. illuſt. p.61: qui tamen ibid., & in Chron. Vet. Teſt. p.613. verius *Gabenae* iſtiuſmodi Epochae initium a Gazenſis, aliarumque Urbium a *Pompejo* libertate donatarum Aera indiſtinctam putaſſe, & ab anno U. C. 694, ante Chriſtum 60. repetendam videtur, itaut annus ille 177. fuerit *Hadriani* 1, U. C. 870, illeque annus 217. fuerit *Antonini Pii* 17, U. C. 906. Quamquam non eſſe, cur a recepta *Pompejana* Aera U. C. anno 691, ante Chriſti natalem 63, ac Judaeae, & Palaeſtinae Urbibus aliis uſurpata, Gabeni recedendum, atque trien-

triennio retardandam duxerint, ſequenti Volum. V, quum de Aeris Seleucidarum, *Lucullana*, *Pompejana*, *Caeſariana*, & *Auguſtaea* ſermo erit, planum fiet.

XXX. Praecipuae jam vero Galilaeae Urbes, deque Principatu reciproce inter ſe contendentes, Joſepho in Vita ſua referuntur *Tiberias*, & *Diocaeſaraea*, de quibus pauca nobis, ut fieri poterit, refingenda manent, poſtquam ab Harduino, Noriſioque provincia haec exhauſta jampridem, numeriſque abſoluta ſuis fuit. *Tiberias* itaque, quae olim *Rakkath* dicta fertur Thalmudicis in Cod. *Meghilla* fol.5. col. 2, K*ennereth* vero S. Hieronymo in Ezech. cap.48, quod utrumque reprobat Relandus Palaeſt. Illuſt. lib.3. p. 1037, edit. Norimb. p.765; quaequae celebre ſibi olim uſque ad Seculum IV. Aerae Chriſtianae adultum e Schola Judaeorum nomen adepta eſt; de *Tiberii* nomine ab ejuſdem Urbis reſtauratore, non *Tiberio* quidem ipſo, ut viſum perperam Glycae in Annal. Par.III. p.233, & Joeli in Chronogr. p.162, ſed *Herode Antipa*, referentibus Joſepho Antiq. lib.18. cap.3, & de Bello Jud. lib.2. cap.8, & Stephano de Urbib. Eν. Eθνικοῖς, denominata, ab *Agrippa* poſtea de *Claudii* nomine *Claudia* nuncupata, Galilaeaeque Metropolis conſtituta, atque *Tabaria* tandem a Mohammedanis dici ſolita, Epocham novam adſciviſſe creditur, eamque adfixiſſe anno U. C. 780, Chriſtianae Aerae 27, colligi videtur ex Euſebio in Chron. ad an.3. Olymp. 201. Oper. S.Hieron. edit. Veron. T.VIII. p.645, velut advertit Noriſius diſſert.5. cap.6. p.581. Verumtamen de Euſebii teſtimonio cum Scaligero in Not. Euſeb. n. 2041. valde dubitat Vir doctiſſ., quumque duobus in Nummis *Trajani*, & *Hadriani* in Cimelio Regis Chriſt. ſervatis, obſignatiſque *Tiberienſium* anno Eων 81, & anno AP. 101, nec in ſuo *Trajanus* Nummo *Dacici* titulo decoretur; *Trajano* vero *Hadrianus* ſucceſſerit anno U. C. 870, inde retroducti anni 101. in Nummo *Hadriani*, & anni 81. in Nummo *Trajani* notati, in annum U. C. 770, *Tiberii* 3. incurrent: quo ab anno 770. deducendam *Tiberienſium* Aeram veri putat ſimilius, quod & multis confirmare ſatagit conjecturis. Quas utique Noriſii conjecturas duobus aliis confirmat Nummis Harduinus Num. illuſt. p. 170, & de

& de Num. Herod. p.330. Tiberiade cuſis, notatiſque litteris ΑΡ. in Nummo *Trajani*, ideſt anno 81, & ΓΡ. in Nummo *Hadriani*, hoc eſt 103, inde conficiens *Tiberiadis* Epochae caput ab anno U.C. 770, Aerae Chriſtianae 17. ducendum eſſe, quo ab ipſo anno Aeram *Auguſtanam* in Cilicia incepiſſe docet in Chron.Vet. Teſt. p.626. Vaillantius porro Num. Graec.p.46. Nummum *Antonini Pii* Gazae Regiae inſcriptum Τιβεριέων. ΜΗΝ. ad hanc pertinere Urbem Galilaeae, & litteras ΜΗΝ. notas eſſe Aerae non dubitat. Verius Joberto Scient. Num. ſect.3. §.29. T.I. p.336, & Harduino Num. illuſt. p.170. Nummus, in quo Dei *Luni* pileo Phrygio, ſive ruſtico tecti viſitur effigies, ad *Tiberiadem* Phrygiae, ſive *Tiberiopolim* Socrati lib.7. cap.46. dictam, pertinere viſus eſt, ubi nempe Dei *Luni* cultus vigebat; litteras vero MHN, non Aerae notas eſse, ſed nomen ipſum Dei *Luni*, Menſis ideſt, uti legitur in Nummis Antiochiae Piſidiae, putant. Quamquam Bimardo de la Baſtie in Annot. T.II. p.308. obſervatum eſt hoc in Nummo detritas litteras nonnullas eſse, ideoque certum ferri de ipſo nequire judicium,

XXXI. Tiberiadis Urbs aemula, ejuſque deinde loco *Galilaeae* caput ab *Agrippa* Juniore facta, Joſepho in Vita teſte, *Diocaeſarea*, in Galilaea nempe ſita, ideoque diſtinguenda a tribus aliis ejuſdem cognominis Urbibus Phrygiae, Cappadociae, & Iſauriae, quibus de Plinius Hiſt. lib.6. cap.3, & Ptolemaeus Geog. lib.5. capp.6, & 11, *Sepphoris* olim dicta Joſepho Antiq. lib. 17. capp. 25, lib. 18. cap.3, & de Bello lib.2. cap.37, S. Epiphanio Haer. 30, S. Hieronymo in Prologo ad Jonam, Suidae &c., Judaeis vero *Zipporis* in Thalmude Cod. *Meghilla* fol.6. col.1, in *Erachin* cap.9. fol. 6, in Itiner. Benjamini edit. Barat. T.I. cap. 10. p. 105. &c.; *Anthedon* perperam Adricomio p. 22, ut infra patebit, de *Hadriani* nomine demum *Hadriana* nuncupata, novam ſub *Hadriano*, cujus armis e Judaeorum poteſtate erepta fuerat, Euſebio in Chron. ad an. Chriſti 120. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 701, & Hiſt. Eccl. lib.4. cap.6, S. Hieronymo in Dan. cap.9, & in libro de Loc. Hebr., ac Dione in *Hadriano* teſtibus, Epocham inſtituiſse videtur. Nempe quum Judaei *Diocaeſaream* incolentes ar-

arma contra Romanos ſuſcepiſsent, ab *Hadriano* profligati, Urbe excedere compulſi ſunt, quae Syris inhabitanda conceſsa, *Hadriana* inde dicta videtur; Syriſque deinceps expulſis, ſolis poſtea inhabitata Judaeis, teſte S. Epiphanio loc. cit., nomen retinuit. Anno demum Aerae Chriſtianae 339. Judaeis ſeditionem iterum cientibus, *Conſtantii* juſsu a *Gallo* Urbs ſolo fuit aequata, referentibus Socrate lib. 2. cap. 27, Theophane in Chronog. p. 33. edit. Pariſ., Ven. p. 27, & Cedreno in Comp. hiſt. p. 299. Nummi porro extant veteres apud Patinum Num. Imp. Aer. p. 146, & 183, Triſtanum T.I. p. 415, Vaillantium Num. Imp. p. 23, & 31, & Harduinum Num. Popul. illuſt. p. 153, *Domitiani*, & *Trajani* cum epigraphe Σεπφωρηνῶν *Sepphorerorum*, ulla tamen abque nota anni: quod indicio eſt veterem aliam Urbi uſu Epocham veniſse ad *Domitiani*, & *Trajani* uſque aetatem; aliam ſub *Herode*, a quo *Sepphorim* muro fuiſse munitam, Galilaeae Metropolim, & *Autocratotidem*, (quo nomine Urbem ab *Herode* fuiſse nuncupatam opinatus Ortelius refellitur a Cellario Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. §. 57. p. 420, quod nomen hoc Joſepho non proprium fuerit, ſed adpellativum), factam refert Joſephus Antiq. lib. 18. cap. 3. verſ. Lauri; aliamque demum ſub *Hadriano* una cum nomine fuiſse deinceps uſurpatam: quo tamen a capite deducenda tergemina haec Epocha ſit, in obſcuro hucuſque manet.

XXXII. In Galilaea Urbs altera *Paneas*, & ipſa Epocha inſignita, occurrit, ita dicta vel a fonte, qui Jordanis unus inde fluit; duo enim flumini eidem fontes inſunt, quorum unus *Jor*, alter *Dan* eſt, unde *Jordanis* effictum nomen eſt, ut Plinius lib. 5. cap. 15. ſcribit, vulgoque perſuaſum habent Geographi poſt S. Hieronymum, Suidam &c.; (repugnant vero, Joſephum ſequuti, cui jungendus R. Benjamin Itiner. T. I. cap. 10. p. 111. ſq., Munſterus, Relandus, Auguſtinus Bruzen la Martiniere in Notis ad Cluverii Introd. Geogr. lib. 5. cap. 30. edit. noviſ. Amſt. 1729. p. 594, ac in Dict. Geog. ad h. l. *Jordano* unicam eſſe in Libano ſcaturiginem, in cumque deinde e lacu *Phiala* haud longe a Caeſarea per ſubterraneos, latenteſque meatus Aquarum multum infundi contendentes:

tes: videndique la Rocque Itin. Syr. Par.I. p. 306. ſqq., & Baratierius in Not. ad Benjamini Itin. p. 111. ſq.); ita vel a fonte, inquam, dicta, velut Harduinus Num. illuſt. p.40. autumat; vel a *Pane* Deo Paſtorum, uti Philoſtorgio Hiſt. lib.7. cap.3. viſum eſt, cui favent Nummi, in quibus *Pan* fiſtulam inflans conſpicitur; vel a *Panio* Monte, qui Urbi incumbit, veluti cenſet Spanhemius de Num. Praeſt. p. 895; vel ab utroque *Panio* hoc eſt Monte, & *Pane* Deo, ut indicat Holſtenius in Notis ad Stephanum de Urb. p. 154, ubi in Nummis *Panis* Deus Rupi innixus conſpicitur. Eadem cum *Leſen* Urbe Joſue XIX. 47. S. Hieronymo in Ezech. cap. 48, Philoſtorgio, Holſtenio in Not. ad Stephanum p.241, ac Noriſio de Epochis Syromac. diſſert. 4. cap.5. §.4. p.463. viſa eſt; quin Gen. XIV. 14. vocem *Dan* Samaritanus *Paneas*, & Arabs *Banias*, nam littera P. carent Arabes, vertunt. Et *Dan* olim utique, ſua dein aetate *Balinum*, ſive *Valinum* eamdem vocatam fuiſſe Urbem, ibique ad Montis radices Cavernam extare, unde Jordanus exeat, ante ipſam vero locum adhuc deprehendi, ubi a *Mica* Idolum collocatum fuerat, Araque a *Jeroboamo* extructa, ibique Aureus conſtitutus *Vitulus*, fide adfirmat ſua R. Benjamin Itiner. T. I. edit. Barat. cap. 10. p. 111. ſq., quocum Itineraria conferenda Syr. de la Rocque Par.I. p. 314, & 320, atque Baratierius ibid. in Not. Diſtinctum attamen a *Paneade* Oppidum fuiſſe vicinum etſi, *Leſen*, olim *Dan* vocatum, & *Lais*, docent Euſebius in Onomaſt. V. *Bethſames*, Judaei in Targo Hieroſolym. ad Gen. XIV. 14, oſtenduntque Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 3. p.734, & 921, edit. Norimb. p.545, & 680, ac Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib.3. cap.13. §.38. p. 407. ſq. *Caeſarea Philippi* deinde Matth. XVI. 13, & Marci VIII. 27. denominata eſt a *Philippo* Tetrarcha; *Nerodias* poſtea de *Neronis*, cujus beneficio Urbem una cum *Juliade*, aliaſque quatuordecim obtinuerat, nomine ab *Agrippa* Juniore nuncupata eſt, Joſepho teſte Antiq. lib.20.cap.16. Quo tamen nomine *Agrippam* indicare voluiſſe e Jordanis fontibus unum eo loci fuiſſe, ideo quod Νηρὸν *Humidum* ſignificet, unde *Nereus*, *Nereides*, & *Nero* hodiedum *Daphae* Antiochiae ab Aquarum abundantia denominatur, qua de re Sal-

Salmaſius etiam ad Trebellium Pollionem p. 311, minus vere ſuſpicatus eſt Relandus Palaeſt. illuſt. lib.3.p.908, edit.Norimb. p.671. *Caeſarea Auguſta* deinceps in Nummis aliquibus; *Claudia Caeſarea* itidem de *Claudii* nomine in Nummis aliis nuncupata apud Holſtenium loc. cit., & Harduinum in Num. Herod. p.337; uſitatiori tamen vocabulo *Paneas* denominata Ptolemaeo Geog. lib.5. cap.15, Plinio Hiſt. lib. 5. cap. 15, Euſebio Hiſt. Eccl. lib.7.cap.17, S.Hieronymo in Matth. XVI, Synodo Chalcedonenſi Act. IV, Stephano de Urb. p.240, & Sozomeno lib.5. cap.21. legitur; ſub Saracenis demum *Bellina*, Villelmo Tyrio lib.15. cap. 9, Benjamino Tudel. in Itiner. loco ſupra cit., Baldrico, & Jacobo de Vitriaco teſtibus, dici conſuevit: unde patet non unam *Paneadis* Epocham fuiſſe.

XXXIII. Atque Joſephus quidem Antiq. Jud. lib. 20. cap.11. verſ. Lauri referens a *Nerone* traditas *Agrippae* Juniori, cum Galilaeae parte, *Tiberii* Tetrarchiam, *Paneadem*, *Juliadem*, Urbeſque alias 14, novam tum Epocham ſub *Agrippa* utrique Urbi *Paneadi*, & *Juliadi* fuiſſe inditam indicare videtur. Euſebius etiam in Chron. ad annum Chriſti 27. verſ. S. Hieron. T.VIII. edit. Vallar. p.645, Olymp. 201. annum 1, V. C. 778, & S.Hieronymus lib.3. in Matth. ſub initio Oper. T.VII. p. 122. referentes a *Philippo* Tetrarcha *Herodis* fratre *Paneadem* in honorem *Tiberii* Caeſaris conſtructam fuiſſe, vocatamque *Caeſaream*, & ex nomine ejuſdem filiae *Juliadem*, (quam *Libiadem* vocat Euſebius), trans Jordanem exſtructam, alteram Urbis utriuſque Epocham indicare videntur. Unde mihi videtur non fuiſſe utique, cur ab Euſebio pro arbitrio fictam Epocham diceret Scaliger in Not. Euſeb. n.2041, aut cur a Noriſio cit. diſſert.4. cap.5. §. 4. p. 469. ſqq., Euſebiana hac Epocha deturbata, ex Nummis altera, quam inter annos U. C. 751, & 755. referendam putat, quo tempore *Caeſarea Paneas* in *Auguſti* honorem fuerit condita, ſubrogaretur. Qua in ſententia Noriſio ſane praeiverat Harduinus Num. illuſt. p.40, Num. Herod. p.337, & in Chron. Vet. Teſt. p.618, ubi Epochae iſtiuſmodi ab anno U. C. 751. initio ducto, annum 172. in Nummo *M. Aurelii* notatum cum ejus anno 9, Chriſti 179, annum 193. in Nummo *Commodi* cum ejus anno 9, U.C.

 941,

941, annum 199. in *Severi* Nummo cum ejus anno 4, U. C. 949, & annum 202. in Nummo *Getae* cum U.C. anno 952. componit. Diverſas etenim Epochas, diverſas juxta nuncupationes, diverſis ſub Tetrarchis eidem inditis, *Paneadem* ſubiiſſe veri ſit valdequam ſimile. In Nummis jam vero *Paneade* ſcalptis cum Imaginibus mox *Panis* Dei Paſtorum, mox *M. Aurelii Antonini*, mox *Commodi*, mox *Severi*, mox *Getae* cum epigraphe Graeca *Caeſarea Auguſta Sacra*, & *Inviolata*, Notiſque Paβ. anno 172, PYA. anno 191, PqΘ. 199, Cβ. 202. apud Holſtenium, Spanhemium loc. cit., & Noriſium p. 472. ſq., Epocha indicatur Urbi a *Philippo* ſub *Tiberio* indita. In Nummo alio, ubi in averſa parte Graece ſcalpta legitur *Claudia Caeſarea*, in priori vero *Rex Herodes* apud Holſtenium loc. cit., Epocha deſignatur *Paneadis* altera ſub *Herode*, & *Claudio*. Nec erat ſane, cur de Nummis dubitaret Noriſius ob *Herodis* inſcriptum nomen, ideo quod *Agrippae* ſeniori a *Cajo* Caeſare *Paneadem* fuiſſe tributam teſtetur Joſephus lib. 18. cap. 13: vita namque *Philippo* functo, *Paneas* cum Urbibus Tetrarchiae aliis in *Herodis* poteſtatem devenerat, quae poſtea Tetrarchia *Agrippae* a *Cajo* adſcripta eſt; Urbeſque alias ab *Herode* in Caeſarum honorem aut conditas, aut exornatas fuiſſe mox oſtendemus. Ad haec *Paneas* ab *Agrippa* poſtea Juniori, non *Claudia*, ſed de *Neronis* nomine *Neronias* nuncupata eſt: unde novam Urbi Epocham adceſſiſſe ex Joſepho adnotavimus. Et certe in *Neronis* Nummo Cimelii Regis Gall., ubi *Aſtartis* Dea expreſſa erat, detrita vero ſic habebat Epigraphe ... Αρια Ηπρο ΣΕΒΑΣΤΩΝ Ν., ſubtus L. ΙΔ. annus 14, a Vaillantio ad ſe miſſo legendum *Samaria* anno 188, *Neronis* anno 14. putaverat, dubitabundus tamen, Noriſius, atque Samariae Aeram hanc in Olympiadis 164. annum 3, U. C. 633. conferendam fore perſuaſum habuerat. Aſt enim in Nummo illo legendum *Caeſarea* in Palaeſtinae *Metropolis* cenſuit Harduinus in Num. Popul. illuſt. p. 39, de Num. Herod. p. 332, & 334, & in Chron. Vet. Teſt. p. 637. *Caeſarea* etiam legendum in Nummo illo viditVaillantius, eumque ad *Caeſaream* Palaeſtinae dubio procul referendum de Num. Graec. edit. Amſt. p. 17. Invicte denique *Cae-*

Caeſarea legendum ex Nummis quinque Muſei D. Pellerini oſtendit Abbas Belleyus Obſerv. in Num. Caeſareae in Palaeſt. Hiſt. Acad. Inſcrip. T.XXVI. p.440. ſqq., ubi diſtincte legitur Καισαρια Ηπρος Σεβαςω Λιμενι, ideſt *Caeſarea prope Portum Sebaſte*, ut ipſe legit, ſive *Portum Auguſti*: quia nempe ab *Herode* condita ad Mare cum Portu in *Auguſti* honorem Urbs fuerat: atque ita legendam Epigraphem etiam in ſimili *Agrippae* Regis Nummo Cimelii Regis Gall. obſervat. Itaque Annus IΔ. 14. *Neronis* eo notatus in Nummo indicio fuiſſe Viro doctiſs. Belleyo videtur, eo ſane, quo Judaei rebellarant, *Neronis* anno 14. illos, Graecos, atque Syros nempe, in Romani Populi obſequio manſiſſe. Quamvis haud inficias ibo praecipuam inter has *Paneadis* Epochas illam habendam fore, quam a magnificentiſſimo in *Auguſti* honorem exſtructo ibidem Templo repetendam inſignis docet apud Occonem p.82, & Holſtenium p. 155. Nummus hacce cum epigraphe ſcalptus: Θειου Σεβαστου Πατρος Πατριδος, in poſtica vero parte circa Templi effigiem: Καισαρεων Φιλιππολιτων Νεωκορων. De *Neocoraeis* porro Epochis, quas paſſim Urbes ſibi uſurpabant, quod nempe Templa obtinuiſſent, vel *Numini* alicui, vel *Auguſto* dicata, ubi a totius Provinciae Conventu, aut Populi vota conciperentur, & Sacra fierent, dicam commodius infra. Denique in Nummis aliquibus *M. Aurelii*, *Macrini*, & *Diadumeniani*, ubi legitur Φανεας Πολεως Cυρ. Παλ., Triſtano T.I. p.593, Patino p.241, Spanhemio diſſert. 9. p. 899, Pyrrho Ligorio, & Aenaeae Vico apud Holſtenium in Not. ad Stephanum de Urb. 340. &c. de *Paneade*, mutato Π in Φ, intelligendam Epigraphem fore perſuaſum fuit. Verum falli eos oppido, legendamque *Flavia Neapoleos Syriae Palaeſtinae* ex Nummorum aliorum collatione recte vidit Relandus Palaeſt. illuſt. lib.3. p.920, edit. Norimb. p.680, exindeque Schwartzius in Not. ad Cellarium Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. p.527, ac Noriſius de Epochis Syromac. diſſert 5. cap.5. §. 2. p. 566.

XXXIV. De *Juliadis* demum Urbis Epochis dicendum, pro coronide Epocharum Urbium Galilaeae, obiter manet. Duplicem itaque hoc *Juliadis* nomine Urbem conditam, vel

exor-

exornatam fuiſſe tradit Joſephus, ab *Herode* unam in Galilaea, cum *Sepphori*, ſive *Tiberiade*, in honorem *Juliae Augusti* filiae, *Tiberii* uxoris Antiq. lib. 18. cap. 3, & de Bello lib. 3. cap. 35, (quam veterem fuiſſe *Betharamphtam* putans Cellarius p.413. refellitur a ſuo Annotatore Schwartzio, a quo & *Julias* haec in Peraea collocatur, Relandum exſcribente p.654, & 869. ſq., edit. Norimb. p.487, & 642. ſq.); alteram trans Jordanem cum *Caeſarea*, ſive *Paneade* a *Philippo* ejus fratre in honorem ejuſdem *Juliae Auguſti* filiae eodem Antiq. libro, & de Bello lib. 2. cap. 13. *Juliadem* hancce veterem fuiſſe *Bethſaidam* Apoſtolorum Patriam inter alios pugnant Lightfootus in Chorog., & Hor. Thalmud. ad Matth. xiv. 13, & in Chorog. ad Marc. Oper. T. II. p. 235, 329, & 417, ac Relandus Palaeſt. illuſt. p.869. ſq., poſter. edit. p. 642. ſq.; dubitant vero Biddulphus, & Cellarius Geog. p. 536. ſqq. Euſebius in Chron. verſ. S. Hieron. T. VIII. p. 645. ad Olymp. 201. an. 1, Chriſti 27. a *Philippo* cum Caeſarea exſtructam *Juliadem* etiam auctor eſt, & ibid. ad an. 3, Chriſti 29. ab *Herode* cum Tiberiade conditam *Libiadem* tradit. Similia ſcripſit S. Hieronymus in Matth. lib.3. Oper. T.VII. p.121, ubi Pontacus in Not. ad Euſeb. p. 241, & poſt ipſum Vallarſius p. 645. obſervant perperam a Mariano in Not. ad S. Hieron. dictum Joſephi Codicem mendoſum, ideo quod pro *Libiade* ſcripſerit *Juliadem*, & a Martianaeo *Libiadem* potius, quam *Juliadem*, filiam nempe pro Uxore ab Amanuenſibus poſitam, legendam putante: ſiquidem promiſcue Urbem hanc utroque nomine vocatam *Libiadem*, ſive *Liviadem*, ac *Juliadem*, quum *Livia Auguſta*, a qua hoc cognomen, duplici adpellatione fuerit inſignita, *Livia*, & *Julia*, illa quidem propria, hac vero adoptiva, utpote ab *Auguſto* in haereditatem adſcita, teſtibus Svetonio, Tacito lib.1, Philone in Flaccum, & Ovidio Inſt. lib.1: quibus Jobertus Scient. Num. T.I. p.340. ſq., & Harduinus Num.illuſt. p.626. *Liviam* a *Julia* diſtinguentes refelluntur; videndique Spanhemius de Praeſt. Num. diſſert.11. T.II. p.27, & Bimardus in Annot. ad Jobertum T. II. p. 316. ſqq., ubi a Plinio lib.10. cap. 6. etſi in editis aliquibus Romae 1470, Ven. 1472, Parmae eodem anno, & 1476, Trevilii 1479, Par-

Parmae 1481, Ven. 1491, & 1519, Brixiae 1486, & Pariſ. 1532. *Livium* legi fateatur, in longe tamen pluribus editis Ven. 1469, 1483, & 1496, Baſil. 1530, 1535, 1543, Pariſ. 1543, Lugd. 1543, 1561, 1587, Francoſ. 1582, Genevae 1606, Harduini 1685, ac MSſ. Regio, Thuano, Collegii Jeſuit. Pariſ., Colbertinis tribus, Chiffletiano, Foxenſi, Bibl. Lugduni Batav. quatuor &c. *Juliam* legi oſtendit. Inde augurari itaque fas eſt novam *Juliadis* trans Jordanem Epocham cum anno Chriſtianae Aerae 27. incepiſſe, *Juliadis* vero in Peraea cum anno Chriſti 29. Epocham concurriſſe. Extant apud Jobertum loc. cit., & Harduinum p.421, & 625.ſq. Nummi cum Palma, Judaeae Symbolo, ſcalpti, atque *Tiberii*, & *Juliae* nominibus inſcripti, cum Notis L. A. anno 1, aut L. B. anno 2; ſicut & Nummi cum Palma item, Tiberiadis inſcriptione, ac *Tiberii*, cum Nota anni 4: unde arguit Harduinus loc. cit., & de Num. Herod. p. 330. ab *Herode Juliadem* in Peraea circa annum Chriſti 23, *Tiberiadem* vero ante ſex annos conditam. Verum id ullo abſque gravi argumento dictum ab Euſebiano nos calculo recedere non cogit.

Digitized by Google

DE EPOCHIS, SEU AERIS

Samaritanorum*, *Sichimitarum*, *ſive Neapolienſium*, *Sebaſtenorum*, *ſive Caeſaraeenſium*, *Scythopolitarum*, *Dorenſium*, *Lyddorum*, *ſive Dioſpolitarum*, *Ramathaeorum*, *Joppenſium*, *Mariſſenorum*, *Jamnienſium &c.

Articulus II.

I. AD Epochas Urbium Samariae modo gradum facimus, quas antequam ad incudem revocemus, de Samaritanorum Origine, Religioneque nonnulla attingere operae pretium eſt, unde dicendis lux adfulgebit haud modica. Samaritani ergo Judaeis Verpis & ipſis miſeris aſſa voce שומרונים *Schomronim* vocati ab Urbe שומרון *Schomron*, R. Benjamino Tudel. Itin. T.I. cap.8. p.76. teſte, qualis olim ſub Judicibus Samariae Regionis Metropolis vocabatur, quam incoluerant, vulgo כותיים *Cuthaei* a כות *Cuth*, Joſepho teſte Antiq. Jud. lib.9.cap.14, videndique Thomas Hyde de Vet.Perſar., ac Medor. Relig. cap.2. p.39. ac Lightfootus in diſquiſ. Chorog. ad Joh. IV. Oper. T.II. p.584. ſqq., Regione Perſidis, ſive Caramaniae, ut interpretatur Baratierius in Not. ad Benjamini Itin. loc. cit., quod inde partem in Palaeſtinam translati fuerint, Gens fuit non peculiaris, ſed Gentium potius variarum colluvies variis e Regnis Babylone, Cutha, Avah, Emath, & Sepharvaim collecta, de qua IV. Reg. XVII. 24, juncto I. Eſdr. IV. 9. ſq. Videlicet ſub *Roboamo* duo in Regna diviſis Judaeorum duodecim Tribubus, III. Reg. XII. 19. ſqq., ac ita ut *Judaeae* Regnum, cujus caput *Jeruſalem*, ex duabus *Judae*, & *Benjamin*, alterum *Iſraelis*, cujus Metropolis primo ſub *Jeroboamo Sichem*, poſtea *Thirſa*, ac demum ſub *Amri*, ac deinceps *Samaria*, ex aliis Tribubus decem conflatum fuerit, poſtquam in Aſſyriam, ac Mediam anno Mundi 3283, ante Chriſti natalem 721, veriſimiliorem juxta Uſſerii

rii Chronologiam Annal: Vet. Teſt. p.54, Harduini in Chron. Vet. Teſt. p.545, Daudaei in Proleg. S.Script. cap.2. §.5. Bibl. edit. Ven. 1758. p. LXI. T. I, & p. 226, Carpzovii Crit. Sacr. Par.II. cap.4. p.588, Captivae decem Tribus abductae fuerant, (fuiſſe abductas trans Caſpios Montes in Colchidem, & Iberiam aliquas, indeque Gentem Tartarorum enatam dicere ſomniantes Poſtellus, R. Menaſſe ben Iſrael, Ortelius, Helſtemius in Epiſt. ad Nihuſium, Fullerus Miſcell. Sacr. lib.2. cap.5. Crit. Sacr. edit. Francof. T.VII. p.68. ſqq., Leo Allatius in Symmictis p.440. &c., viden, ut egregie vapulent a R.Benjamino in Itin. T.I. cap.8. p.76. ſq., Grotio in IV. Reg. XVII. 24. Crit. Sacr. edit. Francof. T. II. p. 158, Willelmio apud Witzium, Bocharto Geog. Sacr. lib. 3. cap. 14. Oper. T. II. p. 193. ſq., ab Hottingero in Πεντας diſſert. Bibl. Append. I. de Incolis Samar. §.18. p.374. ſq., a Brerevvodo Scrutin. Relig. p.39, a Baſnagio Hiſt. Jud. T.VII. lib.7. cap.6. p.120. ſqq., a Witzio in Δεκαφυλο, ſive de Decem Tribub. Iſrael. cap.4. § 2. p. 266; a S. Scriptura ſiquidem explicitiſſime in Aſſyriam, & Mediam abductas decem fuiſſe Tribus conſtet IV. Reg. XVII. 6, & XVIII. 11.), earumdem in locum diverſis e Regnis Aſſyriae, & Mediae, ut innui, Coloniae traductae in Samariae Regione ſedes defixere ſuas, unde a Regionis Metropoli *Samaritani* deinceps adpellati ſunt. Atque ita quidem a Graecis nuncupatos tradit Joſephus loc. cit., Joſepho vero conſentiunt S. Joh. Chryſoſtomus Hom.30. in Joh., Euthymius in Iſaj. VII. Bibl. PP. T. XIX. p.675, & Auctor Chron. Alex. p.180, edit. Ven. p. 144. Aſt enim Menochius in I. Eſd. IV. 2. T. I. p 234, & Lightfootus in Chorog. ad Joh. IV. Oper. T. II. p. 584. duo Colonorum genera Samariae Regionem inhabitandam ab Aſſyria, & Media fuiſſe miſſa, primo nempe a *Salmanaſare*, ſive a *Sennacheribo*, ſive *Aſenaphare*, eum Octonomium enim fuiſſe ſcribunt Judaei in *Sanhedrin* fol.94. col.1, de quo IV. Reg. XVII, & I. Eſd. IV. 10; ſecundo vero ab *Aſſarhaddone*, de quo I. Eſd. IV. 2. fit ſermo, perſuaſum habent. Sed inanis diſtinctio haec, de qua ne γρυ quidem in S. Scriptura; quin ex laudato IV. Reg. XVII. capite liquet v. 41. maxime, ubi de Samariae novis Incolis, eorumque Filiis, atque Nepotibus fit

ſermo, & I. Eſd. IV. v. 9. ſq., ubi eoſdem ipſos eſſe conſtat, qui & ab *Aſenaphare*, & qui ab *Aſſarhadone* v. 2. Samariae Regionem incolendam miſſi fuerant. Videndi Maurinus Auctor Gallus Novar. Elucidationum de Origine, & Pentateucho Samar. cap. 1, ubi Menochium refellit, & Hottingerus de Samar. Append. 2. §. 5. p. 406. ſq., ubi Lightfootum refutat. A Verbo *Somer*, quo *Cuſtos* ſignificatur, dictos Samaritanos, quod Terrae Iſraeliticae cuſtodiendae ab Aſſyria miſſi fuiſſent, vetus Judaeorum opinio fuit altera, quae arriſit Origeni in Johan. Tom. XX. edit. de la Rue T. IV. p. 354. ſq., S. Epiphanio Haer. IX. n. 1. Oper. T. I. p. 24, Anaſtaſio Sinaitae Reſp. ad Quaeſt. 45. Bibl. PP. Lugd. T. IX. p. 1003, Euſebio in Chron., S. Hieronymo in Amos IV, Severo Sulpitio Hiſt. Sac. lib. 1. cap. 49. Bibl. PP. T. VI. p. 336, Leontio Byzant. de Sectis Act. 2. Bibl. PP. T. IX. p. 664, S. Gregorio M. Hom. 18. in Evang., Nicetae Chon. Theſ. lib. 1. cap. 34. Bibl. PP. T. XXV. p. 62, Paſchaſio Radberto in Matth. lib. 6. Bibl. PP. T. XIV. p. 494. &c. Quae ſane nomenclatio valdequam diſplicet Maurino Auctori Nov. Elucid. loc. cit. p. 12. ſq., Baſnagio Hiſt. Jud. T. II. Par. I. lib. 2. cap. 1. §. 3. p. 8. ſq., Carpzovio in Crit. Sacr. Vet. Teſt. Par. II. cap. 4. de Pent. Samar. p. 587. &c. Referebant ipſi vero ſuam Samaritani originem primam ad *Joſephum*, & *Jacobum*, Joſue XXIV. 32, Joh. IV. 12, & Joſephi Antiq. lib. 9. cap. ult.; adeundique Carpzovius in Crit. Sacr. Vet. Teſt. Par. II. cap. 4. p. 596. ſq., & Baratierius in Not. ad Benjamini Itin. p. 80, ubi tam *Mohammedum*, qui in Alcorano Samaritanum facit *Aharonem* inſignis Ἀνιςοριησίας, ac Sacrarum rerum imperitiae, poſt Bochartum Hieroz. Par. I. lib. 2. cap. 34. p. 359. ſq., arguunt; quam Cotovicum, qui Itiner. Hieroſ., & Syr. lib. 3. cap. 4. p. 342. ſq. ſe univerſim *Aharonitas* facere Samaritanos refert, erroris ſuggillant, quum Pontifices ſuos quidem ex *Aharonis* ſtirpe, ex *Joſephi* genere tamen ſemet deſcendiſſe Samaritani jactent. Quin ſuo in Chronico, de quo infra, apud Benjaminum in Itin., & apud Scaligerum de Emend. lib. 7. p. 662. ſq., ac in Epiſtolis ad Ludolfum, ad Scaligerum, ad Huntingtonum, & ad Samaritanos Angliae apud Baſnagium Hiſt. Jud. T. II. lib. 2. cap. 9. p. 176. ſqq., & Richardum Simonium de Cae-

Digitized by Google

Caerem., & Mor. Jud. p. 172. ſe ex Tribu *Ephraim*, Sacerdotes vero ſuos ex Tribu *Levi*, ac Pontifices ex *Aharonis* linea deſcendiſſe jactant, Templumque ſe in Monte Garizim a *Joſue*, longe ante *Salomonicum*, aedificatum habuiſſe, eidemque Templo adhaeſiſſe *Phineaſi*, & *Joſephi* ſtirpes, e quibus ſe progenitos fuiſſe quam ſuperbe, tam falſo, vaneque fabulantur. Quid vero quod horum originem a *Samaro* filio *Chanaami* deducere falſo certe nec dubitarunt Philoſtorgius de Haer. Bibl. PP. T. V. p. 702, & Procopius Gazaeus in Gen. x, adeo ut indiſtincti hi ſint a Samaraeis, de quibus Gen. x. 18, apertiſſime refragante Sacro Textu III. Reg. XVI. 24, & IV. Reg. XXIII. 19; quem nec aſſequutus videtur Theophanes Cerameus Hom. 38. p. 266, Samaritanos a Chaldaeis nomen accepiſſe arbitratus. Contra vero Judaei Samaritanes ex Tribu *Iſachar* oriundos faciebant in *Bereſchit Rabba* Sect. 94. ad Gen. XLVI. 13; qua de re Benjamin in Itin. T. I. cap. 8. p. 76. ſqq. Aſt enim Chaldaicae originis illos fuiſſe indubium fit ex cit. IV. Reg. XVII, ipſorum quin imo confeſſione I. Eſd. IV. 2. ſqq., ex Joſepho Antiq. lib. 12. cap. 7, quin ex Matth. x. 5, & Luc. XVII. 16. ſqq. &c.

II. Internecini jam vero odii Judaeos inter, & Samaritanos hodie obtinentis in cauſſa primo fuit, cum jactata adeo ex *Iſraele* origine, nefandiſſimae tot Idololatriae ſpecies, quibus gens haec deditiſſima fuit: qua priori de feralis odii cauſſa fuſe Seldenus de Jure Nat., & Gent. Hebr. lib. 2. cap. 5. p. 177, & Dithmarus in Not. ad Maimonidem de *Jurejurando* cap. 2. p. 51. ſq. poſt R. Salomonem Jarchium in *Sotae* cap. 3. §. 7, R. Eliezerem in *Pirke* cap. 38, & Eliam Levitam in *Thisbi* voce כות. Enim vero Extranaei hi, Ethnicique, (Iſraelitas etſi iiſdem poſt etiam immixtos, ex Tribuum nempe decem reliquiis, manſiſſe, quas in Aſſyriam translatas prorſus omnes haud fuiſſe haud obſcure patet ex II. Paralip. XXX. 9, & 25, & XXXIV. 33, queis ex locis, Joſepho juncto Antiq. lib. 10. cap. 5, Toſtatum, Riberam apud Torniellum p. 104, Morinum Exerc. I. in Pent. Sam. cap. 2. p. 15, Calmetium ad loc. cit. Paralip. &c. id inficiantes refellunt Maurinus Anonymus Nov. Elucid. de Sam. Orig. cap. I. p. 25. ſqq., Witzius de Decem Trib. cap. 3.

§.2. ſqq. p.258. ſqq., Carpzovius Crit. Sacr. Par. II. cap. 4. p. 588. &c.), Extranei, inquam, Ethnicique illi, ad quos perinde Iſraelitas alios Legis praevaricatores ex II. Eſd. xiii. tranſiiſſe liquet, ac refert Abraham Zacuthus in *Juchaſin* apud Lightfootum T.I. p. 464, a Sacerdote deinde Iſraelita, cui duos alios *Zachariam*, & *Doſitheum* Socios perperam adjungunt Judaei apud Morinum Exerc. 1. cap. 11; illum vero *Oziam* aliqui vocavere, *Sabiam* alii apud Lightfootum Oper. T. II. p. 585. *Eſdram* falſo S. Epiphanius Haer. VIII. n. 8, S. Johannes Damaſcenus de Haereſ. n. 9. Oper. T. I. edit. Lequiennii Ven. p. 78, & Nicetas Chon. Theſ. lib. 1. cap. 33; *Lunum* vero Eutychius apud Waltonum in Proleg. xi. n. 3. edit. Tigur. p. 364, ab Iſraelita Sacerdote, inquam, illo Samaritanos in Pentateucho, quem ſolum illos admittere teſtes accedunt Origenes contra Celſum lib. 1. n. 49. T.I. p. 365, S. Epiphanius Haer. ix. n. 2. p. 24, S. Joh. Chryſoſtomus Hom. 32. in Johan., Philaſtrius, Leontius, Euthymius Zygabenus, Nicephorus Conſtantinopolit., Nicetas Choniates, Paſchaſius Radber., Honorius Auguſt. in Bibl. PP., R. Benjamin in Itiner. p. 78. ſq., & apud Waltonum in Proleg. xi. n. 6. p. 366, & Conſtantinum L'Empereur p. 38. ſq., ipſique met in Epiſt. 1, & 2. ad Scaligerum Antiq. Eccl. Orient. edit. Lond. p. 119. ſqq., in Pentateucho, inquam, *Moyſis* edoctos fuiſſe diſcimus ex IV. Reg. xvii. 25. ſqq., fidemque nobis faciunt Joſephus lib. 9. cap. ult., R. Eliezer in פרקי *Pirke*, ideſt *Capitibus* cap. 38, S. Epiphanius loc. cit., Leontius Byzant., Nicephorus Conſtantinopolit., Euthymius Zygab., Michael Glycas &c., ex Recentioribus vero Dionyſius Charth., Toſtatus in IV. Reg. xvii. ſqq. 21, & 24, Leuſdenius in Philologo Hebraeo Mixto diſſert. 8. p. 62, Morinus Exerc. 1. in Pent. Samar. cap. 2. n. 8, Waltonus in Proleg. xi. n. 12. p. 371. ſq., Petrus Alixius Confid. in libros S. Scrip. Par. I. cap. 3. p. 14, Iſaacus Voſſius in Reſponſ. ad object. Richardi Simonii, Stephanus Morinus in epiſt. ad Antonium Wandalaeum, Dupinius in diſſert. Praelim. ad Bibl. lib. 1. cap. 5, Calmetius in Comm. ad IV. Reg. xvii. v. 32, Petitdidierus Diſsert. 4. p. 33, Maurinus Auctor Novar. Elucid. de Orig., & Pent. Samar. cap. 5. p. 59. ſq., & Joh. Gottlob Carpzovius in Critica Sacra Vet. Teſt. Par. II.

II. cap.4. p.596. ſqq,, ubi Lightfooti in Hor. Hebr. ad Joh. IV. 25. Oper. T.II. p.616. ſq., ac Baſnagii Hiſt. Jud. lib.2. cap.3. p.334. opinantium a Samaritanis, etſi non eodem, quo Pentateuchum, loco ſuo tamen alios etiam S. Scripturae libros Joſue, Judicum, Regum, & Chronicorum habitos fuiſse, argumenta diſsolvit. Quamquam alii a Sacerdote illo negant Pentateuchum adlatum fuiſse, etſi Samaritanos ab illo de Lege edoctos, ullo abſque Codice exarato, non inficientur, ſed Pentateuchum Samaritanis deſcriptum non fuiſse pugnant non niſi ex *Eſdrino*, veluti Guillelmus Eyrius in Epiſt. ad Uſserium, quem refellere Waltonus loc. cit. ſatagit; vel nonniſi poſtquam a *Manaſſe* Templum in Monte Garizim exſtructum eſt, ut Richardus Simonius in Crit. Vet. Teſt. lib.1. cap.10, & Humphridus Pridaeus Hiſt. Jud. ad An. 409. ante Chriſt. edit. Gall. T. II. p. 269; vel non niſi *Eſdrinum* Pentateuchi exemplar ad Samaritanos delatum, ut Wandalaeus in Epiſt. ad Morinum ad calcem diſsert. de Idololat. 2. edit., quos loco ſupra cit. Carpzovius exagitat; vel ex antiquo Pentateucho exemplar ſecum ab Iſraelitis in Captivitatem aſportatum, ſub qua exemplaria prorſus omnia periiſse negat, ipſum met fuiſse, velut Baſnagius veriquamſimillime ſcribit Hiſt. Jud. T.II. Par.I. lib.2. cap.11. §.5. ſqq. p.223. ſqq., quae opinio recidit in priorem receptam etiam Joh. Clerico, Verſeo, aliiſque Batavis in Judicio de Crit. Simon., communioremque: quod Exemplar videlicet e Judaea in Aſsyriam, inde ex Aſsyria in Samariam ab Iſraelita Sacerdote illo relatum fuerit. Qua demum in re fidem Samaritanis haud adhibendam Pentateuchum referentibus ſuum in Epiſt. ad Scaligerum ad *Abisham* Nepotem *Aharonis* anno 13. poſt ingreſsum in Palaeſtinam exaratum. Scripturam autem, qua Pentateuchus a Sacerdote Iſraelita Samaritanis exaratus traditus eſt, Judaeis vocatur *Hebraea*, & *Transfluvialis*, ideſt *Abrahamo* trajecto Euphrate e Chaldaea transfretato in Chanaam adhibita Joſue XXIV. 2, & *Libonaea*, ſive *Libanica*, quod veluti a Libani Incolis ſit, grandioribus litteris, quaſi Scalpro inciſis, conficeretur; de qua Raf Chaſda, R. Salomon, R. Azarias, R. Nathan &c. in Thalmude Cod. *Meghilla* cap. 1. fol. 8. col.1, in Tract. *Schabbas* cap.16.

cap.16.fol.15. col.2, in *Meor Ennajim*, in *Anach* &c., videndique Morinus loc. cit., Coquius in Cod. *Sanhedrin* cap.2.§.13. p. 186. ſqq,, Buxtorſius diſſert. 4. de Ling. Hebr. Antiq. §.50. ſq. p.219. ſqq., quo de argumento larga nobis alibi, Deo dante, agendum incumbet manu.

III. In Lege itaque Dei ab Iſraelita Sacerdote inſtructi Samaritani ita leguntur lib.IV. Reg.xvii.28.ſqq., quin attamen ab Idolorum cultu ſibi abſtinendum ducerent, adeoque ut, qui deſcenderant e *Babylone* Idolum ſibi fecerint *Socboth Benoth*, qui e *Cutha* fecerint ſibi Deum *Nergal*, qui de *Emath* Idolum *Aſimah*, qui ex *Avva* Deos *Nebahaz*, & *Tharthac*, qui de *Sepharvaim* Idola *Adramelech*, & *Anamelech*. Quae duo poſtrema Urbium fuiſſe nomina mirum eſt aeſtimaſſe Euſebium de Loc. Hebr. Oper. S. Hieron. T. II. edit. Pariſ. Martianaei p.407, Vallarſii T.III. p.161. Videndique Pſeudo Eucherius in Comm. Bibl. PP. Lugd. T.VI. p.1006, & Angelomus in Stromat. Bibl. PP. T.XV. p.405. Quae, & qualia porro Idola haec fuerint, indicare obiter praeſtat, operae praetium faciendo. *Sochot Benoth*, quod Latine poſſis ad verbum reddere, *Tabernacula Puellarum*, Sidus eſſe Caeleſte, quod *Gallinam* cum Pullis, Ruſtici Plejadas, ſeu Vergilias Aſtronomi vocant, conjiciunt Viri eruditi nonnulli. Nempe סֻכּוֹת *Socboth* Gallina Hebraeis eſt, בְּנוֹת *Benoth* Pullos indicari ſcribit David Kimchius in loc. cit. Reg., ideoque Babyloniorum Idolum fuiſſe Gallinam cum Pullis tradunt Thalmudici in Tract. *Sanedrin* cap 7. fol.63. b; quibus ſubſcribunt RR. Salomon Jarchius, Levi, Iſaac Abarbanel in IV. Reg.xvii. 28.ſqq. Inde *Gallina Pulvinaria* dicta Conſtellatio, quae vulgo *Plejades*, ſive *Vergiliae* dicuntur, viſa eſt Lyrano, Malvendae apud Polum in Synop. Crit. Sacr. T.I. p.676, & Harduino in Chron. Vet. Teſt. p.545. Nugae nugaciſſimae ſunt vero Bocharto in Hieroz. lib.1. cap.16. §.3. T.III. Oper. p.112, Polo loc. cit., Buddaeo Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Periodo II. ſect.4. p.528. ſq., &c., quibus non tam Idolum, quam Dearum aedicula a Babyloniis exſtructa videtur, ſive Puellarum Sacellum *Mylittae* Veneri dedicatum, ſeu *Ilythiae* Syris, *Alittae* dictae Arabibus, unde fieri potuit, ut *Venus* propagatrix, ſeu *Venus* cum proſtitutis ſub aſpectu *Gallinae* cum Pul-

Pullis exhiberetur: quae ſententia eſt veriſimilior Seldeni de Diis Syris Syntagm. II. cap. 27. ſq., Gerh. Joh. Voſſii de Idololat. lib. 2. cap. 22, Hugonis Grotii ad IV. Reg. XVII. 3, Urſini Anal. T. II. lib. 2. cap. 27, Beyeri p. 312. Addit. ad Selden., Petri Juriaei Hiſt. Crit. Dogm. Par. IV. cap. 7. p. 690. ſqq., Baſnagii Hiſt. Jud. T. II. Par. I. lib. 2. cap. 12. p. 260. ſqq., Leuſdenii Phil. Hebr. Mix. diſſert. 43. p. 323. ſq., Calmetii Dict. Bibl. T. II. edit. Ven. p. 334. *Nergal* נֵרְגַל Idolum in forma *Gallinae* Sylveſtris fuiſſe cultum fabulantur Thalmudici, ac Rabbini loc. cit., queis adhaerent Seduna Gazenſis, Kircherus, & Buxtorfius in Lex. Talm. *Ignis* perennis in Septis religioſe ſervatus in honorem *Solis* videtur Seldeno, Beyero, Leuſdenio, Buddeo, Calmetio &c., ſiquidem ניר Hebraice *Ignis*, ſive *Lucerna*, & גלאט *Galab* a גל *Gal Revelavit* ſignificetur, inde *Solis*, aut *Ignis* cultum deſignatum fuiſſe pronum eſt putare. Utramque amplexus opinionem Hottingerus *Nergal* Samaritice Idolum fuiſſe *Solis*, aut *Ignis* ſub figura *Galli* cenſet. A *Palma* dicta Arabibus, Indiſque *Nergil*, hoc vocatum Perſis Idolum ſuſpicatur Bochartus Hieroz. Par. II. lib. 1. cap. 16. p. 113, & poſt ipſum Polus p. 676, ſicut in Syria *Rimmon* a Malis Punicis IV. Reg. V. 18, & a Frumento *Dagon*. Sed enim Aſſyria, non Arabica *Nergil* nomenclatio heic eſt, eoque ideo nomine, non *Palma*, ſed *Ignis* potius, aut *Sol* Perſis in honore quammaxime habitus deſignatus videtur. *Aſima* אשימא, ſive *Mendes* in forma *Hirci* glabri, abſque vellere, depingi ſolet Thalmudicis in Tract. *Sanbedrin* loc. cit., in *Baalaruch* Kimchio, R. Salomoni Jarchio in IV. Reg. cit. cap. 17, Kirchero in Pantheo, Druſio in Gen. I. 1. Videndique Chriſtoph. Schultzius in diſſert. de *Aſima* Witemb. 1722, & Leuſdenius in Philologo Hebraeo Mixto diſſert. 43. p. 320. In forma *Simiae* magis Eliae Levitae Thalm. Hieroſ. in *Tbisbi* voce אשמאי; quod fabuloſum putant Bochartus Hieroz. lib. 2. cap. 53. Oper. T. I. p. 649, & Fourmontius Reflex. Crit. T. I. lib. 2. ſect. 4. p. 323. *Satyri* effigies viſa eſt Grotio; aliis *Panis*, qualis Poëtis exhibetur, videnduſque Iſajas XXXIV. 14; aliiſque levi facta tranſpoſitione אש שמיא *Ignis Caeli*, aut אש יומא *Ignis Diurnus* viſus eſt, ut illud itidem ſit aut *Sol*, aut *Ignis* Hemathaeis in

hono

honore habitus. *Nebahaz* נִבְחַז *Canis* exhiberi Simulacrum creditur Judaeis in Thalm. loc. cit., ac Rabbinis apud Vatablum, praeſertim in Thalm. Hieroſ. Tract. *Avoda Sara* cap. 3. fol. 42. b, & in Thalm. Babyl. Tract. *Sanhedrin* fol. 63. col. 2, & in *Gemara* fol. 113. col. 2, item RR. Salomoni Jarchio, Davidi Kimchio, & Samueli Eliezeri, & Abarbaneli ad cit. loc. Reg., & ad cit. loc. *Sanhedrin*. Iis adhaerent vero Kircherus Panth. Heb. ſyntag. 4. cap. 20. p. 370, Bochartus Hieroz. Par. I. lib. 2. cap. 55. T. I. p. 665, Seldenus de Diis Syr. Syntag. 2. cap. 9, & Beyerus in Addit. p. 321, Leuſdenius in Philolog. Hebr. Mixto diſſert. 43. p. 323, praeſertim vero Ickenius in diſſert. Philol. Theolog. diſſert. 11. §. 15. ſqq. p. 160. ſqq. multis id ſuadere conatus. Atque is ſane *Anubis* Latrator dicitur Virgilio Aen. 8. v. 698. *Omnigenumque Deum Monſtra*, & *Latrator Anubis*, ac notatus eſt Servio, *Mercurius* etiam dictus. Et certe Aegyptios conſecraſſe Canes conſtat: *Oppida tota Canem venerantur*, inquit Juvenalis Satyr. XV. v. 7. ſq. Chaldaeis etiam *Solis* imago non abſque *Canis* hieroglyphico exprimi ex Zoroaſtris diſciplina ſolebat. *Arietis*, ſive *Satyri* aliis figura, aut *Panis*, qualis cum Caprina facie, pedibuſque Horatio Carm. lib. 2. ode 19. v. 1. ſqq. *Et Aures Capripedum Satyrorum acutas*, deſcribi magis placuit. Ad *Solem* autem ſeu *Ignem* eadem נבחז vox a Petro Juriaeo Hiſt. Dogm. Caerem. Par. IV. cap. 9. refertur, quod פחז *Rapiditas* indicetur *Solis*, atque *Ignis* propria.

IV. Eamdem voci תרתק *Thartach* ineſſe vim, ut Chaldaice *Solis Currus*, qualis Poetis, ac praeſertim Ovidio Metam. lib. 2. v. 47. deſcribitur, utique deſignetur, putant aliqui apud Petrum Juriaeum p. 658, & Buddeum p. 530. Judaeis loc. cit. *Aſini* figuram refert, quod probatur Kirchero, ac Leuſdenio, parum veri ſimiliter: quippe *Thartack* vox eſt Hebraeo aliena, verius Arabica. Calmetio confunditur cum *Sar*, Hebraice *Princeps*, & *Sak Numen* aliquod, unde *Sacaea* feſta memorata Athenaeo lib. 14. cap. 10, & Dioni Chryſoſt. orat. 4. de Regno. Sed incertum adhuc manet, quale iſtud fuerit Numen. Forte תרעתא *Tirgata* Thalmudiſtis vocata eſt *Atergatis* Dea, quae in Urbe Mambeg, Graecis Hierapoli, coli ſolebat; quae ipſamet eſt *Aſtarte* Phoenicum, ſive *Venus* Syrorum

rorum ſuperiora Mulieris habens, inferiora Piſcis: cum qua confundi a RR. Salomone, & Kimchio *Dagonem*, quaſi *Atergatis* corrupte ſit אדיר דג *Addir Dag*, hoc eſt *Magnificus Piſcis*, diſtinguendam vero a *Dagone* ex Philone Byblio obſervat Bochartus in Hieroz. lib. 1. cap. 6. Oper. T. I. p. 44. Cum *Dagone* Philiſtinorum confunditur ab aliquibus etiam *Dercetus*, ita Cteſiae Aſsyriorum Deus alter denominatus. Verius *Dercetus* Aſcalone eadem, atque *Dea Syra* Hierapoli, *Aſtartes* in Phoenice, *Juno* Graecis, ac *Venus* Aſsyriis culta, viſa eſt Anglis Scriptoribus Hiſt. Univ. T.IX. Par.I. cap.8. p.208. ſq., & Par.II. cap.9. p.208. ſqq.; conferenduſque Leuſdenius in Philologo Hebraeo Mixto diſsert. 45. p.334. ſq., ubi עשתרה *Aſtarot* deſignari *Gregem* obſervat, colique ſub *Ovis* imagine Sidoniis *Venerem*, juxta Ciceronem de Nat. Deor. lib.3, *Lunam* ideſt, juxta Lucianum de Dea Syra, junctis Philone, Herodiano &c., conſueviſse. *Tartac* Bayero eſt *Mars*, Seldeno idem ac *Nabahaz*, ſed minus ſane vere *Adramalech*, & *Anamalech* figura *Muli*, & *Equi* Judaeis in Thalm. Babyl. Tract. *Sanhedrin* cap.7. fol.63. b, & apud Polum Synop. Crit. T.I. p. 677. exprimi ſolent. Judaeis e contra in Thalm. Hieroſolym. Tract. de *Idololatria*, & Davidi Kimchio in cit. loc. Reg. *Pavonis*, aut *Phaſiani*, aut *Coturnicis* potius eſt effigies apud Polum ibid., & Bochartum in Hieroz. lib.1. cap.16. n. 5. T.III. p. 109. Inde Calmetio in Dict. p.334. ipſamet *Juno*, in Pavone, aut Phaſiano, expreſsa viſa eſt. Verius Grotio, Kirchero Oedip. Par. I. Panth. cap. 15. p. 328, ac Leuſdenio *Moloch* Ammonitarum, ſive *Saturnus* Phoenicum, cui filios immolari conſueviſse refert Diodorus lib. 20. p. 664, ſive *Jovis Stella* exiſtimatur. Pro *Marte* vero pronuntiat R. Levi ben Gerſom. in Levit. XVIII. 24, Deum *Ignis* creditum cum *Moloch* referens. Sed enim Baſnagius Antiq. Jud. T. I. p. 194. duorum fuiſse Regum nomina opinatus eſt, adeo ut Regis unius *Magnifici* nomen ſit *Adramalech*, Regis alterius *Pii* ſit cognomen *Anamalech*. Sed eòdem Baſnagii opinio haec recidit, quo prior de Idolo *Moloch*, Eruditis receptior, poſita eſt. Quod Ammonitis *Moloch*, Syris *Molech*, Chaldaeis *Malech*, diverſam juxta Dialectum, Hebraeis *Melech* eſse מֶלֶךְ *Regem*

vel Apirocalis, aereque necdum lavatis notum eſt. Nam Hebraicum *Kametz* ' Orientalibus non per A. clarum, ſed per A obſcurum, & cum E, vel O mixtum efferri ſolet: unde Syris, & Graecis, ut *Dſekopo*, ſeu O pronuntiari ſolet; Perſis ut Ω, quibus ideo Αμανος Numen Ωμανος vocatur apud Strabonem lib. 11. in Cod. MSſ. teſte Caſaubono; Aegyptiis ut Ου, queis ideo *Aquam*, Hebraeis מַיִם *Maim* vocatam, Μῶυ Μου denominari notat Philo de vita Moyſis lib. 2, unde & in Targo Jonathae Exod. 11. 10. Aegyptiaca *Aquae* מוֹי *Moi* vox retinetur, e qua *Moyſi* nempe in Aegypto inditum nomen eſt: Aegyptiacum nempe, uti Ludovicus Picqueſius adnotat in Epiſt. ad Jaquelotium apud Crozaeum in Not. Var. p. 300. Hebraice מוֹשֶׁה מְשִׁיתִי *Ex Aqua Salvatus*, Graece Μω *Aqua*, & υσης *Salvatus*, unde Hebraice מֹשֶׁה *Moſab*, Graece Μουσι. Vocibus autem אדיר *Adar* ſignificari *Potens*, & ענה deſignari *Benignus* obſervatum eſt Gerh. Joh. Voſſio de Idolol. lib. 2. cap. 5, Auguſt. Pfeiffero in Dub. Vexat. Cent. III. loco IV. p. 450, Petro Juriaeo Hiſt. Crit. Dogm. Par. IV. cap. 2. p. 576, & Buddeo Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Par. II. Sect. IV. p. 529. Utroque itaque nomine *Adramalech*, & *Anamalech* idem Idolum *Moloch* qua *Potens*, & qua *Pium* indicari patet. Jam vero *Moloch* indiſtinctum a *Baale* Numen habitum indicat Hieremias XXXII. 35; eoque nomine cujuſque genus Numen indiſcriminatim deſignatum autumat Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. lib. 2. cap. 13. edit. Pfaffii T. I. p. 360. ſq.; *Martem* venire cum *Typhone*, & *Mithra* quandoque confuſum opinatur Kircherus Oedip. Aegypt. Syntag. 4. cap. 15, Leuſdenius diſsert. 43. p. 316; *Venerem* S. Cyrillus Alex. in Amos V. 25, Oecumenius, & Theophylactus in Acta; *Mercurium* Arias Montanus in Amos 1; *Hamilcam* Carthaginenſium, vulgo *Saturnum* Phoenicum Vatablus, Mariana, aliique apud Toſtatum, Bonfrerius, & Grotius in Deuter. XVIII. 10, Seldenus de Diis Syris Syntag. I. p. 6; *Solem* Voſſius de Orig. & progr. Idol. lib. 2. cap. 5, qui & capp. 4, 11, & 13. p. 165. ſqq., & 185. ſqq. ad *Saturnum* referri, ex Macrobio vero Saturn. lib. 1. capp. 22. ſq. tam *Saturnum*, quam *Jovem* eumdem cum Aſsyriorum *Adad*, & cum Latinorum *Sole* oſtendere pergit. Ad *Solem* item *Adramalech*,

& *Ana-*

& *Anamalech* referendos cenſet Braunius in Select. Sacr. lib.4. cap.8.p.109.ſq., & 456. ſq., Ovvenus Theologum. lib.5. cap.7. p.348.ſqq., Goodowinus Antiq. Sacr. Cod. lib.4. cap.2. p.86. ſq., eumdem qui *Sol*, & *Jupiter*, & *Saturnus*, eſſe *Baal, Moloch*, *Adramalech*, & *Anamalech* ex Euſebio Praep. Evang. lib.1. cap.7, S. Auguſtino in Jud. q.16, Platone in *Phoedro*, & Servio ad Aen.I. colligens, Carpzovius in Adnot. ad hunc loc. p.482. ſq.; Aſſemanus Bibl. Orient. T.I.p.327. qui Latinis *Jupiter*, hunc *Beelſemim* Syris dici notans; Buddaeus Hiſt.Eccl. Vet. Teſt. Par.II. ſect.1. p.610. ſqq., Calmetius in Diſſert. de Moloch edit. Ven. T.I. p.62. ſqq. &c.

V. Enim vero *Solis*, & *Lunae* Numina Ethnicis diverſis aliis deſignata nominibus ſemper eadem veniſſe Viris doctis jamdiu obſervatum eſt. Ita *Saturnus* Aſſyriis a *Sole*, atque *Juno* a *Luna* indiſtincti erant Servio notante ad Aen.I, adeo ut Punicus *Baal* nec ab Aſſyrio *Beel*, nec a *Saturno* Phoenicum, nec a Perſico *Mithra*, nec a Carthaginenſium *Hamilca*, nec a Gracco *Helios*, nec ab *Ilo* Phoenicum, ſive Latino *Sole*, ac *Saturno* diſtinctus ſit, teſte etiam Macrobio Saturn. lib.1. cap. 23. Nec alia erant Numina Aegyptiorum, apud Nicol. Calliachium Diſſert. de Oſirid. Antiq. Suppl. Poleni T.IV. p.310.ſqq. ſub *Oſiridis*, & *Iſidis*, & *Ammonis* nomine, quam quae *Nerval*, & *Niſroch* Ninivitis, *Nebo*, & *Sabach* Babyloniis, Phoenicibus *Sol*, & *Luna*, hoc eſt *Baal*, & *Aſtartes*, Graecis, Latiniſque *Sol*, *Chronus*, *Juno*, *Venus*, *Urania*, Chaldaeis, Syriſque *Baalſamin*, *Atergates*, Azotiis *Dagon*, ut aliquibus videtur, Moabitis, & Madianitis *Chamos*, quod *Beelphegor*, & Ammonitis *Moloch*, quod *Rempham* Amos v.25.ſq., & Actor. VII. 43, de quo Hammondus in Act. loc. cit., Ludovicus de Dieu ibid., Heinſius Exerc. Sacr. lib.5. cap. 4. p. 262, idem quod Sinenſibus *Kiun*, ſive *Ki*, Hebraeis, & Chaldaeis כיון *Chevan* Amoſi loc. cit., Coptis *Cheres*, ut ex Eratoſthene notat Mullerus in Gloſſar. Sacr. p.32, *Saturnus* R. Abenezrae, & Davidi Kimchio ibid., S.Hieronymo &c. Ita qui *Vulcanus*, Aegyptiis *Phthas*, Phoenicibus *Chryſor*, quae *Minerva* Graecis, Aegyptiis *Neitha*, qui Latinis *Sol*, & *Luna*, *Saturnus*, & *Bacchus*, *Juno*, & *Venus*, iidem Arabibus *Urotal*, ſive *Artavil*,

vil, Hebraice *Ur-el*, ſeu *Orot-el*; item *Allat*, *Ozza*, & *Zobara* Arabibus, quae Aſſyriis *Militta*, quae *Diana*, Hebraeis *Lilith*, quae Graecis *Aphrodites*, Latinis *Venus*, Perſis *Mader*, ſeu *Mithra*, Syris *Mauladtha*, ideſt *Genitrix*: qua de re plura Bochartus Geograph. Sacr. lib. 2. cap. 19. Oper. T. II. p. 109. ſq., Golius in Alfraganum p.62, & 82, Seldenus de Diis Syris ſyntag.1. cap.5. ſq., & ſyntag.2. cap.1. ſq., Joſephus Simonius Aſſemanus in Supplem. ad Chron. Orient. diſſert.iv, de Arabum Orig., & Relig. §.xv. ſq. edit. Ven. Hiſt. Byzant. T.XVII. p.248. ſq., De Origny in Aegypto Veteri T.II. cap. 10. p.37. ſqq., cap.15. p.289, ſqq., & cap. 21. p. 295. ſqq. Ita qui Phoenicibus *Baalſamen*, ideſt *Sol* idem ipſis, ac Palmyrenis erat *Agul-Baal*, & *Malach-Baal*, ideſt *Rex*, & *Deus Orbicularis*, de quo Thomas Hyde de Relig. Perſ. p.116., Seldenus de Diis Syr. ſyntag.2. cap.1. p.220, ubi Inſcriptionem Palmyrenam ex Hortis Farneſianis deſcriptam exhibet, Sam. Petitus Var. Lect. cap.1, & Abb. Baſſus Baſſi in Not. ad Bannier Mytholog. edit. Neap. T.II. lib. 2. cap. 1. p. 277. ſq., & cap.2. p.304. ſq. Ita a *Sole*, aut *Luna*, diverſas juxta diverſarum Gentium Dialectos, aut Deorum officia diverſa, diverſumque apud Gentes cultus genus, indiſtinctos putare fas eſt Deos Phoenicum Μελκάθαρον, & Οὔσωρον *Melchatarum*, ſive *Melichartum*, & *Uſorum*, ſive *Uſoum* Caeli filios, aut Nepotes apud Euſebium Praep. Evang. lib.1. cap.10, & Orat. de Laud. Conſtantini T.I. edit. Taur. p.690; Arabum Δύσαριν, & Ὄβδον, ſeu Ὀβόδαν, *Duſarum*, & *Obodam*, unde Arabum Reges multi *Obodae* denominati, apud Euſebium Orat. cit., Tertullianum ad Nation. lib.2. cap.8, Uranium Antiq. Arabic. lib.4, Stephanum V. Ὄβοδα, & V. Δυσάριοι, quo nomine *Bacchum*, ſive *Solem* deſignatum tradit Iſidorus apud Heſychium. Sic & qui Heſychio Ἀβωβᾶς, Aegyptiis fuit *Oſiris*, Latinis *Sol*, Bybliis, & Phoenicibus *Adon*, Graecis *Dodon*, mutato, ut frequens eſt, *Kametz*, & *Alpha* in *Segol*, aut *Kametz Katuph*, vel in *Heta*, aut *Omicron*, ac praepoſito de more ד *Daleth* praefixo: qua de re Triglandus in Conjectaneis de Didone cap.1. Antiq. Graec. T.VII. edit. Ven. p.321. ſqq.

VI. Nec alter ſane, niſi *Sol* ſub nomine intelligendus *Jari-*

Digitized by Google

Jariboli, *Madbachi*, & *Selamanis* Numinum Berrhoenſibus olim cultorum, de quibus Auctores Ephem. Trevolt. an. 1704. 1. p. 245. ſq., Sellerus in Antiq. Palmyr., Braunius Select. Sacr. lib. 5. cap. 7, qui *Jaribolum* interpretatur *Deum Fontium*, verius *Fontem Lucis*, ut Huetius, qui Diſſert. xv. ad Cuperum Opuſc. T. II. edit. Florent. p. 97. ſqq. *Madbachum*, & *Selamanem*, prout in Inſcriptione ex Urbe Aleppo tranſmiſſa ad Cuperum leguntur, a *Jove*, ſive a *Sole* utrumque indiſtinctum arguit, ex nomine vero Sacrificii Deo reddi ſolito, Hebraeis זבח dicto, דבח Chaldaeis, & Syris *Debach*; Arabibus *Debacha*, ſive ex nomine Arae Sacrificii Hebraeis מזבח *Mizbeach*, Chaldaeis, ac Syris מדבח *Madbach*, Arabibus *Madbachon*, ortum Palmyrenorum *Madbachum* exiſtimat, ex nomine vero *Pacificorum*, quod eſt שלמים prodjiſſe *Selamanem* putat. Neque hinc procul abſuit Cuperus in Epiſt. 5. ad Joh. Cleric. Lett. Crit. &c. p. 350. utrumque Γαμηλίȣς Θεȣς, Conjuges ideſt Deos eſſe *Madbachum*, & *Selamanem*, ex verbo דבק *Dabak*, quod de Viri cum Uxore conjunctione uſurpari ſolet; ſive verius unum, eumdemque *Pacis*, ſive *Concordiae* Deum eſſe auguratus. Ab hiſce quoque nihil differre opinor Palmyrenorum Deos *Agribolum*, & *Malachbelum*, quales leguntur in Inſcriptione Palmyrena olim in Hortis Farneſianis Romae extante, ac dein in Villa Juſtinianaea reperta apud Seldenum de Diis Syris ſyntag. 2. cap. 1, Spencerum de Legib. Hebr. Ritual. T. I. lib. 2. cap. 13. p. 362, Reinſerdum in Epiſt. ad Cuperum, & Blanchinium Opuſc. T. I. p. 69. ſqq. Ut vero *Sol* Perſis ſub *Mithrae* nomine, *El* item teſte S. Iſidoro Orig. lib. 14. cap. 3, cultus fuit, de quo Hyde de Relig. Vet. Perſar. cap. 4, Henr. Lord de Relig. Perſar., Barnabas Briſſonius de Regno Perſar. lib. 2. §. 3. ſqq. p. 512. ſqq., idipſum de *Sole* Parthis, ac Meſſagetis eximie culto multis comprobans, Franc. Ferdin. Schroetter de Juriſp. Vet. Perſ. cap. 2. de Veter. Perſ. Diis, ſic ſub nomine *Oſiridis*, vel *Phre*, vel *On* Aegyptiis oſtendit Jablonskius in Pantheo Aegyp. lib. 2. cap. 1. p. 122. ſqq.; ſub nomine *Jariboli* Palmyrenis, originiſque eſſe Hebraicae, eumdemque ac *Belum* in honore habitum arguit Huetius in Epiſt. ad Cuperum Opuſc. T. II. p. 219. ſq.; ſic a *Sole* indiſtincti *Marnas* Palaeſtinorum,

norum, de quo Noriſius de Epoch. Syro Mac. diſſert. 5. cap. 3. p. 517. ſqq., & Sellerus Antiq. Palmyr. cap. 3, *Attis* Phrygum teſtibus Arnobio lib. 5. in fin., & Macrobio lib. 1. cap. 21, *Apollo* Graecorum, velut ex Heraclide in Allegoriis Homeri p. 97. ſq., & 454, Servio in Ecgl. 5. v. 66, Antholog. lib. 1. cap. 38. oſtendit Huetius in Diſſert. IX. Opuſc. T. I. p. 434. ſqq., *Tyrimnus* a Thyatiris cultus apud Sponium in Miſcell. Antiq. Graec. T. VII. p. 256, *Mercurius*, *Tillinus* apud Roſſium in Antiq. Brixiae Monum., *Bacchus*, & *Hercules*, *Belus* &c., de quibus Braunius Select. Sacr. lib. 4, Voſſius de Idolol. lib. 2, Cuperus in Harpocrate, Sponius in Miſcell. p. 87. ſq., & in libro Gallico *Recherches des Antiquitez*, Joh. Franc. Grandis in Diſſert. de Var. Dei nominibus Soli attributis, Hieron. Aleander in Expoſit. Tab. Heliacae Antiq. Roman. T. V. edit. Ven. p. 706. ſqq., Chauſſaeus in Deorum Simulacris eod. Tomo p. 769. ſqq. Sic etiam *Luna* variis apud varias Gentes eadem nominibus deſignata intelligitur, Αἰδῶ, *Alilath*, *Anubis*, de qua Chauſſaeus loc. cit. p. 789. ſq., & Petrus Faber Semeſtrium lib. 3, *Bubaſtis*, *Cybele*, *Ceres*, *Diana*, *Eilithya*, *Mah*, vel *Camar* apud Herbolotum Bibl. Orient. p. 248, *Cubar* כבאר, *Venus*, *Hilal*, de qua Bochartus in Phaleg lib. 2. cap. 19. Oper. T. II. p. 109. ſq., *Hecate*, *Idaea*, Τρίμορφος, *Bellona*, *Proſerpina*, *Ceres*, Apulejo teſte in Aſino Aur., *Mana*, *Rhamnuſia*, Πανος, apud Nicaſium in Diſſert. de Nummo Pantheo Hadriani, *Ceres*, *Veſta*, *Minerva* apud Spanhemium de Veſta, & Prytan. Antiq. Roman. T. V. edit. Ven. p. 660. ſqq. Quò ſpectare perinde ad *Solem*, & *Lunam* putandi ſunt veterum Germanorum Dii *Thorus*, *Jodutta*, *Crodo*, *Buſterus*, de quibus Wielandus in ſpeciali Diſſert., Tollius in Epiſt. Itinerariis &c.; Veterum Gallorum Dii *Hogmius*, *Eudovelicus*, *Vintius*, *Moritaſgus*, *Heſus*, *Belenus*, *Tharamim*, *Dulovius*, *Nemauſus*, apud Reineſium in Exercit., & Graevium in Syntagm. Var. Diſſert., & Inſcript. Vet. Claſs. I., ac Sponium in Miſcell. Erud. Antiq. T. VII. Antiq. Graec. edit. Ven. p. 240. ſqq., Thomaſium in diſſert. 52, & Bochartum in Phaleg lib. 1. cap. 42. T. II. p. 660. ſqq. Noricorum *Tibilenus*, de quo Tertullianus Apolog. cap. 23, *Stuſio* apud Vollandum in Diſſert. de Sacris Mulhuſinis, *Flinſius*,

ſius, de quo Peccenſtenius in Theatro Saxonico Par.III. p.79, *Svante vitzius* apud Aepinum in Schediaſmate de Meclemburg. converſione; Pruſſorum Dii *Percunus*, *Picollus*, *Potrimpus*, *Curcho*, *Perdoytus*, *Wurſchaitus*, *Iſchvvambratus*, *Barſtrukus*, *Marcopetus*, de quibus Hartknochius in Veteri, & Nov. Pruſſia Par.I. cap.9; Danorum *Odinus*, *Wodanus*, *Fria* &c. apud Scheferum in Upſalia Antiq. cap.5. ſq., de quibus aliiſque plura dabunt Villalpandus ad Ezech. T.I. p.123, Chaevraeus de Diis Gent. T.I. p.395. ſqq., Calmetius de Diis Philiſt., Moinius in Var. Sacr. p.622, Philippus a Turre in Mon. Vet. Antii, Fabricius Bibliog. Antiq. cap.8. p. 249. ſqq., longeque plures apud ipſum. Recolenda, ſi placet, quae fuſiori Volum.II. Art.I. de Menſ., & Annis Aegypt. &c. §.xxv. ſqq. perſequuti calamo ſumus.

VII. Odio pluſquam vatiniano ex Religionis diſparitate Judaeos inter, & Samaritanos primum exorto fovendo, augendoque plurimum ſubinde contulit invidiae flamma ex Templi, Urbiſque reaedificatione concepta, quam Hieroſolymis impedire ſub *Zorobabele* Duce, & *Joſue* Pontifice conatu omni Samaritani tentarunt, uti liquet ex I. Eſdrae iv.1.ſqq., & v.3. ſqq., II.Eſd. 11.10. ſqq., iv.1.ſqq., & vi.1.ſqq. Quam ob cauſſam ab *Eſdra*, *Zorobabele*, & *Joſue* gravi Samaritanos Excommunicationis jaculo fuiſſe perculſos refert R. Eliezer in פרקי *Pirke* cap.38, ejuſque forma extat in *Tanchuma* fol.17. col.4, de eaque videndi Druſius de Tribus Sectis Jud. lib.3. cap.11. p.135, ac Buxtorfius Epiſt. Hebr. p.59; quod ratum fuit Sigonio de Republ. Hebr. lib.1. cap.3, Goodvvino Antiq. Sacr. Cod. lib.1. cap. 11. §.13. p.30, Witzio de Decem Trib. Iſrael. cap.3.§.19. p.264, Baſnagio Hiſt. Jud. lib.2. cap.5. n.1. p.87. ſq., Lightfooto in Harm. quat. Evang. Par.III. T.I. p.482. ſq., Hottingero de Samar. in Append.II. §.8. p.409. ſq., Carpzovio in Annot. ad Goodvvini loc. cit. p.213. ſq., & in Crit. Sacr. Par.II. cap.4. p.590; contra vero fabulis deputandam R. Eliezeris narrationem hancce volunt Pridaeus Hiſt. Jud. Par.I. T.II. lib.6. edit. Ven. p.358., Maurinus Anonymus in Nov. Elucid. de Orig. Samar. cap.2. p.35. ſq., videnduſque Vorſtius in Animad. ad *Pirke* R. Eliezeris p.226. ſqq. Multo vero

vero magis invidiam, odiumque auxit Templi alterius in Monte *Garizim* aedificatio Samaritanis inde ſuſcepta. Scilicet *Sanaballatus*, (qui non ille fuiſse *Horonita* ſub *Artaxerſe Longimano* Samariae praepoſitus, ſed cognominis *Cuthaeus*, ſucceſsor *Bagoſae*, ac ſub *Dario Codomanno* Samariae Satrapa videtur Petavio Doct. Temp. lib. 12. cap. 25, Iſac. Capello Hiſt. Sac., & Exot. ad An.M. 3366, Huetio Demonſ. Evang. Prop.IV. §.4.edit.Ven.T.I.p.228, & Witzio de Decem Trib.Iſr. cap.3. §.8. p.259.), *Sanaballatus*, inquam, a *Dario Codomanno* primum, atque deinde ab *Alexandro M.* facultate impetrata, in Monte Garizim Templum exſtruxerat, quod Hieroſolymitano Judaeorum objiceret, Pontifice M. eidem praefecto genero ſuo *Manaſſe*: cui ſocios *Buithonum*, & *Tſadocum* Sacerdotes fuiſſe adjunctos pro ingenio, moreque fabulantur Thalmudici, Rambam in *Avoth* cap.1, Nathan ibid. cap.5., in *Aruch*, Zacuthus in *Juchaſin* fol.15; quibus fidem adhibuit Lightfootus in Hor. Hebr. ad Acta Apoſt. cap. 23. v. 8. p.737. ſq.; inficias ivit David Gantzius in *Tzemach David* p.61; falſum id oſtendit Baſnagius Hiſt. Jud. T.I. Par.II. cap.6. §.1. p.108. ſq., quo de Templo ſane, qui plura ſcire deſideret, praeſto erunt Joſephus Antiq. lib.11. cap.8, Joſephus Gorionides lib.2. cap.8, & lib.4. cap.4, Benjamin Tudel. Itiner. p.39. edit. Conſt. L'Empereur, Barat.T.I. cap.8. p.77. ſqq., Zachutus in *Juchaſim* fol. 14. col.1, Abenezra in Eſth.1, Goodvvinus Antiq. Sacr. Cod. lib.1. cap.11. §.16. p.30. ſq., Carpzovius in Annot. ibid. p.212. ſq., Lightfootus in Harm.Evang.Par.III. ſect.16. Joh. cap.4. v.9. p.462. ſqq. Oper. T.I, & in Diſq.Chorog. ad Joh. cap.4. §.3. T.II. p.586, Relandus in Diſsert. Miſcell. diſsert.3, Witzius de Decem Trib. Iſr. cap. 3. p. 259. &c. Idvero praecipuae in cauſsa fuit invidiae, cur a Judaeis calumniis appeterentur innumeris Samaritani; inter quas *Zingari* ab illis progeniti quoque feruntur apud Eliam Levitam in *Thisbi* voce כות, & Davidem de Pomis in Lex. V. צמח דוד: quod ab ipſis tamen opprobrium amotum, dilutumque videre licet a Morino Exerc.1. in Pent. Samar. cap.5. p.71. ſqq., ab Hottingero Exercit. Anti-Morin. §.15. ſqq., & §.29. ſqq., a Waltono Proleg.XI. §.7. p.367, & a Baſnagio Hiſt. Jud. T.II. Par.I.

Digitized by Google

Par.1. cap.4. p.84. Templum jam vero illud a *Manaſſe*, *Jaddi* Pontificis Jud. Fratre anno 2. Olymp. 111. exſtructum fuiſſe ſcribit Euſebius in Chron. Oper. S. Hieron. T.VIII. p.531; pejus vero ſuperiori proxime anno Templum iſtud aedificatum pugnat Scaliger in Not., huncque *Manaſſem* fuiſſe *Sanaballati* generum ejus, qui Nehem. cap. ult. v.28. memoratur. Quod poſtremum a vero non abhorrere putat etiam Vallarſius ibid. in Not., ita tamen, ut *Sanaballatus* ille *Manaſſis* ſocer, quo de Nehemias loquitur, ad *Darii Nothi* tempora, non ad *Darii Codomanni*, uti Joſepho, ipſumque ſequutis Euſebio, & Scaligero viſum eſt, ſit referendus; ideoque Templum etiam illud aedificatum ſub *Darii Nothi* aetate fuerit. E contrario Baſnagius Hiſt. Jud. lib.2. cap.5. §.3. p.89. ſq., Joſephum & ipſe ſequutus, annis 5, aut 6. ſerius Templum illud aedificatum fuiſſe contendit, ſub *Alexandro M.* nempe, cujus partes ſiquidem in obſidione Tyri *Sanaballatus* egregie adjuviſſet, Templi perinde conſtruendi facile ab ipſo facultatem impetraſſe refertur Joſepho Antiq. Jud. lib.11. cap.8. Templum illud denique, poſtquam annis 200. circiter ſtetiſſet, una cum Urbe funditus ab *Hircano* dirutum eſt: qua de re Joſephus loc. cit., David Gantzius in *Tzemach David* p.26, & Zacuthus in *Juchaſin* fol.14. col.1. Inſtauratum denuo ab *Herode*, ſub *Trajano* deſtructum, iterumque reſtitutum, ſub *Zenone* demum everſum funditus eſt. Sub Syris ab *Antiocho Epiphane* Templum alterum eodem in Monte *Jovi* aedificatum tradit Euſebius in Chron. p.569. ad Olymp.153. annum 2, oſtenditque Nummus Cimeliarchii Reginae Svecor., apud Baſnagium Hiſt. Jud. T.II. Par.I. lib.2. cap.1. p.14. ſq. inſcriptus Αυρ. Φλ. Νεαπολεως Σαμ., in quo Mons, inque Montis vertice Templum viſitur ſcalptum, legenduſque Nummus *Aurelia Flavia Neapolis Samariae* verius Baſnagio, & Spanhemio de Praeſt. Num. diſſert.9. p.771. viſus eſt, non vero *Phaneas*, ſive *Paneas*, uti nonnullis perſuaſum fuit. A *Zenone* demum Imp., Samaritanis exterminatis, eodem in Montis cacumine Templum *B. Virgini* exſtructum eſt, a *Juſtiniano* dein inſtauratum, ac Chriſtianis divinis celebrandum officiis traditum refert Procopius de Aedif. Juſtiniani lib.5. cap.7. Byzant. T.II. p.104. ſq. edit. Ven. p.465. ſq. Con-

fer & Du Cangium in Not. ad Chronicon Paſch. edit. Pariſ. p.585, Ven. p.520. ſq.; atque Baratierium in Not. ad Benjamini Itiner. T.I. cap.8. p.78. ſq., quo loci poſt Relandum ex Theophane in Chronog., Procopio Anecd. p.35, & de Aedif. Juſtin. lib.5. cap.7, Cyrillo Scythop. in vita S. Sabae &c., varia Samaritanos fata ſubjiſſe advertit, ſub *Zenone* Imp. Chriſti anno 484, ac ſub *Juſtiniano* anno 520. non utique, bene vero 530, atque 548. e Monte *Garizim* expulſos, ingentique adfectos clade. Obiter ad haec obſervandum Montem Garizim apud nonnullos adpellari *Hargarizim*, ut apud Photium Cod. 242. p.1055; vel *Arparizim*, ut apud Joh. Malelam in Chronog. lib.18. in *Juſtiniano* edit. Ven. p.62, Byzant. T.XXIII.; vel *Agazerim*, ut apud Maundrellum in Itin. Hieroſol. Quod factum ex prava Hebraeae vocis intelligentia adnotant Baſnagius loc. cit. p.16. ſq., & Edmund. Chilmeadus in Not. ad Malelam p.63; Hebraeis namque *Har* Mons eſt, quae vox cum *Garizim* peſſime copulata Graecis illis fuit. Obſervare denique haud abs re erit, non deeſſe Viros doctos, qui Deuteron. XXVII. 4. haud locum a Samaritanis depravatum fuiſſe, proque *Hebal* ſuffectum *Garizim*, ſed magis a Judaeis fuiſſe corruptum, atque *Garizim* loco *Hebal* fuiſſe ſuppoſitum, ſuſpicantur. Ita nempe perſuaſum habuiſſe videtur ipſe R. Benjamin Itin. T.I. cap.8. p.78, ubi Deuteron. XI. 29. & ipſe *Garizim* legit; ita Lightfootus in Diſquiſ. Chorog. S. Johanni praemiſſa cap.4. §.3. Oper. T.II. p.586. ſq., Baſnagius Hiſt. Jud. lib.2. cap.4. T.II. p.1, ac Benjamin Kennicottus in diſſert.2. pro defenſ. Textus Pentat. Samar. in Excerptis Litter. Europae Bernae editis an.1761. T.IV. p.22. ſqq. putant, eo praecipue ducti momento, quod Samaritani nunquam in Sacri Textus depravati crimen a Judaeis vocati fuerint. Videndi tamen Baratierius in Not. ad Benjamini Itin. loco cit., & Carpzovius in Crit. Vet. Teſt. Par. II. cap.4. p.606. ſqq., ubi a Samaritanis Sacrum revera Textum fuiſse corruptum defendunt.

VIII. Nunc ad *Samariae* Urbis, ac Regionis, Judaeam inter, & Galilaeam mediae, Origines, & Epochas accedendo, Samariae Regionis Caput ſub Judicibus fuiſse *Schomron* uſque ad *Salomonem* liquet ex Joſepho Antiq. lib.8. cap.6, juncto

R. Levi

Digitized by Google

R. Levi ben Gerſom in III. Reg. XVI. 24. idipſum teſtante. Sub *Jeroboamo* I. fuiſse *Sichem* adparet ex III. Reg. XII. 25; ſub Regibus aliis Iſraelis fuiſse *Thirſam* legimus III. Reg. XIV. 17, XV. 33, & XVI. 8, & 15. Donec ſub *Amri*, ſeu *Omri* Rege Iſraelis ſexto anno M. 3080, ante Chriſtum 923, empto duobus argenti talentis, (Talentum Argenteum Hebraicum, (Argentea vero 16. continebat Talentum Aureum), prout ſupputatum eſt a Cumburlando de Menſ., Pond., & Mon. Jud., a Pridaeo Hiſt. Jud. in Praef. T. I, ab Eduardo Bernardo de Menſ., & Pond. Antiq., a Leuſdenio in Philologo Hebraeo Mixto diſſert. 29. p. 213, ab Hoſto in Hiſt. Rei Num. T. I. lib. 4. cap. 8. p. 308. ſqq., & a D. le Pelletier, ex ipſoque a Calmetio Dict. Bibl. T. II. p. 574, continet minas 50. Hebraicas, Siclos 3000, pondere eſt 173. Marchorum, 6. unc., 3. groſs. cum dimidio, 22. gran. $\frac{2}{7}$, valetque libras Gallicas 4866, ſolidos 13, denar. 4.) a *Schomero* Monte Samariae, in vertice aedificatam Urbem a *Schemero* ejus venditore *Samariam* vocatam, Regni ſedem ſtatuit III. Reg. XVI. 24. Inde liquet egregie falli Baudrandum in Lex. Geogr. T. II. edit. Ven. p. 127, dum ab Aſsyriis ad Regionis cuſtodiam anno M. 3247. miſſis *Samariam* conditam ſcribit. Vaſtata Urbs primo fuit a *Sennacheribo* Aſsyriae Rege; *Ptolemaeo Lago* poſtea Aegypti Regi obnoxia facta eſt; ab *Antiocho* III. *Magno* Syriae Rege deinde ſubjugata, Joſepho referente Antiq. lib. 12. cap. 3; a *Johanne Hircano* poſtremo deſtructa fuit, ut ne veſtigium quidem Urbis reliquum fuerit ullum. Donec ab *Aulo Gabinio* Romano in Syria Proconſule quarto e ruderibus excitata Urbs, *Gabinae* nomen habuit, Cedreno teſte in Compend. Hiſt. p. 184. *Herodi* deinde ab *Auguſto* reddita, ab eoque anno Regni 13, U. C. 729. muris exſtructis munita, aedificiiſque adaucta, in *Auguſti* honorem *Sebaſte* nuncupata eſt, Joſepho teſte Antiq. lib. 15. cap. 10, S. Hieronymo confirmante in Abdiae cap. 1, juncto Proſpero in Chron. Inde liquet itaque Samaritanos ſub diverſis Regibus diverſa ſubjiſſe fata, juxtaque diverſas ipſis uſurpatas Epochas fuiſſe. Quas inter Epochas, quae uſu primum ipſis venere, ex ipſorum Chronico inſcripto *Libro Joſue*, (perperam cum ipſorum Penta-

teucho a Bonjurio in Diſſert. de Canone lib. Sacr. p.12. confuſo), quod a *Joſue* geſtis exordium fiat, inde denominato, quod Samaritani Pentateuchum anno ab Exitu Iſraelis ex Aegypto 13. manu *Abiſchuae* filii *Phineaſi*, Nepotis *Abaraonis* exaratum ſe in Monte Garizim poſſidere falſo jactare non deſinunt. Centonem eſſe a *Doſithaeo*, (qui Samaritanis velut alter *Moyſes*, imo pro *Meſſia* habitus eſt, perperam vero a Thalmudiſtis in *Tanchum* fol.17. col.4, quibus adſtipulari Druſius non dubitat in Reſponſ. ad Serrarium, alter ex duobus Sacerdotibus fingitur ab Aſſyria Samariam ſub *Aſſarhadone* miſſis, fuit enim *Simoni Mago* aetate ſuppar, ſi ndes Hegeſippo apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib.4. cap.22, S. Hippolyto in Tract. adv. Haer. apud Euſebium lib.6. cap.22, & Photium Cod.121, p 302. edit. Schotti Rothom., Origeni contra Celſum lib.1. p.372, & lib.6. p.638, Pſeudo-Clementi Conſtitut. Apoſt. lib.6. cap.8. edit. Cotel. T.I.p.339, Eulogio apud Photium Cod.230. p.883, S. Epiphanio Haer.XIII, &c.; quo de Homine legendi Serrarius in Minervali lib.4. cap.10. ſqq., Laurentius Cozza Comm. in Haer. T. I. p.2. ſqq., Valeſius in Not. ad Euſebium T.I. edit. Taur. p.156, & 249, Cotelerius in Mon. PP. Apoſt. T.I. p.338, Moinius in Var. Sacr. T.II. p.946, 1087, & 1102, Lightfootus in Diſq. Chorogr. ad Joh. cap.4. Oper. T.II. p.584. ſq., Baſnagius Hiſt.Jud.lib.2. cap.13. p.307. ſqq., Scaliger in Elencho Trihaereſii cap.15, Spencerus in Not. ad Origenem cit. p.372, Druſium ſequutus de Tribus Sectis Judaeor. lib.3. capp.4, & 6, ubi quatuor *Doſithaeos* perperam diſtinguit, Thomas Ittigius in Diſſert. de Haereſiarchis Aevi Apoſt. ſect.1. cap.1, & in Append. &c.) a *Doſitheo*, inquam, primum, a diverſiſque poſtea Scriptoribus aliis Samaritanis Aerae Chriſtianae Seculo III. exeunte, aut ineunte Seculo IV, conſarcinatum, compilatumque oſtendunt Thomas Smith in Vita Huntingtoni, & Relandus in Not. ad hoc Chron. Diſſert. Miſcell. T.II. diſſert.7. de Samar., expiſcandae nobis ſunt. Qua in re ductum ſequimur Joh. Morini Exercit. in Pent. Samar., & in Antiq. Eccl. Orient. edit. Lond. p.119. ſqq., Herbeloti Bibl. Orient. p.753. ſq., Calme-

tii

tii Dict. Bibl. T.II. p. 331. ſqq., Anonymi Maurini in Novis Elucid. de Orig., & Pent. Samar., Joh. Henr. Hottingeri Patris in Exerc. Anti-Morin., & de Theolog. Samar., Hadriani Relandi Diſsert. de Samar., & Palaeſt. illuſt., Chriſtoph. Cellarii Exercit. de Samar., & in Collect. Hiſt. Samar., Jacobi Baſnagii Hiſt. Jud. edit. HagaeCom. T.II. Par.I. lib.2., Joh. Jac. Hottingeri Filii Append. de Samar., Roberti Huntingtoni in Epiſt Samar. &c.

IX. Epocha itaque eorum praecipua eſt, a qua ipſorum *Tarich Samari*, ideſt *Chronicon*, ſive *Joſue Liber* incipit, hoc eſt a Tranſitu *Iſraelis* per Jordanem, inque Palaeſtinam ingreſsu, qui juxta Hebraeorum Chronologiam anno Mundi 2486. contigit, cum anno M. 2794. a Samaritanis copulatus in Chronico legitur. Altera praecipua eſt, a qua *Orbis* conditi annos uſque ad Aeram *Chriſtianam* 4425. computare ſolent, ita ut decurrenti Chriſtiana in Aera anno ſumma haec 4425. addita det illico annum in Aera *Samaritana* decurrentem, atque viciſſim ſumma haec 4425. a *Samaritana* detracta annum det in Aera *Chriſtiana* correſpondentem. Quamquam aliis Samaritanis Anni *Mundi* ad Chriſti D. *Natalem* 4440. numerandi viſi ſunt; qua de re infra. Propoſitum nobis porro non eſt heic *Sacris* de Epochis in Samaritano Pentateucho deſcriptis agere, de quibus utpote Chron., & Crit. Par.II. agendum differimus, ſed de *Profanis* dumtaxat, quae aut in Chronico iſto uſurpatae primo leguntur, ab eo tempore nempe, quo e Chaldaea Samariam inhabitandam miſſi ſunt; aut quae in Monumentis aliis adhuc ſcalptae conſpiciuntur eam ſequiorem poſt aetatem, quo Samariae Urbes diverſa ſubire fata coactae ſunt. De primis itaque loquendo Epochis, queis ipſorum Chronicon conſignatur, Chronici ipſius, cujus Exemplar unum ad Dominum de Schala pertinuit, in Golii poſtea manus devenit, teſte Peireſchio in Epiſt. 36. ad Morinum Antiq. Eccl. Orient. p.179. ſqq., alterum juris olim fuit Scaligeri, ab ipſo poſtea Bibl Leidenſi legatum, ex quo Hottingerus, indeque Fabricius Cod. Pſeudepigr. Vet. Teſt. T.I. cap.166. p.876. ſqq. pleraque deſcripſit; Exemplar ſimi-

ſimile olim Hadr. Relandi, manu Golii emendatum, in manus poſtea Dav. Millii perveniſſe refert Frid. Adulphus Lampe Comment. in Joh. Evang. p.710, in quod pleraque notavit Baſnagius; unum ab Huntingtono Arabice conſcriptum in Angliam delatum fuit, teſte Thoma Smith in vita Huntingtoni p.15; aliud juris fuit Jacobi Bernardi, ex ipſoque in Actis Erud. Lipſiae anno 1691. April. p.167. inſertum, indeque a Baſnagio Hiſt. Jud. T.II. deſcriptum, notiſque illuſtratum fuit p.36. ſqq., iſtius Chronici, inquam, Chronologicam exhibere Epitomem juvat, ut uno velut intuitu res integra ſtatim intelligatur, adjunctis faciliori pro captu annis ante Chriſtianam Aeram, prout annis Mundi in Chronico adnotatis vulgarem, receptioremque juxta Computum reſpondent.

AB ADAMO AD

Anni ante Christi Natalem		Anni Mundi
3118.	Diluvium Anni effluxerunt	1307.
2176.	Nativitutem Abrahae	2249.
2101.	Egreſſum Abrahae ex Charan.	2324.
1671.	Exitum Iſraelis ex Aegypto	2754.
1631.	Obitum Araonis, & Moyſis	2794.
1625.	Diviſionem Palaeſtinae a Joſue	2800.
1612.	Legem ſcriptam ab Abiſchua	2813.
1606.	Obitum Joſue in Temna	2119.
1371.	Schiſma ſub Hozi, & Heli	3054.
1190.	Obitum Davidis Regis	3235.
1186.	Aedificationem Templi Salomonis	3239.
1149.	Schiſma ſub Robohamo	3276.
708.	Decem Tribuum deportationem	3717.
520.	Regreſſum e Captivitate	3905.
331.	Adventum Alexandri M. in Sichem	4024.
330.	Aedificationem Alexandriae in Aegypto	4095.
325.	Obitum Ezechiae P. M.	4100.
324.	Obitum Alexandri M.	4101.
321.	Exſpoliationem Templi Garizim	4104.
275.	Verſionem Pentateuchi Samaritani	4150.
30.	Ingreſſum Auguſti in Alexandriam	4395.
O.	Natalem Chriſti Filii Mariae	4425.
30.	Chriſti in Cruce obitum	4455.
132.	Perſecutionem Hadriani Imp.	4557.
135.	Excidium Hieruſalem	4560.
138.	Antonini Imp. annum I.	4563.
183.	Diſputationem Levi cum Alexandro	4608.
222.	Perſecutionem Alexandri Imp.	4647.
233.	Ardaſiris in Perſide Imperium	4658.
622.	Hegirae initium	5047.
1187.	Occupatam Samariam a Saladino	5630.
1492.	Chronici Albuphaetaei finem	5945.

X. Ex

X. Ex Chronici ergo iſtiuſmodi Epilogo abunde, opinor, fit evidens magno in errore verſatum fuiſſe Wendelinum, qui Epiſt.41. ad Morinum Antiq.Eccl. Orient.edit.Lond. p.214. exiſtimat a Samaritanis annos ab *Orbe* condito ad *Chriſtianam* Aeram 4306, ac Menſes 3. computari, ſcilicet ante *Diluvium* 1327; inde ad natum *Abrahamum* 940, ut ſint omnes 2267; hinc ad mortem *Moyſis* 565, ut ſumma ſit 2832; ſintque ex hoc Ἐπιλογισμῷ anni 2792. ad *Exodum*, 2712. ad natum *Moyſem*; ut Exodus quadret in 2793, & Ingreſſus in Terram Chanaam in annum 2794. Jam vero poſtrema ex Epocha, qua Chronicon ab *Albuphaetaeo* Daneſaeo abſolutum notatur anno Mundi 5945, Hegirae 898, qui fuit Aerae Chriſtianae 1492, liquido colligitur Samaritani Chronici Scriptorem ipſum *Albuphaetaeum* fuiſſe, Scriptorem nempe valdequam nuperum. Sed enim oppido eum hacce in texenda Chronotaxi falli adpoſite obſervavit Vir doctiſs. Abbas Ludovicus de Four Longuerue in Epiſt. ad Ludov. Picqueſium, ut ad Jobum Ludolphum ipſe perſcriberet ex Adpend. ad Var. Epochas Veter. p.308.ſq. Nam in ſumma annorum 5945. anni quidem 5047. *Solares* ſunt ab uno *Aequinoctio* Autumnali ad alterum ducti, reliqui vero anni 898. *Hegirae*, quo opus ab ſe abſolutum memorat, *Lunares* ſunt, vagique per omnes anni tempeſtates, qui annos *Solares* 889. dumtaxat efficiunt. Quare annis 9. omnino in ſumma ab Samaritano iſto Scriptore, tanti adeo nonnullis inconſulte habito, erratur. Erratum inſuper ab eo in ſupputandis annis ab *Orbe* condito ad *Ingreſſum* in Palaeſtinam, inde ſummam annorum 2794. colligendo admonuit Scaliger de Emend. temp. lib.7.p.666: annorum 301. namque iſta in ſumma exceſſus intervenit; a *Mundi* ſiquidem exordio ad *Jordanis* tranſitum anni 2493. dumtaxat interceſſere. Ex Chronico iſto tamen notanda obiter nonnulla occurrunt, quae fortaſſis alibi fruſtra quaeras. Sub anno itaque Mundi 4658, Aerae Chriſtianae 233, *Ardaſiris* 1, (qui Perſis *Ardſchir*, Syris *Artabaſcht*, Graecis, Latiniſque *Artaxerſes*, is nempe, qui Aerae Chriſtianae anno 226, U. C. 979., Seleucidarum $\frac{537}{538}$, Arſacidarum $\frac{481}{482}$. deletis Parthis, Regeque *Artabano* interfecto, Perſicum reſtituit imperium, amplificavitque, de quo Hero-

Herodianus lib.6. cap.129, Agathias lib.4. p.134, Dio Epitome lib.80. p.918, & Ludov. du Four Longuerue in Annal Arſacidarum p.53. ſq.; ſed enim hacce de *Arſacidarum* Epocha fuſius alibi, ubi facile Agathiae ſupputationi anteferendam, quam ex S. Marutha, Syriſque aliis Scriptoribus injit Vir doctiſs. Stephanus Evodius Aſſemanus in Praefat. ad Acta Ss. Martyr. Orient. T.I. p.74. ſqq. *Arſacidarum* Epocham palam fiet,) Samaritano in Chronico anni *Seleucidarum* Aerae 545. notati leguntur: unde liquet & hanc aliquando Samaritanis uſu Epocham veniſſe. Veniſſeque ab eo utique, quo ab *Antiocho Magno* ſub Syriae Regum jugum miſſi ſunt, tempore, dubitare non ſinit mos Syris receptus ſubjectos Populos ad eamdem ſe aptandos Aeram, quae ſibi recepta eſſet, cogendi: veluti de Judaeis liquet ex utroque Macchabaeorum libro; qua de Aera ſuus nobis infra dicendi locus erit. Ab anno poſtea Mundi 5047, Aerae Chriſtianae 622, quo *Hegirae* cardo conſignatur in Chronico, anni deinceps Arabum etiam una cum Mundi annis adnotantur; unde adparet a Samaritanis inde duplicem adhiberi cepiſſe computum, *Mohammedicum*, ac Civilem a tempore *Hegirae*, *Graecum*, & Sacrum ab *Orbe* condito; veluti notatum eſt Scaligero de Emend. Temp. p.657, Huntingtono in Epiſt. Samar. p.52, & Wolfio Bibl. Rabb. T.II. ſect.6. p.434: quem in Sacrum Computum aliqua obiter adnotare non poenitebit. Atque iis praeteritis, quae cum Pentateuchi Chronologia Sacra cognationem habent, de quibus in Chron., & Crit. Par.II. agendum larga manu erit, ab *Abaronis*, atque *Moyſis* obitu, quocum Pentateuchus finit, indeque a *Joſue* Principatu, ingreſſuque in Palaeſtinam, ideſt anno Mundi 2794, ante Chriſtum 1631, annos *Gratiae*, ac Divinae *Praeſentiae*, ac Protectionis, quos vocant *Ridhat*, & *Redhovan*, computare Samaritani cepere: quae ideo praecipua, celebriorque apud ipſos eſt Epocha; eoque ipſo anno in Montem *Garizim* delatam fuiſſe cum Tabernaculo *Arcam*, duodecimque de Jordane deportatos Lapides jactant. Ab anno M. 2800. ante Chriſtum 1625, qui ab Exodo fuit 46, quove Palaeſtinae diviſio a *Joſue* facta eſt, Annos *Sabbathicos* inchoare ſolemne iis fuit. An *Jubilaeos* etiam inde celebrare ceperint, in ob-

ſcuro latet. Id ipſi adfirmant, ac ita quidem, ut anno M. 2560, juxta Chronologiam Uſſerii, ab Exitu 47, cum *Sabbathico* 1. inceperit *Jubilaeus* I: quo tempore tamen a Judaeis Samaritani indiſtincti erant. Tum vero *Jubilaeum* I. ab eo, quo e Babylone, & Media Samariam regreſſi ſunt, anno, juxta ipſorum computum M. 3905, proximo, quo nempe ab Iſraelita Sacerdote miſſo legem *Moyſis* edocti ſunt, celebrari cepiſſe autumat Petitus in Eclog. Chronolog. lib.2. cap.4. p.114., annum putans M. 3230. Baſnagio Hiſt. Jud. T.II. Par.I. lib.2. cap.5. §.4. p.90. ſq. viciſſim, nonniſi extructo in Monte *Garizim* Templo, *Jubilaeos* locum apud Samaritanos obtinuiſſe veri longe ſimilius viſum eſt. Anno poſthinc 13, ab Exodo 59, M. 2813, ante Chriſti natalem 1612. ab *Abiſchua* filio *Phineaſi*, filii *Eleazari*, filii *Aharonis*, (unde *Aharonem* genere fuiſſe Samaritanum, inſigni Ἀνιςοριστίας, & rerum Sacrarum imperitia ſcripſit Auctor *Alcorani* apud Bochartum Hieroz. Par.I. lib.2. cap.34. p.359. ſq.), ad Januam Tabernaculi in Monte Garizim *Legis* exemplar ſcriptum fuiſſe inſigni fabulantur mendacio, eoque ipſo anno a *Phineaſio* diem in horas 24. fuiſſe partitum.

XI. Anno 300. ab *Exodo*, & a *Sampſonis* obitu, Mundi 3054, ante Chriſtianam Aeram 1371. finiſſe annos 260. *Gratiae*, ſive *Ridhat*, ac Dei *Praeſentiae*, ſive *Redhovan* referunt; ideo quod eo anno Schiſmate Iſraelitas inter, & Samaritanos facto, Pontificatum in Monte Garizim *Hozi* agente, ab Iſraelitarum Pontifice M. *Heli* Dei cultus e *Garizim* translatus in *Schilo* fuerit: quae perinde celebris apud ipſos Epocha fuit altera. Qua nec minus inſignis habetur Epocha ſub *Robohamo* ab altero Judaeorum ſchiſmate quatuor in partes petita, quarum una ex linea *Phineaſi*, & *Joſephi* vero Dei cultu mancipata in Monte Garizim manſiſſe fingitur; altera in Domo *Meſias*, (ita Templum Hieroſolymis exſtructum vocant), a *Salomone* aedificato Aram erexit; tertia *Jeroboamo* Sebaſte (verius in Bethel, & Dan III. Reg.xii. 29.), adhaeſit; quarta Idololatriae totam ſe dedidit: quod Schiſma ſane anno Mundi 3276, ante Chriſtianam Aeram 1149. juxta ipſos contigit. Ceteris memorabilior eſt duplex Epocha altera, qua anno Mundi

di 3717, ante Chriſti natalem 708. a Rege Aſsyriae *Salmanaſſare* Decem Tribus in Charran, Edeſſam, & Ninivem, cum *Abdia* Pontifice M., captivae ductae in Chronico traduntur; unaque e Garizim *Legis* exemplar in Ninivem aſportatum fertur. Altera, qua anno M. 3905, ante Chriſtum 520, *Abdeli* Pontificis 35. Samaritanis in Palaeſtinam redeundi proprias ad domos a *Sauredio* Rege poteſtas facta, eoque tempore ab *Eſdra* Alphabetum Hebraicum litterarum 27, cum Finalibus 7. elucubratum fuiſſe eodem in Chronico refertur. Quae non uno laborat ſane mendacio traditio: nam e Captivitate haud relaxatos in Samariam Iſraelitas fuiſſe, ſed e Chaldaeis, ac Medis promiſcui generis, ac proletarii Colonias fuiſſe dimiſſas patet ex IV. Reg. XVII. 24. ſqq. Ignotus alioquin eſt *Sauredius* iſte Rex, niſi is ſit aut *Salmanaſar*, de quo eodem loci IV. Reg. XVII. 3. ſqq., ſive *Aſſarbaddon*, aut *Aſenaphar*, de quo I. Eſd. IV. 2, & 10. Nec ea adhuc aetate peculiaris erat Samaritanis Pontifex, quum primus apud ipſos *Manaſſes* non ante *Alexandri* M., a quo *Sanaballato* Templum erigendi, creandique Pontificem facta eſt facultas, tempora fuerit. Ab *Eſdra* demum Alphabetum non utique novum adinventum eſt, ſed Samaritani loco Chaldaicum inductum, ut nonnullis viſum eſt; idque factum longo poſt intervallo, quam ab Aſſyria miſſae Samariam incolendam Coloniae ſunt, ideſt nonniſi poſtquam Babylonica laxata ſub *Cyro* Captivitate, ad propria Judaei remearunt. Quae de Deo in Monte Garizim ab *Alexandro M.* adorato, deque Pontifice *M. Ezechia*, (apud Judaeos *Jaddo*), ſummo ab eodem *Alexandro* in honore habito, aliaque ejuſmodi ſaporis multa eodem in Chronico leguntur, memorari vix, ac ne vix quidem merentur. Anno M. 4104, Chriſti ante natalem 321. *Ptolemaei Lagi* juſſu anno Regni 3, ab *Orode* Templum Garizim exſpoliatum fertur. A *Ptolemaeo* vero *Philadelpho* anno Regni 10, M. 4150, ante Chriſtianam Aeram 275. una cum Judaeis Doctoribus ſub *Eleazaro* accerſiti e Samaria cum *Abarone* Pontifice M. Iſraelitae Doctores alii venditantur, qui ex Hebraeo *Legem Moyſis* Graecam facerent. Orto vero Interpretes inter Judaeos, & Iſraelitas diſſidio de loco Deuter. XXXII. v. 35. *Mea eſt ultio, & Ego retribuam*, aliiſque, de loco quoque,

Eccl. lib. 1. ſect. 2. p. 265, aliique plures ortos illos ſub aetate *Alexandri M.*, anno 300. circiter ante Chriſti natalem, quo vixiſſe *Antigonum Sochaeum* aeſtimant: quos refellit Baſnagius Hiſt. Jud. T. II. Par. I. lib. 2. cap. 14. p. 325. ab *Alexandri M.* aetate cum *Antigonum*, tum *Sadducaeos*, & *Phariſaeos* diſtare contendens. Lakemacherus vero Obſerv. Philol. Par. I. obſ. 1. ſect. 2. ſqq. p. 3. ſqq. poſt Genebrardum ad tempora *Jonathae Phariſaeorum* Sectam referre non dubitat. Linghtfootus viciſſim parum ſibi cohaerens in Hor. Hebr. ſubinde ad Acta Apoſt. cap. 23. v. 8. T. II. p. 737. ſq. utroſque non ante exortos putat, quam ſub *Ptolemaeo Philadelpho* Graeca Verſio LXXviralis adornata fuit. Viciſſim Nicolaus Serrarius in Trihaereſio lib. 2. cap. 11. etſi ad tempora *Jonathae* Macchabaeo anteriora referendos aeſtimet, cap. 12. tamen ab *Hillele* demum *Phariſaeos* originem traxiſſe haud obſcure innuit: cui favet S. Hieronymus in Iſaj. VIII. ex *Sammai*, & *Hillelis* diſſidio Scribas, & Phariſaeos ortos ſcribens.

XIII. Contra Serrarium pugnavit Scaliger, contra Scaligerum Leydekkerus de Repub. Hebr. T. II. lib. 6. cap. 8. p. 498, lib. 7. cap. 9. p. 574, & lib. 8. cap. 5. p. 610, etſi prima *Sadducaeorum* ſemina ſub *Eſdra* jacta conſentiat, a *Sadocho* tamen ortos, & *Baithoſo* cum Lightfooto contendens; contra Scaligerum etiam, & Lightfootum Baſnagius lib. 2. cap. 14. p. 321. ſqq., & capp. 18. ſqq., p. 442. ſqq. pugnam inſtituit, ex Joſepho *Phariſaeos* non ante *Jonathae* aetatem exortos contendens, quinimo ex ſchiſmate inter Scholas *Hillelis*, & *Schammai* natos, *Sadducaeos* tamen annis 150. circiter antiquiores exiſtimans. Conferendus etiam Relandus Antiq. Sacr. Par. II. cap. 9. §. 13. p. 249. Contra Lakemacherum vero Carpzovius in Annot. ad Goodwinum Antiq. Cod. Sacr. lib. 1. cap. 10. §. 7. p. 178, & cap. 11. §. 2. p. 205. ſq. recentiorem utrorumque originem ſtatuit, ideſt non ante *Sadochi*, & *Baithoſi* aetatem, ante Chriſtianam Aeram anno 140. circiter. Serrario, & Baſnagio pejus David Gantzius in *Tzemach David* p. 83. *Phariſaeos* ſub *Herode* M. demum ortos ſtatuit. Natalis Alexander pejus adhuc Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. Aetate Mundi VI. cap. 1. art. 5. §. 2. ſq. edit. Luc. 4. T. III. p. 293. ſq. a *Doſitheo*, *Simoni Mago* coaevo

aevo originem *Sadducaeos* duxiſſe ex S. Epiphanio Haer. xiv, & S. Hieronymo in Dialogo adv. Lucifer. adſtruit, *Phariſaeos* vero ortos ſub *Jonatha* Macchabaeo anno 140. circiter ante Chriſtum ex Joſepho Antiq. lib. 13. cap. 9, & lib. 18. cap. 2. verius aeſtimat. Contra vero *Phariſaeos* poſt *Sadducaeos* ante Chriſti natalem anno 140. circiter audiri cepiſſe arguit Zanolinus in Diſput. de Feſt., & Sect. Jud. cap. 1. p. 109., *Sadducaeos* vero a *Sadocho* annis 200. fere ante Chriſtum exortos cap. 2. p. 111. arbitratur. Pejus adhuc Maldonatus Comm. in Matth. iii. 7. T. I. edit. Ven. p. 86. utroſque non multo ante Chriſtianam Aeram obortos ex Joſepho Flavio loc. cit., & Joſepho Gorionide lib. 4. cap. 6. arguit. Falli enim vero illos ad unum omnes adfirmat Brucherus Hiſt. Crit. Philoſ. T. II. Per. II. Par. I. lib. 2. cap. 1. p. 718. ſq., & p. 744. ſqq., Joſephum haud aſſe quutos loquentem, non de Sectis illis veluti recens inductis, ſed jam olim obtinentibus. Fallique ſpeciatim oppido Baſnagium, dum ab aetate *Jonathae*, qui annis fere 300. Chriſti D. natalem antevertit, parum diſtare *Hillelem* credidit, quem annis 100. dumtaxat Excidio Hieroſolymitano anteriorem fuiſſe conſtans eſt, & concors Judaeorum opinio apud Gantzium in *Tzemach David* ad annum M. 3768, Abraham ben Dior in libro *Kabbalae*, Bartoloccium Bibl. Rabb. T. II. p. 784. ſqq., & Wolfium Bibl. Rabb. T. II. p. 824. ſq. Tam itaque *Sadducaeos*, quam *Phariſaeos* in lucem emerſiſſe *Onia* Pontificem agente, *Ptolemaeo Evergete* Aegypto, & *Seleuco Callinico* Syriae imperantibus, anno Chriſti ante natalem 240. circiter veri habet ipſe Bruckerus ſimilius: qua ipſi in ſententia pares ſe ſtitere Hottingerus in Theſauro Philolog. lib. 1. cap. 9, Caſaubonus Exerc. 1. in Baronium §. 9. edit. Genev. p. 49. ſqq., Goodwinus Antiq. Sac. Cod. lib. 1. cap. 10. ſq. p. 23, 28. ſq., Carpzovius in Annot. ad haec loca, Spanhemius Dub. Evang. Par. III. Dub. xxviii. p. 104. ſqq., Buddeus Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Par. II. ſect. 7. T. II. p. 975, & 979, ac Introd. ad Hiſt. Philoſ. Hebr. §. 19. p. 82. ſq., & Calmetius in Diſſert. de Phariſ., Sadduc &c. T. II. edit. Ven. p. 62. ſqq. Quo de argumento praeter memoratos plurimos agunt Fullerus Miſcell Sac. lib. 2. cap. 3. Crit. Sacr. edit. Francoſ. T. VII. p. 59. ſqq., Montacu-

tacutius Appar.8.ad Orig. Eccleſ., & in Analect.Exerc.3.ſect.2. ſq., Pockochius ad Portam Moyſis cap.6. §.94. ſq., Heidanus de Orig. Error. lib.8.cap.1.ſqq., Leuſdenius in Philologo Heb. Mixto diſſert.18. p.138. ſqq., Buxtorfius ad *Coſri* Par. III. p. 192, Pfeifferus in Faſcic. Diſſert. Philol. diſſert.3. ſect.1. p.39. ſqq., Seldenus Otior. Theolog.lib.3. Exerc.7. §.9. ſqq. p.563. ſqq., Spanhemius filius in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Oper. T.I. p. 459. ſq., Hackſpanus in Praefat.ad Lipmanni *Nizzachon* §.17. ſqq. p.225, alibique, Carpzovius in Theolog. Jud. *Pugioni* fidei Raym. Martini praemiſſa cap.3. p.7. ſqq., Saubertus de Sacerd. Hebr. cap.20. edit. Crenii p.687, Willemerus in Diſput. de Sadducaeis, ex ipſoque Boelius in Dict. Hiſt. Crit. V. *Sadducaeus*, Moshemius in Diſſert. de Reſurrect. Mort. T.II. p.590. ſqq., Opitius in Diſſert. de Phariſ., Rechenbergius Exerc. in Nov. Teſt. p.164. ſqq., Rhenferdius in Diſſert. de Fictis Jud. Haereſ., Lundius in Diſput.de Phariſ., & Sadduc., Schottgenus in Horis Hebr. ad Matth.111.7, Reimannus in Hiſt. Theolog. Jud. lib.1. cap.18. §.14. p.590, & in Atheiſmo Jud. cap.2. §.6. p.37.ſqq., aliique plures larga ſuppeditati manu a Carpzovio in Annot. ad Goodwini loc. cit., & a Wolfio Bibl. Rabb. T.II. p.815. ſqq.

XIV. In lineam, e qua me paulliſper abduxit de *Phariſaeorum*, & *Sadducaeorum* origine quaeſtio, ut regrediar, atque ceptas proſequar in Chronicon Samaritanum Notas, poſt expletos *Gratiae* annos 1371, quos a *Joſue* in Palaeſtinam ingreſſu cepiſſe, duraſſeque annos 260, ideſt uſque ad Schiſma Judaeos inter, & Iſraelitas exortum, hoc eſt ad annum Mundi 3054, ante Chriſti in carne natalem 1371. ex eodem Chronico adnotavimus, ac poſt initium Divinae *Indignationis*, quod cum Chriſti D. Nativitate Samaritanis perperam inchoatur, e Virgine *Maria* Matrem Chriſtum *Jeſum* ſub Pontificatu *Jobiami* in Samaria, Crucifixumque ſub *Tiberio*, Pontificatus *Johannis* in Samaria item anno 21, tradit Chronicon. In quo plane annos Mundi ad Chriſti natalem 4425. numerari ſuperius advertimus. Sequiori tamen ſub aetate Samaritanis ab *Orbe* condito ad Chriſti *Nativitatem* annos 4440. computari conſueviſſe ex duabus Epiſtolis Sichimis ad Jobum Ludolphum datis

datis anno 1685. obſervant Morinus in Not. ad duas alias Samaritanorum Epiſtolas ad Scaligerum Hegirae anno 991, & 998, Antiq. Eccleſ. Orient. p. 119. ſqq., Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 515, & Hottingerus in Append. 2. de Samar. p. 427. *Meſſiam* porro הַשָּׁהֵב *Haſceab* Samaritanis vocari diſcimus ex Epiſt. eorumdem 1. ad Scaligerum Antiq. Eccl. Orient. p. 125. *Deum* vero nunquam יהוה *Jehovah*, ſed שְׁמָא *Semaa* per *Sin* eiſdem dici refert Ludolphus in Epiſt. 33. anno 1690. p. 51, opinatus שמא *Semea* voce ſignificari שֵׁם *Shem*, ideſt *Nomen* per Excellentiam. Quo loci ex Jamblico de Myſt. Aegypt. Segm. 8. cap. 3. *Dei* nomen *Emeph*, *Hamun*, *Phthas* dici liquet; quod Chriſtianis tamen dici *Ebnudi* ſolet. Iſte vero *Emeph* Jamblici, *Kneph* dicitur Euſebio Praep. Evang. lib. 3. cap. 11, atque perperam a *Phtha* diſtinguitur, Aegyptiis olim indiſtinctus, uti liquet ex Jamblico loc. cit., Horapolline lib. 1. cap. 12, Cicerone de Nat. Deor. lib. 3. cap. 22, Auctore Clementin. Homil. 9. §. 6. edit. Coteler. p. 681, Suida V. Φϑᾶς T. III. p. 815, quibus unum eo Gracis utroque nomine *Vulcanus* venire dicitur. Perperam tamen ſuum ad *Vulcanum* a Graecis Aegyptiacam traductam fuiſſe de *Phtha* Theologiam obſervarunt Matur. Veiſſ. la Crozius in Epiſt. ad Jablonskium Theſau. Epiſtolici T. III. p. 155, & Jablonskius ipſe in Pantheo Aegypt. lib. 1. cap. 2. §. 9. ſqq. p. 44. ſqq.; *Phtha* ſiquidem Aegyptiis *Spiritus Infinitus* res ordinans omnes intelligebatur, adeoque ſupremum obtinens imperium. Quamquam *Phtham* recte quoque interpretari *Vulcanum*, ſeu *Ignem Divinum* exiſtimat doctiſs. Georgius in Alphab. Tibetano Par. I. cap. 128. p. 378. ſqq., voce nempe derivata a *Pth-Etha*, e qua per craſim Aegyptiis factum *Phta* fuerit; cuique reſpondet apud Syros *Phtach*, quod eſt *Accendit*. Sed enim revertendo ad vocem שֵׁם *Sem*, ejuſdem ſane originis iſthaec eſt, ac vox שָׁם *Sam*, qua monſtrandi actus deſignari apud Hebraeos ſolet, unde שֵׁם *Sem*, ideſt Nomen pro ipſo ſigno accipi plerumque conſuevit; quo pro ſigno יָד *Jad* etiam, ideſt *Manus*, adhibita Hebraeis ſaepe legitur, veluti I. Reg. xv. 12. a *Saule*, & II. Reg. xviii. 18. ab *Abſalone*; utrumque vero pro eodem ſigno, ideſt tam יָד *Jad*, *Manus*, quam שֵׁם *Sem*, *Nomen*, Iſajae lvi. 5. uſur-

uſurpatum legitur. Utriuſque porro vocabuli *Sem*, & *Sam* oiſgo Syriaca, vel Arabica viſa eſt utrique Perizonio, patri de Ratione Studii Theolog. cap. 13. p. 300, ac filio in Origin. Babylon. cap. 11. p. 199. ſqq., qua *Excellere*, aut *Excelſum* eſſe ſignificatur. Qua perinde ratione *Deus* in S. Scriptura שם *Excelſus*, & השם *Haſſem*, *In Excelſo* poſitus denominatur. Quamquam & שם *Sem* a verbo Hebraeo שום *Sum*, quod eſt *Ponere*, derivatum etiam Perizonio filio videtur; quatenus *Nomen*, ac *Signum* diſtinguendis rebus, ac demonſtrandis imponi ſoleat. Qua profecto ratione שם *Nomen* pro *Deo* cognoſcendo, & a quocumque alio diſtinguendo, tam proprie, quam appellative uſurpatum legitur Judic. XIII. 18, & Iſaj. IX. 6.

XV. Quò tamen cepi, ut modo pergam, ab *Hadriano* Imp. perſecutionem initio paſſi Samaritani, poſtea Templo in Monte *Garizim* inſtaurato privilegiis adaucti referuntur anno M. 4560, ante Chriſtum 135. Sub *Antonino* perinde floruiſſe Samaritanorum res teſtes ipſimet in Chronico accedunt; afflictas fuiſſe ſub *Commodo* ab *Alexandro* Philoſopho, cui acris cum *Levi* Pontifice M. de Mundi Creatione diſputatio interceſſerat, incitato anno M. 4608, Chriſti 183. Fuit *Alexander* hic porro Philoſophus Ariſtotelicus, cognomento *Aphrodiſaeus* a patria Cariae Urbe Aphrodiſiade denominatus, Peripateticae Scholae Princeps, de quo praeclara multa congeſſit Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. II. Per. II. Par. I. lib. 1. cap. 2. ſect. 5. §. 13. p. 480. ſqq. Ob hanc diſputationem *Alexandrum* inter Atheos referre non dubitavit Reimmannus Hiſt. Theolog. Jud. lib. 1. cap. 17. §. 17. p. 552: qui deinde tamen ob praeclara de *Deo* ab eodem paſſim dicta, praeſertim in Comment. ad Ariſt. libros de Interp. ſect. 2, & in libello de *Fato*, ab hac illum macula profecto abſolvit; quin ab impacta eidem a Joh. Franc. Pico lib. de Providentia cap. 10, & a Paulo Jovio in Elogiis Viror. Doctor. n. 71. Atheiſmi labe defendit, & vindicavit in Hiſt. Atheiſmi cap. 27. §. 5. p. 189. ſqq. Sed & ſubleſtae fidei ſuſpectus Chronici Samaritani conſarcinator viſus eſt Bruckero Hiſt. Crit. Philoſ. T. II. Per. II. Par. I. lib. 2. cap. 1, de Philoſ. Jud. §. 10. p. 683. ſq., quod Mundum creatum negaviſſe *Alexandrum* parum veri fiat ſimile, neque ſimile veri ſit Samaritanae Gentis

Digitized by Google

Sacrificulum cum tanti Philoſopho nominis diſputatione congredi auſum fuiſſe; neque *Commodus* de Philoſophia fuiſſe curioſus unquam legitur; verique ſpeciem non habeat ob oppugnatam PhiloſophiamPeripateticam adeo in Samaritanos Imperatorem deſaevire voluiſſe. Samaritanorum perinde res peſſum ruiſſe ſub *Artaxerſe*, ipſis *Ardaſire* Babecide, qui anno M. 4658, Chriſti 233, Seleucidarum 545. Perſici Imperii compos factus, ſaevam in ipſos perſecutionem movit, periiſſeque denique ſub *Saladino*, a quo M. anno 5630, Aerae Chriſtianae 1185, Hegirae 583. capta Samaria eſt, legitur in eodem Chronico. Poſtrema ſub *Zenone*, perindeque ſub *Juſtiniano* fata ob graviſſimas ab ipſis Neapoli quammaxime, atque Caeſareae commotas in Chriſtianos tempeſtates, Samaritanos ſubiiſſe paullo ſuperius ex Baratierio nobis obſervatum eſt. Qui poſt Scaligerum etiam de Emend. temp. lib. 7. p. 662, atque Baſnagium Hiſt. Jud. T. II. Par. I. cap. 11. p. 241. in Not. ad Benjaminum p. 84. ſq. obſervat falſo ſcripſiſſe Benjaminum Itin. p. 83. carere Samaritanos litteris ה *He*, ח *Chet*, & ע *Ain*; quae Samaritano paſſim utique in Pentateucho occurrunt. Atque hactenus de celebrioribus ejuſdem Chronici Epochis, in quas turpes attamen paſſim irrepſiſſe errores Scaligero, Baſnagio &c. animadverſum eſt.

XVI. Praeter haſce vero celebres, aliae profecto, Judaeorum inſtar, queis Aera uſu fuit haud una, Samaritanis adhibitae Epochae ſunt, qualis omnium prima ab *Urbe* ipſa condita ab *Amri* Rege anno M. 3080, ante Chriſti natalem 921. III. Reg. XVI. 24, juxta Daudaeum in Prolog. S. Scrip. edit. Ven. T. I. p. LXII, vel M. anno 3790, ante Chriſtianam Aeram 924, juxta Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p. 37; qualis Aera *Seleucidarum*, qua ab *Antiochi* III. *Magni* aetate, ſub qua Syris Regio ſubjugata eſt, uti coepere, uſique deinceps ſunt, quandiu ſub Regum Syriae poteſtate fuerunt; & qualis *Hegirae*, quum primum ſub *Mohammedanorum* jugum miſſis ad hanc uſque diem ipſis uſurpatur, queis de ſuo infra loco. Ad haec triplex alia praeterea ipſis peculiaris fuit Epocha, prima ab *Autonomia* Urbi Samariae indulta ab *Antiocho* VIII. *Grypo* petita fertur; ſecunda ab Urbe ipſa Samariae a *Gabinio* reſti-

tuta,

tuta, & ab *Herode* amplificata; tertia ab *Autonomia* rurſus ſub *Zenone* ſibi armis a Samariae Incolis vindicata. A *Johanne Hyrcano* porro rerum apud Judaeos potiente *Samariam* ſolo aequatam Olymp. 165. anno 1, ante Chriſti natalem 120. ſcribit Euſebius in Chron. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 585. Quo loci annorum 16. prochroniſmum arguit Scaliger in Not. Euſeb.; e contrario ſexennio ante, ſive Olymp. 163. anno 2. id factum videtur Vallarſio ibid. in Not.; viciſſimque Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 359, ac Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 96, ſq. 98, & 100. ex Joſepho Antiq. Jud. lib. 13. verſ. Lauri cap. 16., non ante annum Aeram Chriſtianam antevertentem 110, Olymp. 167. annum 3. id contigiſſe contendunt. Nempe teſtis eſt Joſephus bello ſe mutuo duobus fratribus *Antiocho* VIII. *Grypo*, & *Antiocho* IX. *Cyziceno* atterentibus, amplum *Hyrcano* oppugnandi Samariam, Regibus Syriae tum obnoxiam, patuiſse oſtium: obſidione cinctos Samariae Cives ab *Antiocho Cyziceno* opem imploraſse, ſed Syris, Aegyptiiſque ſubſidiariis Copiis fuſis, ac profligatis, captam Urbem ſolo ab *Hyrcano* aequatam fuiſse. Ante hac attamen auctor eſt Porphyrius in Excerptis apud Scaligerum in Graecis Euſeb. p. 227. *Antiochum* VIII. *Grypum*, *Alexandro* II., vulgo *Zebina*, Syriae Rege acie ſuperato, Regnum Syriae occupaſse anno 3. Olymp. 164, qui fuit U. C. 633, ante Chriſtum 122, atque illud annis 8. pacifice tenuiſse. Inde igitur ab *Antiocho Grypo* Samariam *Autonomia* donatam, a Samaritanis autem in ejus gratiam novam eodem anno Epocham inſtitutam auguratur Noriſius de Epochis Syromaced. diſsert. 5. cap. 4. §. 4. p. 551, in Paraeneſi ad Harduinum T. III. Oper. edit. Veron. p. 1271. ſq., ex Nummo nempe *Neronis* in Regis Gall. Cimelio ſervato *Sebaſte* ſcalpto *Neronis* IΔ. anno 14, *Samariae* HΠP. anno 188, qui ductus ab anno U. C. 633. devenit in annum U. C. 820, *Neronis* 14: a quo nempe Samariam fuiſse reſtitutam, atque *Sebaſtem* in honorem *Auguſti* deinceps adpellatam opinatur: ab ipſoque perinde deceptus eſt Baſnagius Hiſt. Jud. T. II. P. I. cap. 7. p. 128. ſq. Fatetur tamen Vir doctiſs. Noriſius ex Nummo detrito in averſa epigraphe dubium admodum relinqui locum, ubi ſcalptus ſit. At enim dubitationem om-

 nem

nem demum ſuſtulit Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 982. ſq., edit. Norimb. p. 725. teſtatus ex ſimili *Neronis* Nummo integerrimo Theſauri Bodlejani a Joh. Maſſono ſibi communicato conſtare Nummum non *Sebaſte* utique, ſed *Caeſareae* fuiſse cuſum; litteris vero ΙΔ. *Neronis* quidem annum 14. notari; at in litteris ΗΠΡ. Urbis Epocham non latere, ſed eos partem facere vocis integrae ΗΠΡΟϹ *Prope*; unde Nummi integra Epigraphes ΚΑΙϹΑΡΙΑ ΗΠΡΟϹ ϹΕΒΑϹΤΩΝ Μ. ſic legenda ipſi videtur *Caeſarea prope Auguſtorum Templum Metropolis*. Ita eodem in *Neronis* Nummo pro *Samaria* legendum *Caeſarea Metropolis* vidiſse tam Harduinum, quam Vaillantium; atque in Nummis quinque Muſei D. Pellerinii *Caeſarea prope Portum Sebaſte*, ſive *Portum Auguſti* diſtincte Belleyum legiſse ſuperius advertimus. Ad haec ex Nummis *Sichem* cuſis recentiorem Urbis colligi Epocham laudato Relandus loco vidit, de qua infra. Accedit & illud, quod ſub *Nerone* cuſos Nummos antiquiore ab ea, quam ab Urbe a *Gabinio*, & *Herode* reſtituta, & in honorem *Auguſti Sebaſte* nuncupata deinceps, inchoarunt, Epocha obſignare Samaritanos voluiſse veri parum ſit utique ſimile.

XVII. Incerta hac itaque dimiſsa, non ſecus atque iſta, quae ab *Autonomia* Samariae indulta a *Pompejo* anno U. C. 691, ante Chriſti natalem 63, de qua Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 8, & de Bello lib. 1. cap. 16, inita fuiſse videri poſset, Epocha, indubiam prorſus alteram Samariae Epocham a Natali anno, quo a *Gabinio* inſtauratam Urbem, ab *Auguſto* deinde receptam, *Templo* reſtituto, moenibus undique munitam, aedificiiſque adauctam ejuſdem de *Auguſti* nomine *Sebaſtem* deinceps adpellandam *Herodes* ſtatuiſse legitur apud Joſephum; eamque cum anno U. C. 729, ante Chriſtianam Aeram 25. incepiſse cum Uſserio in Annal. Vet. Teſt. p. 551, & Vaillantio decernit, & ex Nummis deſumpſit Noriſius cit. diſsert. 5. cap. 5. §. 1. p. 556. ſqq., conſentiuntque Relandus loco cit., & Baſnagius Hiſt. Jud. lib. 2. cap. 5. §. 20. p. 106. ſq. Enim vero Joſephus Antiq. Jud. lib. 15. cap. 10. verſ. Lauri, & de Bello Jud. lib. 1. cap. 16. teſtis accedit *Sebaſtem* anno 13. Regni *Herodis* ab eo moenibus amplificatam, novam velut exſurgere Urbem viſam fuiſſe: quos *Hero-*

Digitized by Google

Herodiani Regni annos, non utique a Triumviris primum anno U.C. 714. accepti, ſed ab *Antigoni* Judaeorum Regis obitu, anno U.C. 717. exorſus Joſephus intelligendus eſt. Nam alioqui ſi annos 13. illos ab anno U.C. 714. injiſſet, annus poſtremus 13. cum Praefectura Aegyptiaca *Aelii Galli* concurriſſet, ideſt cum anno U.C. 726, non vero *Petronii*, quo in Aegypto Praefectum agente, *Sebaſtem* conditam idem adfirmat; qui Dione lib.53. teſte anno U.C. 728. in Aegyptum miſſus fuit. Nummi porro *Commodi* in Regis. Gall. Gaza ſervati, *Sebaſte* ſcalpti cum Nota CIE. anni 215, alterque cum Nota L. CIς. anni 216, alter item *Juliae Domnae Severi* conjugis cum nota L. CK. anni 220. indicio ſunt certo ejuſmodi *Sebaſtenae* Epochae. Nam ab anno U.C. 729. numerati anni 215, & 216. exeunt in Autumnum anni U.C. 943, *Commodi* 11, & 944, *Commodi* ultimum. Inde igitur erroris arguit Noriſius Euſebium, quod in Chronico ad an. 3. Olymp. 190, U.C. 736. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 628. hoc anno *Sebaſtes* Epocham conſignarit; ſeptennio nempe tardius eam ſtatutam ab Euſebio ex cit. Nummis *Commodi*, non vero quadriennio tantum, uti ſcripſit ibid. in Not. Scaliger, oſtendens. Harduinus tamen de Num. Herod. p. 348, in Chron. Vet. Teſt. p. 616, & in Hiſt. Aug. p. 698, 723, 739, 791. ſq., & 796. etſi det Noriſio recte a Joſepho ad annum 13. *Herodis*, U.C. 729. referri *Sebaſtes* aedificationem, Urbis Epocham tamen biennio anticipandam, & ab anno U.C. 727. repetendam inde contendit, quod ea ſit Epocha *Auguſtana* in Nummis *Sebaſte Neroni* cum notis HP. anni 108, ΘP. anni 109, L. Θ. anni 9, L. I. anni 10, L. IA. anni 11, & *Domitiano* cum nota L. ΘP. anni 109: ex quibus arguit Sebaſtem tum inhabitatam Graecis, Latiniſque fuiſſe, quibus ſua viciſſim in Nummis Aera adhiberetur, ſcalptis ſignata, quam ab anno U.C. 727. ducendam docet Cenſorinus de Die Nat. Caeterum ab *Herode Sebaſtem* Coloniam ſexmillium Syro-Graecorum deductam fuiſſe, Templumque ibidem *Auguſto* dedicatum ex Joſepho Antiq. lib. 15. cap. 11, & de Bello Jud. lib. 1. cap. 16. liquido adverſus Harduinum oſtendit Noriſius in Paraeneſi ad Hard. Oper. T. III. edit. Veron. p. 1273, ſq. Sub *Nerone* ſeditione

tione commota, *Samaria* incendio abſumpta, Joſepho teſte de Bello Jud. lib.3. cap.12, novis Colonis deductis inſeſſa eſt. Sed Idololatriae dediti hi Inquilini *Commodo* Nummos *Bacchi* myſteriis inſculptos dedicare non dubitarunt. Novis Colonis ſub *Severo* adaucta *Samaria* Nummos *Coloniae* titulo notatos eidem inſcripſit. Sub *Zenone* denique Aerae Chriſtianae anno 484, e Romani jugo Imperii, Rege eo ipſo, qui Pontificem apud ipſos agebat, ſibi adſcito *Baba Raba*, redimere ſe ſe, priſtinamque in libertatem Samaritani tentarunt, ut habent Albuphaetaeus in ipſorum Chronico, & Abulſaragius Dynaſt. VII. p.93: quo a tempore nova *Samariae* Epocha exorta videri poteſt. Videndi Baronius ad annum 530. n. 16. ſqq., & Pagius ibid. n. 12. ſqq. Sed enim a *Zenone* domitis, eque Monte *Garizim* expulſis Incolis, Templum ibidem *B. Virgini* dedicatum, Chriſtianiſque colendum eſt traditum. Sub *Juſtiniano* rurſus Gens quietis impatiens, inque Chriſtianos fera nova ſeditione commota, Rege altero *Juliano Ben Sabari* nomine anno 530. ſibi creato, in vetus ſe redintegrare Jus auſa eſt, referentibus Auctore Chron.Alex. p.335. edit. Pariſ., Ven. p.267, & S. Cyrillo in vita S.Sabbae, qui magnas pro Chriſtianis eo in negotio partes apud Juſtinianum peregit, apud Surium T.VI. ad diem 5. Decembris, & apud Cotelerium Monum.Eccl.Graecae T.III.p.339. ſqq.: quo perinde ab anno poſtrema Samariae Epocha petenda videtur. Nam a *Juſtiniano*, ac deinde a *Juſtino* Samaritanorum res adeo depreſſae ſunt, eoque depoſitae ſtatu, ut ab ea deinceps aetate redintegrari ad hanc diem nequiverint. Videndi Procopius de Aediſ. Juſtin. lib.5. cap.7. Byzant. T. II. p.104. edit. Ven. p.465. ſq., ac *Juſtinianus* ipſe Novel. 129. p.572, & Novel.144. p.610, ac in Nomocan.Photii apud Balſamonem p.71.

XVIII. Celebrem inter Montem utrumque Judaeis *Hebal*, Samaritanis *Garizim* jacens *Sichem* Urbs, Refugii olim Joſue XXI. 2, ab *Abimelecho* deleta Jud. IX. 45, a *Jeroboamo* I. inſtaurata, Urbſque Regia facta III. Reg. XII. 25, *Alexandri* M. aetate Samariae Metropolis fuit, Joſepho teſte Antiq.lib.11. cap.8. *Sichar* etiam dicta eſt Joh. IV. 5. a voce vel

סיכר

סיכר *Sepulchro*, uti Lightfooto in Chonogr. ad Joh. IV. 5. §. 4. Oper. T. II. p. 586, Munſterum ſequuto, viſum eſt, ob ſepultos illic duodecim Patriarchas; vel a סיכר *Fonte* apud Thalmudicos in *Bava Kama* fol. 82. côl. 2, & in *Menachoth* fol. 64. col. 2. celebri, & Joh. loc. cit. memorato; vel a שקר *Mendacio*, uti cenſet Relandus in Diſſert. de Monte Garizim p. 144; vel a שכר *Mercenario*, vel a שכר *Ebrioſo*, in Gentis inviſae contemptum apud Lightfootum in. Harm. ad Joh. loc. cit. T. I. Oper. p. 461. ſq.; cum *Mamortha* Plinio lib. 5. cap. 13; cum *Mabartha* Joſepho de Bello lib. 4. cap. 26. confuſa, de qua Relandus in Diſſert. de Samar., cum *Samaria* tamen non confundenda, uti fecere S. Hilarius in Pſal. LIX. Oper. edit. Ven. T. I. p. 121, (quamquam in Regio Codice legi *Sichima in Samaria eſt* notavit ibidem Maurinus editor), Stephanus de Urb. p. 279, caſtigatus ideo ab Ortelio, & Holſtenio in Not. ad Steph. de Urb. p. 279, & 286, Baronius ad an. 536. n. 19., & Baudrandus in Lex. Geogr. T. II. p. 156, qua de re Cellarius in Collect. hiſt. Samar. cap. 1. §. 11. p. 6. ſq., Buno in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap. 21. p. 596, Buxtorfius in Lex. Thalm. p. 1369, & Cotovicus Itin. Hieroſol., & Syriac. lib. 3. cap. 4. p. 338. ſq. A *Joh. Hyrcano* deleta, & a *Veſpaſiano*, non ab *Herode*, velut Abulfaragio Dynaſt. p. 70, & 93, Villelmo Tyrio de Bello Sacr. lib. 12. cap. 13, aliiſque viſum eſt, inſtaurata deinceps *Neapolis* dicta eſt, de qua Buxtorfius in Lex. Thalm. V. נפל, & *Flavia Neapolis* de *Veſpaſiani* cognomine *Flavii*, deque *Aurelii* nomine deinde *Aurelia* nuncupata, atque Syris, Graeciſque inhabitata eſt, velut oſtendunt Nummi *Fauſtinae*, & *M. Aurelii* cum *Fortunae*, & *Dianae* imaginibus ſcalpti apud Triſtanum T. I. p. 193, & Noriſium T. II. p. 542, de quibus mox, videnduſque Cellarius Hiſt. Samar. p. 9. Tergeminam jam vero iſtius Urbis Epocham in Nummis deprehendere licuit, ab eo primam anno, quo inſtaurata Urbs de *Veſpaſiani*, atque *Titi* familia *Flavia Neapolis* denominari cepit, anno ideſt U.C. 823, Chriſtianae Aerae 70. Nempe quatuor in Nummis *Fauſtinae*, & *Caracallae Neapoli* ſcalptis notati conſpiciuntur anni ΠZ. 87, ΠH. 88, ΠΘ. 89, ϛ. 90, quos ab anno U.C. 823. numeran-

randos Noriſius de Epoch. Syrom. diſſert.5. cap.5.§.2.p.563. ſqq. contra Harduinum contendit, eique conſentit Relandus Palaeſt. illuſt. lib.3.p.1005, edit. Norimb. p.742. Aſt viciſſim Harduinus in Chron. Vet.Teſt. p.638. eodem, quo Noriſius, anno U.C. 823, Chriſti 70. ab Autumno incepiſſe *Neapolis* in Samaria Aeram ſtatuit. Idem vero de Num. Herod. p.333, & 349, & Hiſt.Aug. p.741. ex duobus Nummis a Spanhemio p. 769. perperam *Tito* tributis, *Domitiani Neapoli* ſcalptis cum Notis L.Z. hoc eſt anno 7, & AI, ideſt anno 11, Aerae *Neapolitanae* nempe, quem *Domitiani* fuiſſe annum 1. inde oſtendit, quod in quatuor aliis, aut quinque *Antonini Pii* Nummis Aerae *Neapolitanae*, non ejuſdem Imperii annos notari evidens fiat, valdequam veriſimiliter arguit *Neapolitanae* Aerae annum 1. ſtatuendum eſſe anno 71. Aerae Chriſtianae Autumno ineuntem. Hancce demum Aeram *Flavianam* in Nummis *Neapoli* ſcalpi deſiiſſe ſub *M. Aurelio*, *Commodi* Patre cenſet Vir doctiſſ., ex quo nempe de *M. Aurelii* nomine in Nummis inſcribi *Neapolis Aurelia* cepit; Noriſiumque reprehendit, quod de *M. Aurelii Antonini Caracallae* pronomine in Nummis cognominatam *Aureliam* aeſtimarit; de iſtius *Antonini Caracallae* nomine *Antoninianas* dictas in Nummis Urbes fuiſſe, velut Amaſiam, Ancyram, & Tarſum; *Aurelias* vero nuncupatas Urbes de nomine dumtaxat *M. Aurelii*, *Commodi* Patre, uti Charras, & Carthaginem, contendes; Alexandriam interea de gemini Auguſti *M. Aurelii*, & *Antonini Caracallae* nominibus dictam *Aureliam Antoninianam* obſervans; non ſecus atque *Neapolim* in Samaria a duobus Auguſtis *Flavio*, & *Aurelio* duplicem *Flaviae*, & *Aureliae* praenomen habuiſſe dictum eſt. Verum *Neapolim* jure Civitatis antea a *Septimio Severo* diminutam, eodem a *M. Aurelio Antonino Caracalla* deinde redintegratam, Spartiano in *Severo* capp.9, & 14, ac in *Caracalla* cap. 1. teſte, in beneficii memoriam Epocham inſtituere novam voluiſſe veri perquam ſimile videri poteſt. In Nummis poſt haec nonnullis *Juliae Domnae*, *Elagabali*, *Voluſiani* &c. apud Vaillantium, ac Relandum loc. cit., Mediobarbum p. 314, & Harduinum p.120. epigraphe legitur *Col. Sebaſte*, vel

vel *Col. Neapol.* A *Severo* namque Coloniam in hancce fuiſſe Urbem deductam adfirmat Ulpianus L. 1. ff. *De Cenſibus*; in Nummis quin etiam *Otaciliae*, & utriuſque *Philippi Neapoli* cuſis *Col. Servii Galbae Neapolis* inſcripta Urbs legitur, & *Aeſculapii*, ac *Hygiae*, *Salutis* Deae ſcilicet, effigies exhibetur, quod nempe a *Philippo* ea reſtituta Colonia fuiſſet. Quin imo nonnullis aliis in Nummis *Philippi* utriuſque inſcripta praeterea legitur Urbs *Col. Neapoli. Neocopo.*; atque conſpicitur in Garizim cacumine aut *Templi* effigies, aut *Sileni*, aut *Cybelis* duobus *Leonibus* cinctae, aut *Lupae*, aut *Aquilae*. *Neocorea* itaque Urbs facta inde aliam inſtituiſſe ſub *Philippis* Epocham videtur in *Philippi* utriuſque honorem, a quo duplici nempe *Coloniae*, & *Neocoriae* beneficio fuerat cumulata.

XIX. Ab *Herode* ſimiliter *Turrem Stratonicam* in honorem *Caeſaris* hoc de pronomine *Caeſaream*, quae cum *Sebaſte* peſſime a Pancirolo confunditur, nuncupatam fuiſſe refert Joſephus Antiq. Jud. lib. 15. cap. 12, & de Bello Jud. lib. 1. cap. 16: cujus nunc de Epocha nobis incidit ſermo. Erratum porro in Novellae 103. *Juſtiniani* praefatione, in qua *Veſpaſianus* Stratonis Turrem a ſe *Caeſaream* adpellaſſe dicitur, quod in Palaeſtinae partibus *Caeſar* adpellatus ipſe fuiſſet, adnotarunt pridem Viri docti apud DuCangium in Not. ad Chron. Paſch. edit. Ven. p. 436; erroremque facile ex Joſephi loc. cit. concidere prorſus oportet; junctis *Agrippa* ipſo in Epiſtola ad *Cajum*, & S. Hieronymo ad Matth. xvi, id ipſum de *Caeſarea* ex *Caeſaris* nomine ab *Herode* nuncupata teſtantibus apud Relandum Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 671, edit. Norimb. p. 500, junctiſque Plinio lib. 5. cap. 13, Ammiano Marcell. lib. 16. cap. 26, aliiſque *Herodi* hanc ipſum Urbis nuncupationem ultrocitroque adſcribentibus apud Cellarium Geog. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. §. 94. p. 440. ſq. Quia tamen Romana Colonia a *Veſpaſiano* facta Urbs fuit, inde fieri potuiſſe, ut ideo de *Veſpaſiani* Caeſaris deinceps pronomine Juſtiniano eo loci adpellanda viſa fuerit, veluti Schwartzius interpretatur in Not. ad Cellarium ibid. Jam vero *Herodis* Regni anno 22. conditam Urbem de *Caeſaris* nomine *Caeſaream* dictam ſcribit Eu-

 ſebius

ſebius in Chronico ad annum 1. Olymp. 192. Oper. S. Hieronymi T. VIII. p.629; eique conſentit Auctor Chron. Alex. p. 183. edit. Pariſ., Ven. p. 155. Euſebium ait enim de octennii metachroniſmo reprehendere audacter Scaliger, improbo pro more, ingenioque peſſime interpretandi, non dubitat, ideo quod a Joſepho loco ind. opus illud ad *Herodis* annum 16. circiter referatur. Verum Joſepho, qui deinde lib. 16. cap. 9, edit. Lauri cap.5. ab *Herode* Regni anno 10. aedificatam Urbem tradit, quod nonniſi de incepto proinde opere intelligi poteſt, ac debet, contrarius Euſebius non eſt, qui de completo plane loquitur aedificio, prout rite utrumque compoſuit Vallarſius in Not. ad Euſebium p. 630. Verum triplex heic error, qui numerales in Notas verſionis Lauri irrepſit, emendandus opportune ex ipſo Joſepho venit. Is enim Antiq. Jud. lib. 15. cap. 12. ſcripſerat *Herodis* Δωδεκάτῳ χρόνῳ anno 12. *Caeſaream* condi ceptam: non igitur condi cepit anno Δεκάτῳ, uti legitur lib.16. cap. 5, alias 9. tam in Editis, quam in MSS. Neque completa Urbs fuit *Herodis* anno 18, Olympiade 292, uti perperam habet verſio Petri Lauri, bene vero anno *Herodis* octavo ſupra viceſimum, Olympiade 192, ut habetur in Mſs. Mediceis: ideoque *Caeſarea* aedificari cepta anno U. C. 730, ante Chriſti natalem 24, *Herodis* anno 12, completa demum eſt Olympiade 192, *Herodis* anno 28, U. C. 742, ante vulgarem Aeram 12: qua de re adeundus Noriſius in Cenotaphiis Piſan. diſsert. 2. cap. 6. Oper. T. III. edit. Veron. p. 238. ſqq. Varii extant Nummi veteres hujus Urbis apud Vaillantium p. 3, 7, 10, 12. ſq., 15. &c. *Auguſto*, *Cajo*, *Claudio*, *Neroni*, *Commodo*, *M. Aurelio* inſcripti, & apud Harduinum Num. illuſt. p. 39, Num. Herod. p. 330. ſq., & 337, & in Chron. Vet. Teſt. p. 618, 633, & 637. cum epigraphe ΚΖ. ΝΙΚΗΣ *Anni* 27. *Victoriae*, & ΛΚ. 38. in Nummis *Auguſti*, qua nempe victoria Aſia, non de Parthis, iſthaec enim *Julio Caeſari* adſcribenda eſt, ut Harduino excidiſse credo, ſed de *Antonio* ad Actium devicto ab *Auguſto* recuperata eſt; vel cum inſcriptione *Claudia*, ac nota Γ. anni 3, in Nummo *Claudii*, vel cum exergo Ασυλου, *Aſylo Sacra* in Nummo *Caji Germanici*, vel cum Nota L. ΙΔ, *Anni*, (Littera porro

porro L. puncto a ſequentibus diſtincta litteris Annum denotari jam convenit inter Doctos, ea namque littera L. Latina potius pro Λ. Graeca adſumpta indicatur Λυκάβαντος, quo Annum veteribus Graecis adpellatum nomine teſtis accedit Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 17; qua de re Harduinus Num. illuſt. p. 138, Noriſius de Epochis Syromaced. diſſert. 4. cap. 1. Oper. T. II. edit. Veron. p. 383. ſqq., ubi Scaligerum de Emend. Temp. lib. 3. p. 452, & in Not. Euſebianis 2194. littera L. in Nummis *Luſtrum* ſignificari opinatum late refellit, (quod ante ipſum Petavius Doctr. Temp. lib. 11. cap. 20. praeſtiterat, obſervans in Nummis *Neronis*, & *Antonini Pii* legi L.I., L. IΓ, & L. IΔ. 10, 13, & 14, qui numeri in Luſtris habere locum nequeunt), argumento ducto ex Gruteri Inſcript. p. 1036. n. 9, ubi Λυκαβάντα diſerte legitur; ex Codice Mediceo 14. in Pluteo 28. de Aſtronomia, ubi p. 13. L. littera indicari Ἔτη, ideſt Anni dicuntur, qui Codex juris olim Joh. Pici Mirandulani fuiſſe, dein Angeli Politiani legitur, & ex Nummis *Vitellii*, & *Othonis*, in quibus L.A. non niſi annum 1, quo uterque imperavit, deſignari oſtendit, multiſque aliis, quae perſequi non eſt opus; qui denique Caſauboni, & DuCangii opinionem explodit, qua putant L. in Nummis haud litteram eſſe, ſed notam Διπλῆς, qua priores litterae a poſterioribus diſtinguantur; videndus etiam Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Jobertum Scient. Num. T.II. edit. Ven. p. 326; ita quoque eadem littera Graeca L. inverſa, ſive reſupina ſignificari Annum plerique autumant: licet hac littera reſupina Διπλῆς figuram praeferente uſos fuiſſe Veteres pro Nota diſtinctiva priorum a verbis poſterioribus obſervat Noriſius de Epoch. Syromaced. diſſert. 4. cap. 5. §. 5. Oper. T.II. p. 477, qua de re S. Iſidorus Orig. lib. 1. cap. 21.), *Anni*, inquam, 14. in Nummo, non utique *Domitiani*, uti credidit Harduinus, ſed *Neronis*, velut ex tribus aliis poſt Noriſium in Paraeneſi ad Harduinum T.III. p. 1281. ſq. oſtendit Bimardus; ex Nummiſque Muſei Pellerinii aliis oſtenſum dediſse Belleyum ſupra vidimus; aut cum Nota EKP. *Anni* 125. in Nummo *M. Aurelii*, vel cum Nota PΛΘ. *Anni* 139. in Nummo *Commodi*. Hinc Epocham *Caeſareae* ſe primum detexiſſe, ac dupliccm quidem gloriatur Harduinus, primam ab

Auguſti Victoria ad Actium de *Antonio* reportata, ſive ab *Aſia* recepta Autumno anni U. C. 723, ante Chiſti natalem 31; alteram a *Claudii* anno 1. Imperii, quo *Colonia Claudia Germanicia* de *Claudii*, & *Caji Germanici* fratris nomine *Caeſarea* dici ceperit, anno Aerae Chriſtianae 42, U. C. 795. Nam ab anno 42. Chriſti ducti anni 3. in Nummo *Claudii* ſunt in eadem Aera Chriſtiana 45, Imperii *Claudii* 5; anni 14. in *Neronis* Nummo incidunt in Chiſti annum 55, *Neronis* 2; anni 125. in Nummo *M. Aurelii* deſignant in Aera Chriſtiana annum 166, *M. Aurelii* 6; & anni 139. in *Commodi* Nummo ſunt Chriſti 180, *Commodi* 1: qua de poſteriori Epocha poſtea, quum de Syrorum Epochis nobis ſermo erit.

XX. Sed enim ante hac, anno hoc eſt U. C. 691; ante Chriſti natalem 63. a *Pompejo Autonomia* fuiſſe donatas Palaeſtinae Urbes inter alias *Hippum*, *Pellam*, *Scythopolim*, *Dioſpolim*, *Samariam*, *Azotum*, *Gazam*, *Mariſſam*, aliàs *Marethuſam*, *Joppem*, *Doram*, *Jamniam*, ac *Turrem Stratonicam*, ab *Herode* deinde *Caeſaream* dictam, auctor eſt Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 8, & de Bello Jud. lib. 1. cap. 16. verſ. Lauri. Unde augurari fas eſt alteram pridem Epocham *Caeſareae* uſurpatam fuiſſe, communem Urbibus illis utique eadem ſimiliter *Autonomia* donatis. Sed & poſthac altera plane *Caeſareae* admitti Epocha debet, ac praeter *Auguſtaeam* a pugna *Actiaca*, ſive ab *Aſia* recepta U. C. anno 723, de qua ſuperius, altera ab eo deſumpta anno, quo a *Veſpaſiano Colonia*, & a *Tito Libera* denuntiata eſt. Videlicet *Caeſarea*, ubi necatis antea Judaeis, Gentiles, qui eam incolebant, ſumma rerum potientes egregiam contra Judaeos Romanis operam navaverant, idcirco a *Veſpaſiano* Imp. *Colonia* facta fuerat, immuniſque a Cenſu Capitis, & Poſſeſſionum, uti Paullus L. ult. ff. *De Cenſibus* teſtatur hiſcè verbis: *D. Veſpaſianus Caeſarienſes Colonos fecit, non adjecto, ut & Juris Italici eſſent, ſed Tributum bis remiſit Capitis. Sed D. Titus ſolum etiam immune factum interpretatus eſt.* Ante ipſum vero Plinius lib. 5. cap. 14. auctor eſt a *Veſpaſiano* Colonia deducta *Caeſaream* ejus de nomine *Coloniam primam Flaviam* fuiſſe nuncupatam. Quo loci obſervat Cujacius Obſervat. lib. 10. cap. 35.

ex Coloniis alias *Italicas* fuiſse, alias *Provinciales*, illaſque quidem *Immunes* vulgo aeſtimari, non etiam iſtas, niſi Jure *Italico* donatae eſsent; Jus vero *Italicum* Tributorum eſſe *Immunitatem*: quod ipſe negat, ſiquidem Colonia haec *Caeſareaenſis*, Provincialis etſi, *Veſpaſiani* tamen beneficio fuerit *Immunis*, quin tamen Jure quoque *Italico* fuerit inſignita: unde Plinio lib. 3. capp. 3, & 21. Civitates, & Colonias *Immunes* diſtingui ab iis, quae Jus haberent *Italicum* advertit, pluſque eſſe *Immunem* Civitatem eſſe, aut *Coloniam*, quam habere Jus *Italicum*, quod ſua opinione non ſit aliud, quam levatio Cenſitionis. Contra Cujacium vero Bynkershoechius Obſervat. Jur. Rom. lib. 5. cap. 21. Oper. T.IV. p. 73. ſq. contendit Jus *Italicum* omnino praeſtitiſſe *Immunitatem* ab oneribus, quae alioqui *Provincialibus* indici ſolebant quoad Capita, & quoad Fundos; eaque ratione Jus *Italicum* Provinciali opponi; velut etiam docuere Sigonius de Antiq. Jure Ital. lib. 1. cap. 21, Pancirolus Var. Lect. lib. 2. cap. 152, & Turnebus Adverſar. lib. 9. cap. 15. Sicut autem Perſonis quibuſdam, etſi non Civibus Romanis, Civium tamen Romanorum *Immunitas* ſaepe conceſſa legitur, velut ab *Auguſto* apud Svetonium lib. 2. cap. 40., ita quibuſdam Coloniis, etſi Provincialibus, neque Juris *Italici*, *Immunitas* tamen indulta eſt. Neque magis cum Harduino Antirrhet. p. 135. ſqq., & Joberto Scient. Num. Inſtr. xı. p. 250. cum Jure *Latii* confundi debet Jus *Italicum*, quod illo longius patebat: quae duo *Jura* diſerte Plinio lib. 3. capp. 3, & 21, & Aſconio Pediano in Cicer. Orat. Piſon. p. 156. diſtinguuntur. Neque Jus *Latii* erat *Immunitas* a Tributis, ac Jus in *Legione* Romana inſerviendi, ſed erat Jus, dum Romae eſſent, ſuffragia in aliqua Tribu ferendi, uti liquet ex Dionyſio Halicar. lib. 8. p. 540, & T. Livio lib. 25. cap. 5; Jus item exercendi Magiſtratum in Provincia, ac ita Romanam Civitatem adipiſcendi, uti liquet ex Aſconio Pediano loco cit., & Appiano de Bello Civ. lib. 2. p. 443, ac Strabone lib. 4. p. 187. Caeterum etſi *Latii* Jure donatae Urbes *Stipendiariae* deinceps eſse deſinerent, velut erant *Provinciales*, Tributum tamen *Ex Formula* dictum ſolvere, Militeſque *Socios* denominatos ſuppeditare debebant; qua de re larga ma-

nu

nu Lipſius de Milit. Rom. lib. 1. Dialogo 7. Jus vero *Italicum*, quo cum Civitate Romana, Sociali bello confecto, a *Sexto Julio Caeſare* primo Italia *Ciſpadana* anno U. C. 664, ante Chriſtum 90, poſtea anno U. C. 705, ante Chriſti natalem 49, (quo ipſo anno *Syro-Macedonum* Epocha a die 24. Septembris incipit, & poſt quem proximo, ideſt Chriſti 48, ab Octobri cepit Aera *Antiochena*), Italia quoque *Tranſpadana* donata eſt, de quo Pighius Annal. Rom. T. III. p. 433, quod Jus *Italicum* Alpium poſtremo Maritimarum Incolis anno U. C. 816, Chriſtianae Aerae 63. a *Nerone* pariter indultum fuit, Immunitas erat a Tributo Capitis, & Soli, ab *Auguſto* primum indicta, de qua paſſim in Digeſt. Tit. *De Cenſibus*; ac videndi Sigonius de Antiq. Jure Ital. lib. 1. cap. 21, & Spanhemius Orb. Rom. Exerc. 1. cap. 9, & Exerc. 2. cap. 19. Cui Juri aliud adceſſit ferendi cum aliqua Tribu conjunctim ſuffragia; quique centum mille Seſtertia poſſideret, Decurionem agendi in Patria, quique Seſtertia quadringenta millia haberet, Equitem Romanum evadendi, Plinio referente lib. 1. Epiſt. 10, & 14. Inter *Colonias* itaque, quae a *Municipiis* in eo differebant, quod iſta generatim Civitate Romana gaudebant, adeo ut in aliqua Tribu ſuffragia ferendi hiſce facultas ineſset, inter *Colonias*, inquam, quibuſdam Jus *Latii*, velut *Hiſpaniae* univerſae a *Veſpaſiano*, Plinio teſte, indultum legitur; quibuſdam vero Jus etiam *Italicum*, veluti *Caeſareae*, qua de loquimur, videndique de aliis Plinius lib. 4. cap. 10, Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 18, ubi Judaeos a *Cajo Julio* Caeſare *Eleutheria* donatos, a Cenſu item Capitis, ac Soli liberatos, a Militia inſuper, Militumque hybernis exemptos referens, eoſdem indidem Cives Romanos, Romana ideſt Civitate inſignitos, adfirmare non dubitat; Ulpianus lib. 50. ff. *De Cenſibus* L. 1, ubi inter Colonias Jure *Italico* cohoneſtatas adnumerat *Tyrum*, *Berythum*, *Heliopolim*, *Laodiceam*, *Ptolemaidem*, *Emeſam* &c., Syriae-Caeles, & Phoenicis Urbes omnes; idem Ulpianus iterum, & Celſus eodem lib. 50. ff. *De Cenſ.* tit. xv, ubi Colonias alias Juris *Italici* memorant; Heineccius Antiq. Rom. edit. Ven. T. I. Adpend. lib. 1. cap. 2. ſq. p. 342. ſqq., atque Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Joberti Scient. Num. Inſt. xi. T. II. p. 181. ſqq.,

ſqq., ubi pluribus adverſus Harduinum, & Jobertum egregie diſputat. Verum hoc de Jure *Latii*, & *Italico*, deque alterutro Coloniis, Municipiis, ac Provincialibus collato, pro illuſtrandis Urbium praeſertim Aſiae, Syriae &c. Epochis ſeq. Art. ſermo nobis inſtituendus erit.

XXI. Juxta haec itaque in Nummis *Caeſareae* in Palaeſtina percuſſis apud Triſtanum T. II. p. 168, Occonem p. 339. ſq., Holſtenium in Not. ad Stephanum de Urb. p. 154, & Harduinum p. 39. ſq. haec legitur Epigraphe: *Col. Caeſaria Lib.* ΦΛΑ. cum Nota L. Iβ, ideſt *Colonia Caeſarea Libera, Flavia* anno 12, ut in Nummo *Titi*; aut *Col. Pr. Flav. Caeſarea*, hoc eſt *Colonia Prima Flavia Caeſarea*, ut in Nummis *Trajani*, *Hadriani*, *Antonini Pii*, *M. Aurelii*, *L. Veri*, *Peſcennii*, *Caracallae*, *Macrini*, *Diadumediani*, *Elagabali*, *Alexandri Severi*, *Trajani Decii*, *Hoſtiliani*, *Treboniani*, *Voluſiani* &c.; aut *Col. P. F. Ant. Aug. Caeſarea*, ideſt *Colonia Prima Felix Antoniana Auguſta Caeſarea*, ut in Nummo *Antonini Severi*, ulla tamen abſque nota Aerae, ſeu anni, quae ſolo in *Titi* Nummo adparet, in quo anni 12. notati ab anno 2, quo *Titus* imperare deſiit, Aerae Chriſtianae 81, retroducti in Chriſti annum 69. incurrunt, quo a *Veſpaſiano*, Imperio inito, *Caeſareae* Jus *Italicum* tributum vidimus. In hocce Nummo tamen Harduinus Antirrhet. loc. cit., & Jobertus Scient. Num. T. I. p. 327. Aerae *Flavianae* annum 12, ab eo, quo primum *Veſpaſianus* Imperium adeptus eſt, ineundae, notari contendunt; eamdemque *Flavianam* notari Aeram in Nummo *Domitiani* obſignato litteris IΔ. anno 14. cenſet Harduinus. Verum Nummum hunc *Domitiano* tributum ab Harduino *Neroni* reſtituendum ex tribus aliis Nummis, Regiae Gazae uno, geminoque altero Cimelii Domini Le Bret invicte oſtendit Noriſius in Paraeneſi ad Hard. p. 1281. ſq., Bimardus de la Baſtie in Annot. ad Jober. T. II. p. 295. ſq., ac Belleyus Mem. Acad. Inſcrip. T. XXV. p. 440. ſqq., quo proinde in Nummo *Flavianae* Stirpi anteriori *Flavianam* obſignari Epocham nequiviſſe inde fit evidens. Neque etiam in Nummo *Titi* annum 12. notatum ad *Flavianam* referendum Aeram idem Duumviri doctiſs. par contendit, ideo quod eadem poſtea.

ſtea Epocha in poſteriorum Imperatorum Nummis praetermiſſa ſit. Praeterea in Nummis ſive *Neronis*, ſive *Titi*, non Φ. *Flavii*, ſed Θ. litteram obſignatam legi ex fide Viri Cl. Oudineti Regiae Pariſ. Gazae Cuſtodis refert Noriſius in Paraen. cit. p. 1282. Fruſtra quoque littera P. Caeſaream *Primam* adpellatam opinari Harduinum, ideo quod primae Legionis Milites Colonos habuerit oſtendere pergit Noriſius p. 1284. ſqq. Namque Svetonius auctor eſt in *Auguſto* cap. 3. a Regibus ejuſdem amicis, Sociiſque, ac ſingulis in ſuo quibuslibet Regno *Caeſareas* ejus in honorem fuiſse conditas: atque ita certatim ab *Archelao* Cappadociae Rege *Caeſaream* ad Argaeum; a *Juba* Rege Mauritaniae alteram ad Mare *Caeſaream*; aliam ad Euphratem ab *Antiocho* Rege Commagenae; atque hanc ab *Herode*, qua de lis eſt: quarum quae prior condita fuerit, in obſcuro latet. Adhaec Tacito teſte lib. 3. Legio I. in Donnenſibus Caſtris in Germania anno U. C. 822. *Vitellium* ſalutavit Imperatorem, eodemque anno in Italiam ducta in praelio apud Cremonam laevo in cornu contra *Veſpaſiani* Exercitum Autumno incumbente pugnavit. Quò fit, ut primae Legionis Milites a *Veſpaſiano* tamquam de ſe benemeriti Coloni *Caeſaream* deduci nequiverint, qui potius velut hoſtes *Veſpaſiani* juſſu per Illyricum diſperſi fuiſse leguntur apud Tacitum loc. cit. Itaque in Nummis illis non ΠΡΟΤΗ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, ſed legi ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, ideſt non *Primae Auguſtae*, ſed *ab Auguſtis* debere contendit: (verius tamen legendum aut cum Relando *Prope Auguſtorum Templum*, aut magis cum Abb. Belleyo *Prope Portum Sebaſte*, ſive *Portum Auguſti*, ſupra vidimus). Ita exploſa *Flaviana* hac Aera, *Claudianam* deinde, & *Germanicam* alteram *Caeſareae* Epocham ab Harduino inductam Noriſius confodere pergit in Paraeneſi ad Harduinum p. 1288. ſqq. Nempe in Nummo *Herodis* non ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ legi, ſed ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ *Claudio Caeſari* obſervat cum Toinardo; falſoque ab Harduino ſcribi *Caeſaream* ab *Agrippa Herodis* filio ſub *Claudio*, & *Cajo Caligula* fuiſse amplificatam, atque utriuſque de nomine *Claudiam*, & *Germanicam* fuiſse nuncupatam. *Caeſarea* namque ſub priori *Herode* perfecta fuerat, ac praeterea

terea ſub *Herode* Tetrarcha Galilaeae, *Caeſarea* a Procuratore Caeſaris adminiſtrabatur. Denique in Nummis *Claudii Caeſaream* non Palaeſtinae, ſed Cappadociae, & in Nummis *M. Aurelii* Caeſaream *Germaniciam Commagenam* in Euphrateſia, non *Caeſaream* in Palaeſtina, obſignari, in eiſque ideo male ab Harduino legi Caeſaream *Claudiam, Commodianam,* & *Germanicam* concludit. Verum etſi Viris utriſque doctiſſ. ultro detur in Nummo *Titi Flavianam* non utique deſignari Aeram, nec etiam *Claudianam*, aut *Commodianam*, aut *Germanicam* in Nummis *Commodi*, cui imo falſo adſcriptos fuiſſe concedimus, in Nummis utpote Urbium nunquam Imperatorum Epochae uſurpatae adpareant, ſed dumtaxat *Tribunitiae* Poteſtatis, aut *Conſulatus*, negari tamen nequit in *Titi* Nummo, non ſecus ac in Nummis *Auguſti, Claudii, Neronis* &c. Aeram notari aliquam, quae alia profecto eſſe nequit, quam Epocha alterutra *Caeſareaenſis* ducta vel ab *Aſia* recepta, ut in Nummo *Auguſti*, vel a *Colonia* deducta, ut in *Claudii*, & *Neronis* Nummis, vel a Jure *Italico* Urbi indulto, ut in Nummo *Titi*, ſicuti late ſuperius expoſitum eſt.

XXII. Quae olim *Bethſan* Judaeis Jud. 1. 27, alibique ſaepe dicta eſt, eadem poſtea *Scythopolis* nomen accepit in LXXvirali Jud. 1. 27. Verſione: quod tamen nomen ex Margine in Textum irrepſiſſe viſum eſt Relando Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 992, edit. Norimb. p. 732. Neque magis videtur derivatum nomen aut a ſepulta ibi *Bacchi* Nutrice, ut ait Plinius lib. 5. cap. 18, aut a שטה *Scitta*, voce Hebraea, *Spinae* genere ibi frequentis, ut interpretatur Bochartus Hieroz. lib. 2. cap. 31. Oper. T. I. p. 306; ſed magis aut ab Hebraeo סכת *Sochoth*, nempe *Jacobi Tabernaculis*, Urbe olim trans Jordanem vocata, cui deinde *Scythopolis* adhaeſerit adpellatio, uti viſum S. Hieronymo in Quaeſt. Hebr. ad Gen. XXXIII. 17, cui adhaeret Relandus loc. cit.; aut a *Scythis*, qui ſub *Joſia* in Palaeſtinam irrupiſſe feruntur apud Herodotum lib. 1. cap. 105, uti ſcripſere Syncellus in Chronog. p. 214. edit. Pariſ., Ven. p. 171, ac Stephanus de Urb. p. 299, quibus favere videtur Scriptor lib. II. Maccab. XII. 29. ſq., adſtipulantur vero Cellarius Geog. Antiq. T. II. lib. 3, cap. 13. §. 88, ejuſque Annotator

Schvvartzius ibid.p.436.ſq. Urbem a *Gabinio* una cum *Azoto*, *Samaria*, *Anthedone*, *Raphia*, *Mariſſa*, *Gaza*, aliiſque bene multis anno U.C. 698.inſtauratam fuiſse auctor eſt Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 10, qui ſup. cap. 8. inter Urbes a *Pompejo* anno U.C. 690. tributas *Demetrio* Liberto ſuo *Gadaram*, *Hippum*, *Scythopolim*, & *Sellam* refert. Quin inſuper de Bello Jud. lib. 1. cap. 16. inter Palaeſtinae Urbes a *Pompejo Autonomia* donatas una cum *Hippo*, *Pella*, *Samaria*, *Azoto*, *Dioſpoli*, *Samaria*, *Marethuſa*, ſive *Mariſſa*, *Gaza*, *Joppe*, *Dora*, & *Caeſarea*, *Scythopolim* quoque recenſet. Inde igitur inferre fas eſt ab eodem, quo Urbibus illis nova inſtituta Epocha eſt, anno ſimilem etiam *Scythopoli* uſu Aeram venire cepiſſe. Quod factum anno U. C. 691, ante Chriſti natalem 63, quo Syriae pars ſcilicet inferior a *Pompejo* foedus cum Romanis pangere coacta fuit, putat Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p.613: quam tamen Epocham anno uno anticipandam, annoque U. C. 690, ante Chriſtianam Aeram 64. conſignandam autumat Noriſius. Sed in re momenti haud magni multus eſſe nolo moleſtus. *Caeſariana* deinde, ab U.C. anno 706. cardine ducto, frequentata *Scythopoli* Aera legitur in Nummis. Nummus ſane nullus *Scythopoli* in Palaeſtina Epocha obſignatus Vaillantio, Harduino, Noriſio &c. viſus eſt. Unum tamen *Gordiani Pii* cum Epigraphe NYC. CKYΘO. IEPAC. perperam a Vaillantio in Num. Graec. p.154. tribui *Nyſſae* in Caria; dictae Stephano de Urb. *Cythopoli*, obſervat Abbas Belleyus in diſſert. de Scythopolis Aera Hiſt. Acad. Inſcrip. T. XXVI. p.415. ſq.; quem ſane ipſe Nummum *Nyſſae-Scythopoli* in Palaeſtina, qua de idem Stephanus loquitur, eſſe tribuendum ex gemino altero *Gordiani Pii* Nummo Muſei D.Pellerinii, ubi eadem Inſcriptio legitur, atque Syriacae quidem fabricae, arguit. Ab omnium primo Liebe in Theſ. Friderici p.335. e Muſeo Saxo-Gothano inſcriptus *Neroni* unus productus eſt, cum Aera L. EIP. anni 115. obſignatus, & cum Epigraphe iſta NYCAIEΩN TΩN ΣKYΘOΠOΛITων: cujus Epocha a Liebe confertur in U. C. annum 697, Chriſti ante natalem 57; quo a *Gabinio* reſtituta *Scythopolis* fuit. Geminos aſt enim alios in Pellerinii Muſeo Nummos vidit Abbas Belleyus *Neroni* ſcalptos,

ptos, cum Nota L. P. anni 100, & L. PA. anni 101; alterumque *Getae* Scythopoli etiam inſcriptum cum Nota ΔNC. anni 254: in quorum altero titulus etiam legitur ΙΕΡΑ ΑCΥλου, *Sacrae*, & *Inviolabilis*; ideo quod *Dionyſio*, ſive *Baccho* Sacra Urbs eſſet, uti Belleyo videtur. Jam vero ab anno U.C. 697. incipere Aeram hancce nequiviſſe oſtendit inde Vir doctiſſ., quod anni 100, & 101. in *Neronis* Nummis darent U. C. annos 796, & 797, *Nero* tamen a *Claudio* adoptatus eſt dumtaxat anno U. C. 803, Aerae Chriſtianae 50. Aeram hanc itaque cenſet Vir doctiſſ. eſſe *Caeſarianam*, quae cepit U.C. anno 706, unde anni 100, & 101. in *Neronis* Nummis in annos U.C. 805, & 806, Aerae Chriſtianae 52, & 53. incidunt; & annus 115. in annum U. C. 820, Chriſti 67, & annus 254. in *Getae* Nummo U. C. annum 959, Aerae Chriſtianae 206. incurrit.

XXIII. Ad alias Urbium Samariae deſcendendo modo Aeras, in his *Dora* nobilis altera ſe nobis offert Urbs antiquiſſima, cujus utpote mentio fit Joſue XII. 23, proprioque olim Regi obnoxia, ad Mare poſita erat, unde Hebraeis Joſue loc. ind., & III. Reg. IV. 11. נָפַת דאר *Napheth Dor* nuncupata legitur apud Euſebium, & S. Hieronymum de Loc. Hebr., *Naphet*, inquam, ſive *Nephet* ita dicta, vel quod *Maritima* eſſet, veluti Symmacho viſum eſt; vel quod ita *Civitas* per excellentiam adpellata ſit, velut Euſebius, & S. Hieronymus interpretati ſunt; vel quod *Regioni* nomen dederit, ut ex Joſue XI. 2, ubi Vulgatus Interpres vertit *In Regionibus Dor*, ac Joſue XVII. 11, ubi Hebraeus Textus habet שְׁלֹשֶׁת הַנָּפֶת *Scelſceth Hanapheth*, *Tertia pars Nephet*, Graeci vero LXX. Interpretes legunt Τὸ Τρίτον τῆς Ναφεθά: quae diviſio Regionis magis eſt propria, quam Urbis; videndique Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib. 3. cap. 13. p. 440, & Joh. Clericus Comm. in Joſue XI. 2. p. 28. Syriae Regum; poſtquam *Ptolemaeis* Aegypti ab *Antiocho* IV. *Epiphane* primum ante Chriſtum 173, *Tryphoni* poſtea ab *Antiocho* VI. aliis VII. *Evergetae*, vulgo *Sidete* erepta fuit, juris facta apud Auctorem lib. I. Macchab. XV. 11. ſqq. anno Chriſtianam ante Aeram 136; Judaeorum perinde ante Chriſti natalem anno 80, poſtquam ab *Alexandro Jannaeo* videlicet aliis cum Urbibus invaſa fuit, Epochis tum pri-

primum ſingulari propriis ſub Regibus, tum poſtea *Seleucidarum* ſub Regibus Syriae aliquando uſa proculdubio putari debet. Queis demum Aeris poſthabitis ab Autumno anni U. C. 691, Chriſti ante natalem 63, quo una cum Urbibus *Gaza*, *Joppe*, *Caeſarea*, aliiſque a *Pompejo Autonomia* donata eſt, Joſepho teſte Antiq. lib.14. cap.8, & de Bello Jud. lib.1. cap.16, ut ſupra innuimus, novam *Dora* Epocham inſtituiſſe legitur in Nummis apud Vaillantium Num. Imp. p.33, & 350, apud Harduinum Num.illuſt. p.51, Spanhemium de Uſu, & Praeſt.Num. p.779, apud Noriſium de Epoch. Syrom. diſſert.4. cap.5. §.5. T.II. Oper. edit. Veron. p.474. ſqq., ac Froelichium in Num. Antiq. cap.4. p.46. In Nummis nempe *Trajani*, & *Hadriani* *Dora* IEP. ACuλ. Αυτον. Ναυ., & Ναυαρ. *Sacra*, *Aſylo gaudens*, *Libera*, *Claſſica* inſcripta legitur ab Harduino, & Noriſio cum Notis POE. anni 175. in Nummis *Trajani*, aut ΠP. anni 180. in *Hadriani* Nummis; qui ab anno U. C. 691. ducti anni 175, & 180. in annos incurrunt U. C. 865, Chriſti 112, *Trajani* 15, & U. C. 870, Aerae Chriſtianae 117, *Hadriani* 1. Confer & Bochartum in Hieroz. lib.2. cap.18. T. I. p.223, & in Phaleg lib. 1. cap.41. T.II. p.659. ſq., ubi pleraque de *Dora*, atque Dorienſibus egregie diſputat.

XXIV. Inter Urbes Samariae alias *Dioſpolis* nomine; (quo tres aliae ſimiliter in Aegypto, una in Bithynia, una in Thracia, & altera in Phrygia audivere), duae inſignitae leguntur, una dicta olim *Salamine* apud Thalmudicos in *Miſchna* Cod. *Kilaim* cap.4. Miſn.9, & in Cod. *Jevamoth* cap.16. Miſn. 6, juncto Joſepho de Bello lib.1. cap.6, & apud Joh. Malelam in Chronog. lib. 10. Byzant. Hiſt. T. XXIII. edit. Ven. p.97, ubi *Salaminem* Dei iram expertam, ab *Auguſto* refectam, *Dioſpolim* fuiſſe adpellatam refert. Altera olim *Lydda* Hebraeis לוד *Lud* dicta, de qua Benjamin Tudelen. Itiner. p.52. edit. Conſtantini l' Empereur, edit. Barat. p.76, & 105; (ubi ſuo Urbem tempore סגורש *Sargorgam*, ſive *Sagourgam* dictam refert: ibique in Not.Relandum refellit Baratierius, qui in *S. Georgii* Urbem, quod ibi aut is Martyrio adfectus fuerit, aut ipſi Templum fuerit aedificatum, legendum opinatus eſt); poſtea *Dioſpolis* paſſim denominata legitur Scriptori lib.I.Mac-

chab.

Google

chab. xi. 34, Actor. ix. 38, Joſepho Antiq. lib. 14. cap. 8, S. Hieronymo in Epitaphio Paulae cap.3, & ad Sophon. 1, Stephano de Urb. p. 101, Theodoreto Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 5, aliiſque. Quam Urbem a Syris utique ſub *Domitiano* reſtauratam de *Jovis* nomine *Dioſpolim*, ſicut Aegyptias, ideſt *Jovis Urbem*, fuiſſe nuncupatam opinantur Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap. 13. §.98. p.445, & Noriſius de Epoch. Syrom. diſſert. 5. cap. 4. §. 3. p. 548. ſq. Exſtant porro apud Vaillantium Num. Graec. p.91, & 270, ac Num. Imp. p. 350, apud Harduinum Num. illuſt. p. 51, & in Chron. Vet. Teſt. p.638. ſq. Nummi *L. Septimii Severi*, & *Juliae Domnae* ipſius conjugis cum Inſcriptione Λ. CEΠT. CEOY., ideſt non *Lucius Septimius Severus*, ut Noriſius, Vaillantius, & Harduinus legunt, ſed *Lucia Septimia Severa*, uti rectius interpretatur Cuperus in Epiſt. 93. ad Sperlingium Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. p. 291, & Abbas Belleyus Obſerv. in Nummos Dioſpolis, & Eleutheropolis Hiſt. Acad. Inſcript. &c. T.XXVI. p.429. ſqq., cum Notis EP. anni 105, & ΘP. anni 109, qui Aerae capite ab anno U. C. 846, Chriſtianae Aerae 93. deducto, in annum incurrunt U. C. 950, Chriſti 197, *Severi* 5, & in annum U. C. 954, Chriſti 201, *Severi* 9. Nempe in ea verſatur opinione Harduinus, ut putet a Syriae, Palaeſtinaeque Urbibus in honorem *Severi Quinquennales* celebratos Agones fuiſſe ejuſdem Imperii anno 5, & 9: quibus proinde ab annis, ideſt U.C. 950, & 954, Aerae Chriſtianae 197, & 201, retroducti anni 105, & 109. iis in Nummis notati recurrent in Annum U. C. 846, Chriſti 93, *Domitiani* 13: quocum inde repetendam hancce ſane Aeram ducunt etiam Vaillantius, Noriſius loc. cit., Relandus Palaeſt. illuſt. p.879, edit. Norimb. p.650, ubi perperam annus 190. ſcribitur pro anno 109, Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p.46, aliique; quo ipſo nempe anno a *Domitiano* reſtaurata Urbs eſt, atque Graecis repleta Incolis, unde a *Jove Capitolino* adpellata deinceps *Dioſpolis* eſt. Eo autem veri fieri ſimilior Harduini opinio, videri quiret, quod Agones *Quinquennales* aliis quoque Urbibus in Nummis fuerint notati, veluti *Caeſareae* Palaeſtinae in Nummis *Auguſti* quartis ejuſdem *Quinquennalibus* procuſis; *Gazae* in Nummis *Hadriani*;

ni; *Tyri* pro *Antiocho Epiphane*, ut eodem loci Vir doctiſſ. oſtendere pergit. Niſi quod Aerae iſtiuſmodi a *Domitiano* inceptae Nummos obſtare alios obſervavit Vir doctiſſ. Belleyus in D. Pellerinii Muſeo ab ſe viſos Dioſpoli ſcalptos, haud utique *L. Septimio Severo*, ut Viris illis doctiſſ. viſum fuerat, bene vero cum titulo *Luciae Septimiae Severae*, uti ſuperius adnotatum eſt, *Caracallae* inſcriptos cum Nota E. Θ. anni 9. unum, alterumque cum Nota E.I. anni 10. Adhaec a Viro doctiſſ. Barthelemyo duos ſibi alios oſtenſos Regii Muſei fuiſſe Nummos refert a Vaillantio laudatos, in quibus poſt E. eſt I. annus 10, cujus loco P. legerat Vaillantius, ideſt annos 100. In Nummo altero ab Oriente recepto Muſei D.Pellerinii ſimili Regio Dioſpoli ſcalpto *Juliae Domnae* legi etiam litteras E. I. annus 10. obſervavit: ex quibus conficit duabus hiſce Epochis 9, & 10, non Aeram *Dioſpolis* propriam, ſed annum 9, & 10. *Septimii Severi* deſignatum fuiſſe. Cujuſce pariter rei argumento Nummos eſſe arguit *Eleutheropoli*, qua de ſupra, haud procul a Mari & ipſa Palaeſtinae Urbe, *Juliae Domnae* cum Nota E. H. anni 8, & *Antonino Caracallae* cum Nota E. Θ. anni 9. ſcalptos, eademque *Luciae Septimiae Severianae* Epigraphe inſcriptos. In beneficiorum itaque, quae utrique a *Septimio Severo*, a Parthica Expeditione regreſſo, & Antiochiae Aerae Chriſtianae anno 201. demorato, collata Urbi fuerant, memoriam utrobique & Nummos fuiſſe procuſos, novamque inſtitutam Aeram fuiſſe opinari pronum eſt.

XXV. Ut paucis reliquas modo Samariae Urbium Epochas complectar, *Lyddae* proxima ſane fuit *Rama* Urbs, aliis dicta *Ramatha*, credita etiam *Arimathia* Luc. XXIII. 51, S. Hieronymo in Epitaphio Paulae, unaque ex tribus, quae ex Samaritide detractae Toparchiae Regioni Judaeorum contributae fuere I. Maccab. XI. 34, & Joſepho Antiq. lib. 13. cap. 8; a *Rama* in Judaea ſita diſtinguenda, uti rite monent Cellarius Geogr. Antiq. T.II. p.470. ſq., ejuſque Annotator Schvvartzius in Not. p. 446. In Veteribus porro Nummis *Auguſto* inſcriptis, *Ramathae* percuſſis apud Vaillantium Num. Imp. p. 367, Harduinum Num. illuſt. p. 143, & in Chron. Vet.Teſt. p.611, & 618, & apud Relandum Palaeſt. illuſt.

p.965,

p. 965, edit. Norimb. p. 713. nota conſpicitur BIP. anni 112, cujus Aerae caput ab anno U.C. 640, Chriſti ante natalem 114. ducendum ita docet Relandus, ut is annus 112. incidat in U.C. annum 751, ante Chriſti natalem 3, *Auguſti* a Victoria *Actiaca* 34, a 1. *Conſulatu* 46. Verum is annus nullo *Ramathenis* aut geſto, aut gratia inſignis fuit, ut ſingulari proinde inſigniretur Aera; ideoque propius ad veritatem Harduinus Aerae *Ramathenae* initium annis 10. ſerius auſpicandum duxit, ab Autumno ideſt anni U.C. 650, ante Chriſti natalem 104, quo etiam *Aſcalonis* ab *Autonomia* impetrata Epocham incepiſſe cum Uſſerio Annal. Vet. Teſt. p. 362. obſervat; ex quo nempe Regum Syriae rebus peſſum ruentibus, ſocietatis foedus cum Romanis percutere Judaei ubique, Samaritae, aliaeque Syriae Urbes geſtiebant, ac ultro citroque feſtinabant, adeoque ut is annus 112. fuerit U.C. 761, Chriſti 8, *Auguſti* poſtremus, ſive ab *Actiaca* pugna 44, a primo *Conſulatu* 56. Cum Harduino facit Froelichius in Annal Reg. Syr. p. 102, & in Num. Antiq. cap. 4. p. 49, eodem, quo *Aſcalonis* anno *Ramathae* & ipſe Aeram conſignans: ſed de *Aſcalonis* Epocha fuſius ſuo infra loco; de *Ramatha* vero recolenda dicta ſuper. §. 24. Una cum Urbibus *Gaza*, *Dora*, *Caeſarea*, aliiſque a *Pompejo Autonomia* donatis anno U.C. 691, ante Chriſti natalem 63, *Joppe* quoque, nunc *Jaffa*, recenſita legitur Joſepho Antiq. lib. 14. cap. 8, ut jam ſupra innui. Inde augurari itaque fas eſt *Joppem* etiam illo ab anno novam inſtituiſſe Epocham: quam deinde Urbem a *Cajo Julio* Caeſare II. *Conſule*, ideſt anno U.C. 707, ante Chriſtianam Aeram 47, Hieroſolymae vectigalem factam, tributo impoſito quotannis, excepto *Sabbathico*, perſolvendo refert Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 18. Ex Goltzio p. 217. Nummum *Titi Joppe* cuſum exhibet Harduinus p. 74, nulla tamen Aerae nota obſignatum; qui ideo *Titi* anno 1, aut 2, Aerae Chriſtianae 79. aut 80. omnino cuſus aeſtimari debet. Inter Urbes Palaeſtinae alias a *Pompejo Autonomia* inſignitas Joſepho de Bello Jud. lib. 1. cap. 16. una cum *Hippo*, *Scythopoli*, *Pella*, *Samaria*, *Azoto*, *Gaza*, *Joppe*, *Dora*, *Caeſarea* recenſentur etiam *Mariſſa*, Lauro interpreti *Marethusa* dicta, & *Jamnia* prope Jop-

Joppem, queis de Plinius etiam lib. 5. cap. 13. mentionem ingerit. Inde itaque arguere fas eſt *Mariſſae* etiam, & *Jamniae* communem eiſdem cum Urbibus Epocham fuiſſe inſtitutam, ducto ab anno U.C. 691, ante Chriſti natalem 63. ejuſdem cardine: qua utraque de Urbe videndi, ſi libet, Relandus Palaeſt. illuſt. p. 865, 889. ſq., edit. Norimberg. p. 639. ſq., 657. ſq., ac Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. §§. 199, & 219. p. 499, & 513; atque de Judaeae, Galilaeae, & Samariae Urbium illuſtriorum Aeris ſatis jam, ac ſuper.

DE EPOCHIS, SEU AERIS.

Babyloniorum, Chaldaeorum, Aſſyriorum, Ninivitarum, Aramaeorum, Medorum, Oſrhenorum, Edeſſenorum, Rheſaenorum &c.

Articulus III.

I. Ad harum poſt Hebraeam antiquiſſimarum Gentium Epochas, ſeu Aeras, (quae promiſcue Scriptoribus pro initio, e quo putantur Anni, accipi ſolent: etſi revera Epocham inter, & Aeram quaedam intercedat diſtinctio, veluti ſcite De Vignolius advertit Chron. Hiſt. Sac. T. II. lib. 5. p. 328.), antequam noſtra ſe accingat oratio, de vulgatis quatuor Orbis Monarchiis diſſerere nonnihil juvat, & intereſt. Quae itaque Daniel de Statua *Nabuchodonozori* in ſomno exhibita, quaeque ipſe met conſpexiſſe ſe Capp. II, & VII. refert, varias Eruditos qua Veteres, qua Nuperos in opiniones diſtraxere. Quas inter ea praevaluit, ut quatuor illis Monarchiis a Daniele *Chaldaeorum*, *Perſarum*, *Graecorum*, ac *Romanorum* Imperia deſignata videantur. Ita Joſepho Antiq. Jud. lib. 10. capp. 12, & 14. viſum eſt, locisque aliis, ut oſtendit Odhelius in Diſſert. Hiſt. Philolog. de Monarch. Orbis, S. Hieronymo in Daniel. loc. cit. Oper. T. V. edit. Veron. p. 633. ſq., & 664. ſqq., & Severo Sulpitio Hiſt. Sac. lib. 2. cap. 10: quos magno ſequuntur Interpretes numero Crit. Sacr. T. III. edit. Francof., Vatablus p. 683. ſq., Clarius p. 686, Munſterus p. 647, 682.

Digitized by Google

682. ſq., & Grotius ipſe p.689.ſq. Ex veteribus tamen S. Auguſtino de Civit. lib. 18.cap.2. duae in Orbe ſummae dumtaxat Monarchiae memorantur *Aſſyria*, & *Romana*; queis ceteras velut adpoſitas interpretatur adpendices. Longe aliter Danielis Viſionem Porphyrio fuiſſe explicatam refert S. Hieronymus Praef.in Dan.T.V.p.619,& in Dan.capp.11,& vi i.p.634, & 667: quocum facientes Bodinus Meth. Hiſt. cap.7, Conringius de Germ. Imp. Rom. cap.11. p.109, Abellus Hiſt. Monarch. Orb. p.5, Hardtius de Monarch. Babylon., Lomeyerus in Actis Lipſ. anno 1694. p.136, Grotius Crit. Sacr. T.III. edit. Francof. p.654. ſq., Voſſius, Benzelius Diſſert.1. de Quatuor Orbis Monarch. Par.I. Oper. T.I. p.3. ſqq., aliique Odhelio loc.cit.p.69. memorati, receptam opinionem ad fabulas amandare non dubitarunt. Ideo diverſa interpretandi diverſis adeo ratio arriſit, ut Bodinus quarto *Parthicum* loco Regnum repoſuerit; Hardtius Statua illa *Nabuchodonozorem* ipſum, cum ſuis in Regno ſucceſſoribus uſque ad *Cyrum*, ſignificari crediderit; Jacobus Capellus Obſervat. in Selecta Vet. Teſt. loca *Aſſyriae* primo loco *Chaldaeam* ſuffecerit Monarchiam; decem vero Cornua priores decem indicari *Romanos* Imperatores, in hiſque primo *Pompejum* Cornu *Magno*, atque *Parvo* demum *Veſpaſianum*, qui tria alia viderit conſurgere, tres videlicet Aemulos *Galbam*, *Otthonem*, & *Vitellium*, opinatus ſit; Grotius, Junius, Piſcator, L'Empereur, Polanus, Villetus, Abellus quartam *Beſtiam* de Tyrannico explicare maluerint jugo, quo a Syris, Aegyptiiſque poſt *Alexandri M.* obitum uſque ad *Antiochum Epiphanem* oppreſſi Judaei ſunt; Benzelius Statua, & quatuor Beſtiis varios deſignari Reges, ſub quibus Judaeorum res afflictae valdequam fuere, putaverit, *Nabuchodonozorem*, qui *Leonis*, *Aſſuerum*, qui *Urſi*, *Alexandrum*, qui *Pardi*, & *Antiochum Epiphanem*, qui quartae indicatus *Beſtiae* nomine, ſpecieque ipſi videtur.

II. Age vero, quibus demum argumentis interpretationem hancce ſuſtentare Proteſtantes hi adnitantur, probe, obiterque, uti pretium fert operae, diſpiciamus. Principio itaque ficta procul dubio, & a Cteſia apud Diodorum Bibl. lib.2. p.109. ipſis videtur immanis illa Aſſyriae Monarchiae a *Nim-*

brodo ad *Nabonedum*, ſive *Darium Medum*, Seculorum XVII. fere duratio, quod a *Nino* cepiſſe dumtaxat adfirmant Bion, Herodoto ſynchronus, & Alexander Polyhiſtor apud Agathiam lib. 2. p. 63; cuique annos 520. dumtaxat adſignat Herodotus lib. 1. cap. 95, Scriptor longe accuratior, fideque dignior. Verum etſi *Chaldaicam* Aeram ab anno 1903. ante captam ab *Alexandro* M. Babylonem incepiſſe, a Babylone ideſt Urbe tum condita, velut ex Simplicio ad lib. 2. de Caelo p. 123. ſe colligere Gerardus Joh. Voſſius Iſag. Chronolog. p. 54. putavit, inficias nos utique ire non ambigamus, eo namque loci Simplicius ex Calliſthene dumtaxat Aſtronomicas a Chaldaeis Obſervationes annorum 1903. jactatas refert, quibus fidem haud adhibendam profitetur, veluti Fabricio Bibliogr. Antiq. cap. 7. p. 205. ſq. recte obſervatum eſt; Cteſiae tamen Aſſyrias, Babyloniaſque referenti origines, cui utpote hac in re fidem accommodare ſuam haud detrectarunt Xenophon in Cyrop. lib. 1. p. 266, Plato de Legib., Ariſtoteles Ethic. lib. 1. cap. 3, aliique Veteres, haud facile refragandum ducimus, utpote a quo parum abſuere Joſephus Antiq. lib. 9. cap. 12. annis circiter 1350. Aſſyrium ſtetiſſe Imperium indicans; Diodorus lib. 1. p. 109 & 115. *Aſſyrio* Regno annos 1360, aut 1400. tribuens; Caſtor apud Euſebium annos 1280. adſcribens; Julius Africanus annos 1484; Herrennius apud Stephanum de Urbib. p. 61. Babylonem annis bis mille *Semiramide* antiquiorem faciens; quamvis Euſtathius ad verſ. 1006. ex Herrennio annos mille octingentos dumtaxat referat; Vellejus lib. 1. cap. 6. Aſſyrio eidem Imperio annos 1700. indulgens, quos tamen ad 1240. coarctat Lipſius, ad 1070. Le Gendre; Aemilius Sura apud eumdem Paterculum annos 1400; Juſtinus lib. 1. cap. 2. annos 1300, velut etiam Euſebius in Chron. Oper. S. Hieronymi edit. Vallarſii T. VIII. p. 87, & 375. annos 1240. a *Nino* uſque ad *Sardanapalum* tribuens; S. Auguſtinus de Civit. lib. 4. cap. 6, & lib. 12. cap. 10. annos 1240. pariter, ſicut & S. Hieronymus, adſcribens; Oroſius lib. 2. cap. 3. annos 1174; Syncellus in Chronog. edit. Pariſ. p. 96, & 197, Ven p. 77, & 158. annos 1460, ſicut & Auctor Chron. Alex. edit. Pariſ. p. 36, & 40, Ven. p. 30, & 33. adſignans. Quibus jungendi Freculphus in Chron.

Digitized by Google

Chron. cap.9. Bibl. PP. Lugd. T.XIV. p.1085, qui Euſebium, & SS. Auguſtinum, & Hieronymum ſequutus eidem Imperio annos 1240. adſcribit, & Ado Vien. in Chron. Bibl. PP.Lugd. T.XVI. p.776. Oroſio magis adſtipulatus, Imperium Aſſyrium annorum 1164. ſpatio definiendum exiſtimavit. Neque Cteſiae adverſantur Bion, Alex. Polyhiſtor, & Herodotus, utpote qui de Aſſyrio Imperio loquuti intelligi debent, ut infra dicetur, non qua a *Nimbrodo* primo conditum eſt, ſed qua a *Nino* poſtea e Babylonico, & Chaldaeo unum conflatum Aſſyrium eſt; velut obſervatum eſt Gerardo Mercatori in Chron, & Coquaeo in Not. ad S. Auguſtinum de Civit. lib.18. cap.2: unde non eſt ſane, cur Simſonii Chron.an. 1786, ac Michel in Syſt. Chron. p.124. ſq. conjecturam admittere cogamur, opinantium numeri Millenarii notam apud Herodotum fuiſſe praetermiſſam; idem enim ipſum de Appiano in Praefat., ac Dionyſio Halicar. lib.1, Herodotum ſequutis, dicendum foret: qua de re videndi Boſſuetius Hiſt. Univ. Epoch.7, & Le Gendre de Opinione T.I. lib.1. cap.7, de Chronolog. §.16. p.99. ſq. Ea potior ergo, qua moventur, eſt ratio, quod plures aliae praeter Aſſyriam Monarchiae in Orbe tum obtinuerint, quas recenſent Abellus, & Benzelius, puta *Sabaea*, ſive *Chuſaea* auctore *Nimbrodo* Chuzi filio; *Elamytica*, & *Aramaea*, quarum mentio Gen.XIV. 1. ſq., & Jud.III. 8, & 10. occurrit; *Iſraelitica* deinde, quae ſub *Davide*, & *Salomone* latiſſimum occupaſſe tractum ab Aegypto uſque ad Euphratem, ſubjugatis, perdomitis, devictiſque Philiſtaeis, Idumaeis, Ammonitis, Moabitis, Ithuraeis, Nabathaeis, Nabdaeis, Syris, Commagenis, Phoenicibus &c. liquet; *Aegyptia*, quae ſub *Seſoſtri* ad culmen maximum pertingit Imperii; utpote quae ex Arabia, Aethiopia, Phoenicia, Cypro, Syria, Media, India cis, & ultra Gangem uſque ad Oceanum, Scythia uſque ad Tanaim, Inſulis Cycladibus, Aſiaque ferme univerſa, nec exigua Europae parte conflata ſub eo eſt, Herodoto, & Diodoro teſtibus. Haec Aſſyriis imperantibus: rerum vero deinde potientibus Medis, ac Perſis, non contemnendae ſane potentiae, nec eorum poteſtati obnoxia pleraque jam tum obtinuiſſe Regna compertum eſt; veluti *Meſſagetarum*, a quibus victus eſt *Cyrus*,

 refe-

referentibus Herodoto, & Juſtino; *Carthaginenſium*, & *Aethiopum*, quos ſubjugare fruſtra tentavit *Cambyſes*, Herodoto lib.3. teſte; *Scytharum*, a quibus profligatus eſt *Darius Hyſtaſpis* apud Herodotum; *Graecorum*, quos haud impune bello appetiiſſe *Xerſem* adnotarunt Herodotus lib.4, & Juſtinus lib.2; adeout a Graecis Provinciae Aſiae Minoris omnes ab Jonia uſque ad Pamphyliam Perſico ereptae fuerint Imperio, qua de re Simſonius in Chron. annis 3535, & 3556. Graecis poſt *Alexandrum M.* imperantibus, conſpicuas eodem alias tempore Monarchias obtinuiſſe compertum eſt; inter quas *Parthica* ab *Arſace* U. C. anno 498, ante Chriſti natalem 256. fundata in ſummum excrevit faſtigium, Armeniaci Regni facta perinde acceſſione, aliiſque plurimis Aſiae Provinciis adquiſitis, adeo ut duo inſignia obtinuerint Regna *Parthicum* ſub *Arſace*, & *Armeniacum* ſub *Volarſace* Arſacis filio, quibus de Moyſes Choronenſis Armenus genere de Origin., & Regibus Armen., & Parth. notis illuſtrato a Brennero Stockolm. 1723, & Longuerue Annal. Arſacid. p.1. ſqq.; *Romana* ipſa, quae ſub Seleucidis in haud exiguum potentiae augmentum jam excreverat; Romanis vero imperantibus quot in Aſia, & Africa tum potentiſſima florerent Imperia ex bellis, quae cum his gerenda illis fuere, veluti cum Poenis, cum Aegyptiis, cum Ponticis, cum Aetolis &c., liquido intelligitur. Queis longe antiquiorem, juxtaque potentiorem, ampliaremque conjungere Abellus, & Benzelius *Siuenſem* poterant Monarchiam, qua de nobis ſermo alibi fuit.

III. Verumtamen, praeter quam quod Monarchiae primum *Aſſyriae*, deinde *Perſicae*, *Graecae* poſtea, & *Romanae*, poſtremo confiniis *Aſiae* ferme pars omnis, Aſſyria, Babylonia, Meſopotamia, Elymais, Media, Perſis, Suſiana, Parthia, Scythia, Armenia, Syria, Commagene, Seleucis, Coeleſyria, Phoenicia &c. ad Indum, & Gangem; *Aſia Minor* integra, Colchis, Iberia, Pontus, Cappadocia, Bithynia, Paphlagonia, Myſia, Aeolia, Jonia, Caria, Lycia, Phrygia, Lydia, Galatia, Piſidia, Lycaonia, Pamphylia, Cilicia, Iſauria &c.; *Africae* pars haud exigua, Arabia, Cyrenaica &c.; ac poſtremo *Europa* ferme integra comprehenſa fuerit, adeout harum compara-

paratione Monarchiae in Orbis angulis reliquae hoc audire vix, ac ne vix quidem meruerint nomine; qui haec objiciunt, ſicque loqui imprudentiſſime non verentur, nae ii errant oppido, neque Prophetiae intimum aſſequuti ſenſum plane ſunt. Danieli namque de futuris Populo Dei Judaico ſollicitiſſimo propoſitum utique non fuit externam perſequi Hiſtoriam, quae cum Judaica nullam haberet affinitatem, ſed ejus dumtaxat ſumma attingere capita, quae cum Iſraelitarum rebus copulata erat, eaſque ideo Monarchias, ſub quibus varias Dei Populus conditiones perpeſſus fuerat, continua uſque ad Chriſti D. in carne adventuri Monarchiam aeternam ſerie retexere. Tam itaque quatuor illis diverſae ſpeciei *Metallis*, queis Statua conſtare a *Nabuchodonozore* conſpecta fuerat, quam item quatuor iis diverſi *Beſtiis* genus ab ipſo Propheta viſis quatuor; non utique copulatim, quae eodem ſimul obtinerent in Orbe tempore, ſed ſejunctim, quae ſucceſſive nempe in Judaicam Gentem diſtricturae jus forent, Monarchias a Daniele fuiſſe deſignatas non dubium eſſe debet; adeo videlicet ut principio Judaeorum Rempublicam afflictiſſimam ſub *Aſſyriis* oſtenderet; poſtea ſub *Perſis* infortunia paſſam haud exigua, & brevia; peſſum ruiſse perinde ſub *Seleucidis*; atque poſtrema tandem ſub *Romanorum* jugo fata ſubjiiſse: donec Chriſto D. in carne adveniente collapſas penitus Judaici Populi res in puriorem, ſpiritualem, perpetuumque redintegrandas, erigendaſque fore ſtatum indicaret. Atque huc plane totus Prophetiae illius collineavit, reſpexitque ſcopus: quem qui probe tenet, omnia in SS. Patrum interpretatione apprime cohaerere perſpicit, neque difficile quidquam, implicatumque Prophetiae ineſse cognoſcet, quod alienam Prophetiae interpretandae rationem inire cogat.

IV. His itaque primo ita conſtitutis loco adverſus faſtidioſos de Proteſtantium grege homines; quae a Regione *Chaldaica* I. Eſdrae v. 12. deinde denominata eſt, ea primum *Babylonicae* a Regia ſede Babylone ad confluentem Tigridis, & Euphratis poſita, atque a *Nimbrodo Chami* Nepote, Profanis Scriptoribus *Belo* dicto, Gen. x. 9. ſq. condita, Monarchia nomen adepta eſt; dicta poſtremo *Aſſyria* de nomine

Aſſu-

Aſſuris filii *Semi* Gen. x. 11. ſq., a quo Ninive ad Tigrim Aſſyriae Metropoli aedificata, Monarchia a Chaldaeis ad Aſſyrios translata eſt Mich. v. 6. Quo loci ſane non audiendi Vatablus, Junius, Coccejus, Schotanus, Heideggerus, Spanhemius, Clericus, ac Bochartus Geogr. Sacr. lib. 4. cap. 12. Oper. T. II. p. 229. ſq., *Aſſur* non hominis, ſed Regionis eſſe nomen arbitrati; quod confirmare Bochartus cap. 19. p. 240. ſq. ſatagit. Huic enim Bocharti, ipſumque ſequutorum Interpretum quorumdam coactae opinioni apertiſſime refragantur tum Verſiones Graeca LXXviralis, & Vulgata noſtra, queiſcum facit Joſephus Antiq. Jud. lib. 1. cap. 14. verſ. Lauri, ubi *Aſſur*, non utique loci, ſed Viri, *Semi* videlicet filii, nomen eſſe liquet; tum Verſiones aliae Chaldaica, Arabica, Syriaca, Armena &c., ubi *Aſſur* in Nominativo caſu ſemper accipitur, non in Accuſativo, ut male Bochartus autumat; tum Phraſis ipſa, qua loquitur Moyſes, qui nonniſi de perſona intelligi recte poteſt. Conferendi, qui pluribus adverſus Bochartum diſputant, inter alios Perizonius Origin. Babylon. cap. 4. p. 39. ſqq., & Goguetius de Origin. Leg., Art., & Scient. T. I. Par. I. lib. 1. cap. 1. Art. 3. p. 37. ſq. Nec etiam audiendi Marſhamus in Can. Chron. Seculo XVII. p. 476. ſqq. edit. Angl., & Nevvtonus in Chronolog. Vet. Regnorum emendata cap. 3. de Imper. Aſſyr. edit. Ven. p. 203. ſqq., a queis haud procul abfuere Harduinus in Chronolog. Vet. Teſt. p: 541. ſq., & Tourneminius diſſert. 9. de Chronolog. Regum Aſſyriae Oper. Menochii T. II. p. 419. ſqq., ubi a *Nimbrodo* conditum quidem in Chaldaea, extenſumque in Aſſyriam Imperium fuiſſe concedit, tam exiguum tamen contendit, ut vix ullius nominis, ac virtutis eſſet. Herodoto, Cteſiae, & Diodoro fabulas hocce de Imperio plane enarrantibus idem denegandam opinatur; primumque fuiſſe *Pul*, ſive *Belum*, qui in Iſraele regnante *Jeroboamo* I, Aſſyrio Imperio, de quo nihil ante, neque γρῦ apud Amoſum VI. 2. ſqq., initium fecerit, ac potentiam adquiſiverit. Quin Abydenum Chaldaeum apud Euſebium Praepar. Evang. lib. 9. cap. 4. verſ. Georgii Trapezuntii, Dorotheum Sidonium Poetam apud Julium Firmicum Matheſeos lib. 1, alias lib. 2. p. 15, de quo Fabricius Bibl. Lat. T. II. lib. 3. cap. 8.

Digitized by Google

cap. 8. p. 70. ſqq., Herrennium apud Stephanum de Urbib. edit. Holſt. p.61, & Q. Curtium lib.5. cap.1. ſequuti, Babylonem a *Pul*, ſive *Belo* aedificari primo ceptam, a *Nabonaſſaro* ejuſdem filio completam denique fuiſſe concludunt. Sed enim Marshami Perizonius Orig. Babylon. cap. 6. p. 63. ſqq., Nevvtoni vero Chronologiam evertit Doctiſſ. hominum par nobile Freretus in Diſſert. de Aſſyr. Mon. Acad. T.V. p.404, & Souciétus Diſſert. 5, eademque de agendi commodior nobis alibi ſe locus aperiet. Quin & contra Uſſerium Annal. Vet. Teſt. p.25. ſq., Nevvtonum loc. indic., Sevinum in Diſſert. 1. de Aſſyr. Imperio Monum. Acad. Inſcript. Pariſ. T.IV. p.476. ſqq., & Vallarſium in Not. ad Euſebii Praefat. in Chron. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p.25, 87. ſq. oſtendit Joh. Bapt. Favre in diſſert. Hiſt. Crit. ad Muſantii calcem Herodoti lib. 1. cap. 95. Aſſyrium Imperium annis 520. definientis teſtimonio nihil illos efficere, qui ejuſdem Imperii exordium á *Nino Beli* filio repetendum dumtaxat ducunt: ſiquidem Herodotus de Imperii non initio, ſed tantum incremento, quod a *Nino* accepit, loquutus intelligi debeat; ideoque ſtet integra Cteſiae, Diodori, Joſephi Flavii, Caſtoris, Velleji, Julii Afric., Clementis Alex., Euſebii, S. Auguſtini, Oroſii, Syncelli, Auctoris Chron. Alex. &c., quos magno ſequuti ſunt agmine Freculphus, Ado, Gerardus Mercator, Ludovicus Vives, & Coquaeus in Schol. ad S. Auguſtini de Civit. lib. 12. cap. 10, & lib. 18. cap. 2, Pererius in Gen. X. lib. 15. diſput. 7, Petavius Doct. Temp. lib. 9. cap. 13, Labbaeus, Ricciolius Chron. lib. 5. cap. 2, Muſantius in Tabul. Chronolog. p. 8, Michel in Syſtem. Chron. ad tres SS. Bibl. Textus, Perizonius in Orig. Babylon., aliique, ſententia de fundato a *Nimbrodo* Babylonico, Aſſyrioque Imperio. Junge, quod Abydeno non altera inſedit, quam quae Eupolemo inſediſſe refertur ex Alexandro Polyhiſtore opinio ab Euſebio Praep. Evang. lib. 9. cap. 4. verſ. Georgii Trapezuntii, Babylonem videlicet ab his primo conditam fuiſſe, qui a Diluvio evaſerant, atque a Confuſione Linguarum, quae Hebraeis *Babel* appellatur, *Babylonis* locum nomen accepiſſe: quo patet Abydenum in ſuam inique, & perperam a Nevvtono intortum fuiſſe ſententiam.

V. Juxta

V. Juxta diverſa iſthaec, quae Imperium ſubjit iſtud, fata, diverſae ſigi ejuſdem initio queunt Epochae, quarum prima a fundata Babylone anno 114. poſt *Diluvium*, Mundi 1770, ante Chriſti natalem 2233, quo videlicet a *Nimbrodo* Babylonico Regno exordium factum eſt, repeti poteſt, juxta Chronologiam Uſſerii in Annal. Vet. Teſt. p.5, Cornelii a Lapide in Gen. x. 11, Sethi Calviſii ad annum M. 1771, Daudaci Prolegom. in S.Script. Par.II. cap.2. §.6. Bibl. edit. Ven. T. I. p. LXIII. ſq., Auctoris Obſervat. in Chronolog. Veter. Hebr. Aegypt., Chald., Graec., Rom. p. 91. ſqq., & Diſsert. in Vet. Monum. §.5. ſqq. p. 223. ſqq.; ſive a Mundi anno 1800, poſt *Diluvium* 144, ante Chriſtianam 2204, juxta Chronologiam Ducheſnii in Hiſt. Antiq. Compend. lib. 1. edit. Ven. p. 1, Rollini Hiſt. Veter. Aegypt., Carthag., Aſsyr., Babyl., Med., Perſar., Maced., Graec. T.XIII. in Tabul. Chron. p. 12, 17. ſq., & Calmetii Dict. Bibl. T.I. edit. Ven. p. 331, qui tamen in Diſsert. de Turri Babylon. T. II. p. 288. cum eadem Turri condi Imperium anno Mundi 1770, poſt *Diluvium* 114, ante Chriſti natalem 2233. occepiſse cenſet; ſive a *Diluvio* anno 52, ante Chriſtianam Aeram 2296, adeo ut a *Nimbrodo*, quem profecto a *Belo* indiſtinctum habet, uſque ad *Sardanapalum* per annos 1460. Babylonicum duraverit imperium; a *Sardanapalo* vero ad Chriſti natalem anni 836. interfluxerint, juxta computum Michel in Syſtem. Chronolog. ad tres SS. Bibl. Textus p. 155. ſq.; qui p. 152. ſqq. Uſserii Chronotaxim exagitat; p. 158. ſq. vero aliud, quod veri mihi quidem videtur ſimilius, proponit, ita ut a Babylone condita annos Chriſtianam ante Aeram 2269. computet, e quibus Babyloniae Regum Dynaſtiae I. a *Nimbrodo* uſque ad *Mardocentem*, Arabum Babylone regnantium Dynaſtiae II. Regem I, annos 225. recenſet; a *Mardocente* uſque ad *Belum* II, Nini Patrem, Dynaſtiae III. Regem I, annos 215. deſcribit; a *Nino* I. uſque ad *Atoſſam*, ideſt *Semiramidem* II, annos 562; ab *Atoſſa* uſque ad *Sardanapalum* annos 520; a *Sardanapalo* denique ad Chriſti natalem annos 747. dinumerat. Secunda Epocha ab anno Mundi 2737. circiter, ante Chriſti natalem 1267, quo a *Nino Beli* II. Aſsyrii filio Babylonicum Imperium majorem in Orbis

Digitized by Google

Orbis lucem, Chaldaeis, Aſsyriiſque, capta Ninive ad Euphratem, aedificataque ad Tigrim altera, ſub unum coactis jugum, productum fuit, domitiſque perinde Aegyptiis, Syris, Perſis, Medis, Parthis, Hyrcanis, Margianis, Bactrianis &c. uſque ad Indos amplificatum; quove defuncto, a *Semiramide* ejus Conjuge bello conquiſitae, Imperio adjunctae fuere Perſis, Aegyptus, Libya &c., deducenda videtur. A *Nino* porro ad *Sardanapalum* annos 1465. colligit Michel in Syſt. Chron. ad tres S. Script. Textus p. 105. ſq. ex Cephalione apud Syncellum in Chronog. p. 167: ubi annos a *Semiramide* ad *Methreum* 1000. numerat; ab Euſebio vero in Chron. a *Methreo* ad *Sardanapalum* annos 414. recenſitos obſervat; quibus additi 52, quot *Ninus* regnaſse fertur, regnareque cepiſse a *Diluvio* anno 1139, juxta Chronologiam LXX, admiſso nempe *Cainane* II, vel a *Diluvio* anno 1009. juxta Vulgatam, *Cainane* II. nempe exploſo, ante Chriſti natalem anno 2240, efficiunt annos 1466. Qui tamen p. 158. ſq. aliam induit animo opinionem, juxta quam *Nini* regni exordium a *Diluvio* anno 520, ante Chriſtianam Aeram 1828. auſpicatur, finem vero in annum Chriſti ante natalem 1776. confert. Tertia ab anno Mundi 3257, ante Chriſti natalem 748, quo *Sardanapalo*, *Tonos Concoleros* dicto Euſebio, S. Hieronymo, Jornandi, Syncello &c., effaeminato Rege morte adfecto, ac Ninive occupata, Babylonica Monarchia tres in partes diſsecta fuit, in *Medam*, quam ad ſe rapuit *Arbaces*, poſt quem anno 3. Olympiadis 17, Periodi Jul. 4004, Mundi 3294, ante Chriſti natalem 710. apud Uſserium in Annal. p. 57. ſq., & Tourneminium in Diſsert. 10. de Regibus Medorum Oper. Menochii T. II. p. 423. ſqq., ante Chriſti natalem 608. cenſet Freretus de Imper. Aſſyr. T. V. Mon. Acad. p. 404, & Defenſ. Vet. Chron. p. 235., a *Dejoce* Medorum Rege primo *Ecbatana* aedificata, Mediae conſtituta Metropolis eſt, Herodoto teſte lib. 1. cap. 98; in *Babylonicam*, quam, Babylone defixa Regni ſede, *Belochus* invaſit; & in *Aſſyriam*, quae *Nino* Juniori, Ninive imperanti, derelicta eſt. Juxta primum vero Syſtema, quo a *Sardanapalo* uſque ad Chriſti natalem annos 836. effluxiſse ſtatuerat, Michel in Syſtem. Chron. ad tres SS. Bibl. Textus p. 223. ſqq.;

Nino II, cui praedicaſse *Jonam* putat, quique Ninive regnare poſt *Sardanapalum* perrexit, reliqua Media ad *Arbacem*, & Babylonia ad *Belochum* translata, *Nino* II, inquam, ſucceſſiſse vult *Phul*, huicce *Teghatphalaſarem*, iſtum excepiſſe *Salmanaſarem*, ac deinde *Sennacheribum*: in Babylonis vero regno *Belochi* ſucceſsorem facit *Sacchoram*, de quo Aelianus in Hiſt. Anim. lib. 12. cap. 21, hujuſce *Thilgamum* eidem Aeliano memoratum, deinde *Nanybrum*, cujuſce mentio a Nicolao Damaſ. fit apud Conſtantinum Porphyrog. de Adm. Imp. p. 427. ſq., iſtiuſce *Nabonaſſarum*, quo de infra, *Nadium*, *Chozirum*, *Porrum*, *Jugeum*, *Mardochempadum*, *Archianum*, *Belibum*, *Apronadum*, *Rigebelum*, ac *Meſeſſimordachum*: poſt quos anno Nabonaſsari 67, ante Chriſtianam Aeram 680. ab *Aſſarhadone* Babylonis regnum Regno, quod tenebat, Ninives, ſeu Aſsyriae, adjectum eſt.

VI. Quarta Epocha ab anno Mundi 3323, ante vulgarem Aeram 681. ducenda videtur; quo ab *Aſſarhadone*, Iſaj. xx. 1. *Sargone*, Tobiae Graece 1. 24. *Achirdone*, Ptolemaeo in Canon. *Aſſaradino*, *Sennacheribi* filio, Babylone capta, Aſsyrium redintegratum Imperium fuit, atque Babyloniis, Perſis, Suſianis denuo ſub Aſſyriorum jugo poſitis, ſplendorem in priſtinum, amplioremque reſtitutum eſt: poſt quem a *Nabuchodonozore* ejus filio anno M. 3347, ante Chriſtum 657, *Arphaxado*, qui aliis *Dejoces* primus Mediae Rex viſus eſt, aliis *Dejocis* filius *Phraortes* I, profligato, Ecbactana capta, ac Media, Armenia, Meſopotamia &c. Babylonico adjectis Imperio, magis iſtud magiſque amplificatum eſt. Michel porro in Syſt. Chron. p. 272. in ea opinione verſatur, ut putet ſub *Aſſarhadone* contigiſſe Hiſtoriam *Judith*, atque Bellarmini, Petavii, Uſſerii, Montfauconii, Calmetii, aliorumque Veterum hujuſce de Hiſtoriae Epocha varias refellere ſententias inſtituit; quo de argumento nos quoque fuſius, ſi Superis placebit, Chron., & Crit. Par. II. in Hiſt. Sacr. agemus. *Aſſarhadoni* jam vero ſucceſſiſſe filium *Saoſdechinum* vult, huicce *Chiniladanum* ſic Theoni in Can. Aſtron. dictum, *Saracum* Alexandro Polyh. apud Syncellum p. 210, *Sardanapalum* II. Ptolemaeo: ſub quo anno 122. Nabonaſſari, ante Chriſti natalem

625.

625. a *Cyaxaro* Medorum, & a *Nabopollaſſaro* Babyloniorum Regibus, Ninive everſa, Aſſyrio regno finis impoſitus eſt. *Nabopollaſſarum* porro eumdem cum *Nabuchodonozore*, atque *Cyaxarum* eumdem cum *Aſſuero* Tobiae cap. ult. dictis facit. Quamquam ipſemet poſtea *Nabopollaſſari* filium adfirmat *Nabuchodonozorem*, Theoni *Nabocollaſſarem* dictum, *Labynetum* Herodoto: cujus a Regni cum Patre anno 2, ante Chriſti natalem 606. Judaicae Captivitatis annos 70. computandos cenſet. Quinta ab anno Mundi 3468, ante Chriſti natalem 536, quo a *Dario Medo*, & a *Cyro Perſa*, Babylone capta, & *Balthaſare* devicto, interfectoque, Babylonico Regno finis impoſitus, novoque Perſarum Imperio factum initium fuit: qua de re Herodotus lib. 1. cap. 95, Diodorus lib. 2. p. 79. ſqq., Athenaeus lib. 12. p. 528, Appianus lib. initio, Dionyſius Halic. Antiq. Rom. lib. 1. p. 2, Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 5, Caſtor, Aemilius Sura, Aelianus, Herrennius apud Stephanum, Euſebius in Chron. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 87, & 375, Oroſius lib. 2. cap. 6, Severus Sulpitius lib. 2, Syncellus p. 96, & 197. edit. Pariſ., Ven. p. 77, & 158, Auctor Chron. Alex. p. 36, & 40. edit. Pariſ., Ven. p. 30, & 33; ex Nuperis vero Blanchinius Hiſt. Univ. Dec. 11. Seculo xx. cap. 20. §. 5. p. 236. ſq., & cap. 21. §. 1. ſqq. p. 255. ſqq., Voſſius de Idololat. Orig. lib. 1. cap. 28, Pezronius Antiq. Temp. cap. 12. p. 130. ſqq., Soucietus diſſert. 5. adverſus Nevvtonum, Fourmontius Reflex. Crit. in Hiſt. Vet. Popul. lib. 3. cap. 16. p. 301. ſqq., Sevinus in Diſſert. 1, & 2. de Aſſyr., ubi etſi cum Uſſerio non ante *Ninum* Aſſyrii Imperii fundamenta jacta fuiſſe putet, contra Bochartum attamen cum Pezronio ab *Aſſure* Ninivem conditam fuiſſe, non ſecus atque Babylonem a *Nimbrodo* pugnat; quod ipſum praeſtitit Goguetius de Origin. Leg., Art., & Scient. lib. 1. cap. 1. art. 3. p. 38. ſqq.; & Freretus in Diſſert. de eodem Argumento Monum. Acad. Pariſ. T. V. p. 331. ſqq., ubi Herodotum annis 520. Imperium Aſſyrium definientem neque de initio, neque de fine loquutum fuiſſe contendit, Herodotique teſtimonio ſuffultus Uſſerium, Sevinum &c. Imperium illud coarctantes refellendos adgreditur: quem viciſſim multis refellit Fourmontius loc. cit. p. 326. ſqq.; atque recolenda, ſi libet, quae large Volum. I.

Art.II. de Menſ., & An. Babylon. &c. p. 404. ſqq. de Babylonici, Aſſyrii, Medici &c. Imperii originibus dedimus manu. Sed enim hae potius omnes fundati Imperii Epochae putandae ſunt, quam Populis illis Babyloniis, Chaldaeis, Aſſyriis, Ninivitis, Medis &c. ad putandos Annos uſurpatae videri queant.

VII. Vulgatiſſima quocirca, eaque vetuſtiſſima, unaque juxta veriſſima, quae uſu Chaldaeis, Aſſyriis, Babyloniis &c. antiquiſſimo venerit, ideo quod iſtam ante Aeram Regum geſta omnia ab ipſo *Nabonaſſaro* fuiſſe corrupta ex Alexandro Polyhiſtore, ac Beroſo refert Syncellus in Chronog. p. 207. edit. Pariſ., Ven. p. 165, (quo vel ſolo patet, quae Beroſo, ac Polyhiſtori *Nabonaſſaro* antiquiora venditantibus adhibenda deinceps ſit fides,) *Nabonaſſaraea* aeſtimatur Aera, quae cum *Nabonaſſari* Regni exordio, ejuſdemque de nomine originem, & nomenclationem adepta eſt, ab anno Mundi videlicet 3257, juxta Chronologiam Uſſerii Annal. p. 48. ſq., Olympiadis vulgaris a *Chorebo* 8, anno U. C. 7. juxta Varronis computum, ante Chriſti natalem 748, veluti ſtatuta conſpicitur in Ptolemaei, ſeu verius Theonis Canone Aſtronomico Regum Aſſyr., Medor., Perſar., Graec. in Aegypto, ac Roman. *Nabonaſſarus* nempe Hipparcho, Ptolemaeo, Theoni, & Cenſorino dictus, idem, qui *Baladanus* IV. Reg. xx. 12, & Iſajae xxix. 1, *Beleſus*, ſive *Beleuſus* Agathiae lib. 2. p. 63. ex Bione, & Alexandro Polyhiſtore, *Nanybrus* Nicolao Damaſceno in Eclogis a Valeſio evulgatis, *Beleſis* Diodoro, *Belochus* aliis, *Sardanapalo* Aſſyriae Rege Ninive incendio cremato, ejuſque Imperio tres, ut innui, in partes diſtracto, Babylonicum ipſe obtinuit, atque Babylone auſpicatus per annos 66. retinuit, celebrique *Nabonaſſaraeae* Aerae ſuo de nomine initium fecit a Meridie diei 1. *Thoth* Aegyptii, Februarii noſtri die 26, Feria 4, Cyclo Solis IX, Lunae XV, Indict. VII, anno Periodi Jul. 3967, Mundi, uti dixi, 3257, anno 2. Olymp. 8, U. C. 7, ante Chriſtianam Aeram 747. Qua plane Aera olim Aſſyriis, Chaldaeis, Aegyptiis, Graecis, Aſtronomis etiam, Scriptoribuſque Veteribus, Hipparcho, Calliſtheni, Calippo, Ptolemaeo, Theoni &c. nihil antiquius, velut obſervat Syncellus in Chronog. p. 206. ſqq. edit. Pariſ., Ven.

p. 165.

p.165. ſqq., ubi de Regio Theonis, ab ipſo Ptolemaeo tributo, Aſtronomico Canone a *Nabonaſſaro* incipiente, ac in *Alexandro M.* deſinente, deque Regum xxxi. continua ſucceſſione agit: quocum conferendi Petavius Doct. Temp. lib. 9. cap. 57. ſq., Dodvvellus in Adpend. ad Diſsert. Cyprian. edit. Felli p. 163. ſqq., atque DeVignolius Chron. Hiſt. Sac. T. II. lib. 5. cap. 1. p. 332. ſqq., ubi argumenta levioris alioqui momenti, queis duo Anonymi anno 1712, ac 1714. apud Maſſonum Hiſt. Crit. Reipub. Litter. T. I. p. 22, & T. V. p. 120, ſqq. contendunt *Nabonaſſari* Aeram ante Claudium Ptolemaeum uſu haud obtinuiſse, invicte refellit: quae ſane argumenta prorſus inde concidere oportet, quod ab Hipparcho ea obſervata Aera fuerit, uti paullo infra planum fiet. Atque Canon hicce profecto geminas in Partes ita diſpoſitus adparet, ut in priori Reges xviii, qui a *Nabonaſſaro* Babylone ab anno Chriſti ante natalem 747. uſque ad *Nabonadium* per annos 209, uſque ad Annum nempe Chriſtianam ante Aeram 538. regnarunt; atque Perſarum deinde Reges xi, qui a *Cyro* uſque ad *Alexandrum M.* ab anno Chriſti ante natalem 538. uſque ad annum 324. per annos 215, omnes ſimul per annos 424, Babylone regnare perrexere, comprehenſi fuerint. In poſteriori vero Parte ab anno Chriſtianam ante Aeram 324. Reges Graeci II, & Aegypti Reges x. uſque ad *Cleopatram*, annum ideſt Chriſti ante natalem 30, per annos 294; atque Romani deinceps Imperatores ab *Auguſto* uſque ad *Antoninum Pium*, Aerae Chriſtianae annum 160. per annos 189, omnes ſimul per annos 483, exhibentur. Quò fit, ut duplex in eodem Canone diſtinguenda item Aera Viris doctiſs. viſa fuerit, I.a *Nabonaſſaraea*, juxta quam a *Nabonaſſaro* uſque ad *Alexandrum M.* anni 424. computati fuerunt: II.a Aegyptiaca, juxta quam a *Philippo Aridaeo* uſque ad poſtremum *Antonini Pii* dinumerati anni 483. fuerint. Prioris itaque Canonis iſtiuſmodi partis, (non totius, uti perperam Chriſtiano Ravio Chronol. col. 29. viſum eſt), auctor Beroſus, qui ſub *Alexandro M.* ortus, ſub *Antiocho* I. *Sotere*, Tatiano teſte Orat. p. 171, aut ſub *Antiocho* II. *Theo*, referente Euſebio Praep. Evang. lib. 10. cap. 11. p. 493, vitam traduxit, atque Hiſtoriam elucubravit, au-

auctor, inquam, Beroſus habetur Dodvvello in Adpend. ad Diſsert. Cyprian. §. 22. ſq., ac De Vignolio Chron. Hiſt. Sac. T.II. lib.5. cap.2. p.351. ſqq., ea permotis conjectura, quod 1.º Joſepho Antiq. lib. 10. cap. 11. ſq., & adv. Appion. lib. 1. p. 1044. ſq. e Beroſi fragmento quinque Babylonis ante *Cyrum* Reges memorati leguntur; quod 2.º ab Hipparcho, qui Nabonaſsari anno 600. circiter, poſt Beroſum 100. amplius, & ante Ptolemaeum 250. in vivis agebat, apud Ptolemaeum Almag. lib.4. cap. 14. p.125. duae *Lunae* Eclipſes Babylone, obſervatae, Nabonaſsari anno 127, & 225. obſignatae ſunt. Poſteriorem veroCanonis partem, *Aegyptiaca* obſignatam Aera, a Ptolemaeo fuiſse elucubratam DeVignolius opinatur: parum ſibi tamen cohaerens, utqui ante Hipparchum priorem Canonis partem exaratam fuiſse, a Beroſo ideſt, putat ideo, quod ea uſus Epocha Hipparchus fuerit: ſiquidem itaque ab eodem Hipparcho Aera quoque *Alexandri* duae obſervationes Rhodi ab ipſo factae anno 197. ab *Alexandri* obitu fuerint obſignatae apud Ptolemaeum lib.5. cap.5. p.112. ſqq., inde fit, ut ipſius opinione ante Ptolemaeum, quin & ante Hipparchum ea poſterior Canonis pars adornata fuerit. Verum etſi longe pridem *Nabonaſſari* Aerae, atque Babylonis Regum mentio a Beroſo, Alexandro Polyhiſt., Hipparcho &c. ingeſta fuerit, Canon ille tamen pro uſu *Eccleſiaſtico* a Julio Africano demum inductus eſt, Syncello teſte Chronog. p. 208. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 166. ſq., velut obſervat Marſhamus in Can. Chron. Seculo XVII. p.506, pro uſu Aſtronomico vero pridem elaboratus, non a Ptolemaeo quidem, uti Syncello p.207.ſq., Ven. p.165. ſq. viſum, cui adhaerent Petavius, Vallarſius &c., cujuſque Codici MS. de Hypotheſibus Πλανωμένων aſsutus legitur, unde a Behmio Chronolog. p. 259, & a Calviſio Iſag. Chron. cap. 11. editus eſt; bene vero a Theone, cujus in Πίναξι Προχείροις MSſ. habetur, a quove Commentaria in Magnam Ptolemaei Syntaxim edita ſunt, unde ipſum edidere Bambrigius cum Sphaera Procli p.47. ſqq., Petavius Doct. temp. lib.9. cap.57. ſq., ac Ration. temp. in fine, Ferrandus in Reflex. ad Relig. Chriſt. T. I. p. 81. ſq., Dodvvellus in Adp. ad diſsert. Cyprian., DeVignolius Chron. Hiſt. T.II. lib.5. cap.2. p.349. ſqq.

Digitized by Google

ſqq. &c. Cujuſce rei argumento id eſse videtur, quod hoc in Canone Regum Anni a Neomenia *Thoth* vagi, atque ii quidem integri ſemper computentur, qua ipſa de re Dodvvellus cit. Adp. §. 34. ſq., ac DeVignolius cit. cap. 2. p. 377. ſqq., ut ideo uno pro uſu Aſtronomico Canon hic primum elucubratus fuiſse videatur.

VIII. Quoniam vero Annus *Nabonaſſaraeus* ab Aegyptiaco indiſtinctus olim erat, eoque anni genere uſque ad *M. Antonii*, & *Cleopatrae* cladem, ideſt annum 30. ante Chriſti natalem, uſi Aegyptii ſunt, (qui poſtinde una cum Romanorum jugo annum pariter accepere, a quo proinde tempore vagari Popularis illorum deinceps annus deſiit, qua de re Petavius Doct. Temp. lib. 10. cap. 71, noſque infra copioſe de Epochis Aegypt. &c. Art. III. §. VII. ſq.), eademque Vagi anni ſpecies Aſtronomicum in uſum Aſtronomis uſque ad *Ptolemaei* aetatem, ideſt Aerae Chriſtianae Seculi III. initium venit; is autem *Aegyptiacus* annus, uti ſuper. Volum. II. De Menſ., & Annis Aegypt. &c. Art. I. §. XLIV. ſqq. p. 312. ſqq. abunde, opinor, dilucideque oſtenſum eſt, vagus erat, ullo abſque fraeno per omnes anni *Juliani* tempeſtates libere diſcurrens: (*Aegyptiacus* enim annus e diebus 365. abſque horarum additione, *Julianus* vero e diebus 365, ac horis 6. inſuper coaleſcebat, unde fiebat, ut quartus *Julianus* quiſque integro die 1. *Aegyptiacum*, ſive *Nabonaſſaraeum* ſuperaret, adeoque *Nabonaſſaraei*, ſeu *Aegyptiaci* anni 1461. integrum annum *Julianum* anteverterent, ſive *Juliani* 1460. aequarent *Nabonaſſaraeos*, ſeu *Aegyptiacos* 1461: quae ipſiſſima eſt Periodus *Sothiaca*, ſive *Canicularis*; quibuſve nonniſi elapſis, *Julianis* hoc eſt 1460, *Aegyptiacis*, ſive *Nabonaſſaraeis* 1461, Neomenia *Thoth* ad eumdem, unde digreſsa fuerat, anni *Juliani* diem primum regrediatur); propterea ut *Nabonaſſaraeum* in Juliano obtineas anno ſequentibus attendere Regulis oportet. I.ª Anno dato *Nabonaſſaraeo* a 1 uſque ad 227. addendi ſunt anni 3966, ſumma annum in Periodo *Juliana* quaeſitum exhibebit. E. g. Ptolemaeus Almag. lib. 5. edit. Graecae p. 125. *Lunae* Eclipſim anno *Nabonaſſari* 127. refert: cui anno 127. adjecti 3966. efficiunt 4093, qui eſt annus Periodi *Julianae* anno

no 127. *Nabonaſſaraeo* reſpondens. Dixi ab anno 1. uſque ad 227: nam Annus *Nabonaſſaraeus* ſingulis quadrienniis die 1. retroactus ab Aerae initio tandem uſque ad annum 227. ad Januarii diem 1. *Juliani* anni retroverſus fuerat. 2.ª Anno propoſito *Nabonaſſaraeo* a 227. ad 1688. adjungendi ſunt anni 3965; vel ab anno 1688. ad 3149. addendi ſunt 3964; ſumma annum in *Juliana* Periodo deſideratum oſtendet. Dixi ab anno 227. ad 1688, vel ab hoc anno 1688. ad 3149: nam anni *Nabonaſſaraei* 1461, quot nempe evolutis ad eumdem *Juliani* anni cardinem *Aegyptiacus* regreditur annus, ab anno 227. ad 1688, totidemque 1461. ab anno 1688. ad 3149. elapſi ſunt; unde fit, ut ex annis quibuslibet 1461. evolutis annus 1. ſit eximendus, ut *Julianus* in Periodo *Juliana* reſpondens reperiatur. E. g. Ptolemaeo referente Almag. lib. 4. p. 105, Eclipſis *Lunae* altera contigit anno *Nabonaſſari* 366; cui adjectis 3965, ſumma erit 4331, qui eſt annus in Periodo *Juliana* quaeſitus. Ideo vero anno 1688. ad 3149. addendi ſunt dumtaxat 3964, quod hic annus ſequatur annum 1688, & praecedat 3149, quo nonniſi evoluto, completis ideſt 1461, ad caput *Aegyptiacus* revertitur annus. 3.ª Annus datus e contra Periodi *Julianae* ut ad *Nabonaſſaraeum* redigatur, ſi annorum numerus in *Juliana* Periodo major ſit 3967, minor vero 4193, ab anno propoſito detrahendus eſt 3966; ſi major ſit 4193, minor autem 5653, a propoſito anno demendus eſt 3965; ſi ſit major 5653, ac minor 7113, abjiciendus eſt 3964, atque reliquus erit annus *Nabonaſſaraeus* quaeſitus; ſi major ſit 7113, minor vero 8573, ſubducendus eſt 3963, reſiduuſque *Nabonaſſaraeus* quaeſitus erit. E. g. Ab anno Periodi *Julianae* 4714, qui primus eſt Aerae Chriſtianae, quique major eſt 4193, ac minor 5653, detractis 3965, reliquus 749. fuit annus *Nabonaſſaraeus* anno 1. Aerae Vulgaris reſpondens. 4.ª Anno dato in Periodo *Juliana*, ut Neomenia *Thoth*, ſive *Nabonaſſaraei* anni ut initium obtineatur, propoſitus annus per 4. dividendus eſt, (quippe annis quibuslibet *Nabonaſſaraeis* quatuor vertentibus die 1. *Julianus* anticipatur), quotus detrahendus e 57. eſt, ſi minor 57. ſit; ſin major, ex 422. detrahendus erit, (quoti ſiquidem 57, aut 422. exhibent dies *Julianos* anticipatos, ſive *Biſſextos*

in

Digitized by Google

in annis *Nabonaſſaraeis* omiſſos), reliquus erit dies *Julianus* a Kalendis Januariis, in quem Neomenia *Thoth*, ſive Anni *Nabonaſſaraei* initium incidit. E. g. Ptolemaeus lib. 5. p. 125. auctor eſt *Lunam* deliquium paſſam fuiſſe anno 127. *Nabonaſſari* die 27. *Athyr* hora 11. Itaque numero 127. diviſo per 4, quotiens eſt 31, quo ſubducto e 57, reliquus 26. eſt dies a Kalendis Januariis, cui Neomenia *Thoth* eo anno reſpondit. A Neomenia vero *Thoth* ad diem 27. *Athyr* dies 87. interfluunt, qui ideo a die 26. Januarii numerati incidunt in Aprilis diem 21, quo ea contigit Eclipſis. Si vero quotus excedat numerum 57, tunc adjiciendi ſunt unius anni *Juliani* dies 365, ac ex ſumma 422. quotus eſt ſubtrahendus. E. g. Ptolemaeo lib. 4. p. 100. referente, *Luna* defecit anno *Nabonaſſari* 257. die 3. *Tybi*: numero iſto 257. per 4. diviſo, quotus 64. major eſt 57: igitur ad 57. addito 365, & ex ſumma 422. ſubducto quoto 64, reſiduus 358. indicat diem 358. a Kalendis Januariis, hoc eſt diem 24. Decembris, quo eo anno *Nabonaſſari* 257. incidit Neomenia *Thoth*, ſive annus *Nabonaſſaraeus* incepit. A Neomenia vero *Thoth* ad diem 3. *Tybi* dies 123. intercedunt, qui ideo numerati a die 24. Decembris anni 257. *Nabonaſſari* incidunt in diem 25. Aprilis ſequentis anni 258, quo die, & anno ea contigit Eclipſis. 5.ª Annus in Periodo *Juliana* propoſitus ſi ſit poſt 5437, ſive poſt annum *Nabonaſſari* 1472, quoto majori 422. adjiciendi ſunt anni unius *Juliani* dies alii 365, & ſumma 787. diviſa per 4, reſiduum exhibebit diem a Kalendis Januariis, quo eo propoſito anno Neomenia *Thoth* injit. Si vero poſt diviſionem nihil ſuperſit, e quoto abjicienda unitas eſt, antequam ſubductio fiat. E. g. Annus Periodi Julianae 6380, juxta Regulam 2, & 3, fuit annus *Nabonaſſaraeus* 2416, qui per 4. diviſus quotum exhibet 604, qui poſt diviſionem nihil relinquit. Itaque e 604. abjecta unitate, ac e 787. detracto 603, reliqui dies 184. a Kalendis Januariis ducti Julii diem 3. indicant, qua eo anno Periodi *Julianae* 6380. Neomenia *Thoth*, ſive Annus *Nabonaſſaraeus* 2416. incepit. Conferendi Petavius Rat. Temp. T. II. edit. Ven. Par. II. lib. 1. cap. 12. ſq., & lib. 3. cap. 3, Beveregius Inſtit. Chron. lib. 1. cap. 10, & lib. 2.

 cap. 16,

cap.16, ac Tourneminius in Tabul. Chron. Sacr. Vet., & Nov. Teſt. Oper. Menochii T. II. p. 367.

IX. Sequiori aetate uſu Babyloniis, Chaldaeis, Aſſyriis, Ninivitis, Aramaeis, Medis &c. Aeras veniſſe alias, tam generales Nationibus illis, quam peculiares Urbibus nonnullis indubium ſit ex veteribus qua Monumentis, qua Scriptoribus: queis de priuſquam agam, de praecipuis Babyloniae, Chaldaeae, Aſſyriae, Meſopotamiae, ſeu Aramaeae, Mediae &c. Urbibus dicere obiter juvat. *Babyloniae* itaque a Regione primum denominatae, promiſcuo deinde *Chaldaeae* de nomine *Cheſed* Nahoris filio Gen. xxii. 22, & S. Hieronymo Quaeſt. in Gen. ibid., quam a Septentrione Meſopotamia, ab Ortu Tigri, ab Occaſu Arabia Deſerta, a Meridie Sinus Perſici, & Arabiae Felicis parte terminari ſcribunt Ptolemaeus Geogr. lib.5. cap. 20, ſive ult., & Plinius lib.5. cap.12, Urbes praecipuae, veteres poſt Geographos, recenſentur Cellario Geogr. Antiq. lib.3. cap.16. ſq. T.II. p.632. ſqq., & 639. ſqq., *Babylon*, *Volgeſia*, *Teredon*, *Meſene*, *Bithra*, *Sura*, *Nehardea*, *Pombeditha*, queis in poſtremis tergeminis celebres olim frequentari ſolebant Judaeorum Scholae, de quibus plura Bochartus in Phaleg lib.1. cap.8. p.34. ſq. Oper. T.II., Buxtorſius in Tyberiade cap.6. p.22, Van-Til in Paradiſi Tabula, & Auliſius de Scholis Jud. lib.1. cap.21. ſq. p.114. ſqq. *Aſſyriae* vero, quae trans Tigrim ampliſſima Regio ab *Aſſure* Nonachi Nepote Gen. x. 11, & 22. nomen traxit, ad Aquilonem Armeniae parte, & Niphate Monte clauſa, ad Occaſum Meſopotamia, & Tigri, ad Meridiem Suſiana, ad Ortum Mediae parte, & Zagro Monte, Ptolemaeo lib.6. cap.1, & Plinio lib.5. cap.12. teſtibus, inter Urbes, quae ſpeciali illuſtres titulo fuere, recenſentur *Nin ves*, *Cteſiphon*, *Gaugamela*, *Arbela*, Urbs *Alexandri M.* de *Dario Codomanno* reportata victoria celebris utraque, *Apollonia*, *Artemita* &c. *Mediae* ad haec, quae a Septentrione Caſpii Maris parte, ipſis Caſpiis, Gordiaeis, ſive Caduſiis Montibus, ab Occaſu Armenia Majori, ab Ortu Parthia, & Hyrcania, a Meridie Perſide, Suſiana, & Aſſyriae parte finitur, Urbes olim nobiles erant *Ecbatana* Regni Metropolis, *Gazaca* Regia

gia dein etiam Urbs, *Europos*, *Cyropolis*, *Laodicea*, *Apamea*, *Rages*, *Heraclea*, *Arſacia* &c., queis de Cellarius loc. cit. cap. 18. p. 665. ſqq., & 671. ſqq. *Aramaea* tandem Hebraeis ארם ab *Aramo* Semi filio denominata Gen. XXIV. 10, Deuter. XXIII. 4, & Jud. III. 8, junctis Syncello in Chronog. p. 46. edit. Pariſ., Ven. p. 36, & Auctore Chron. Alex. p. 30. edit. Pariſ., Ven. p. 25. ſq., Graecis *Meſopotamia* dicta, Regio legitur Euphratem inter, & Tigrim, unde LXXviralis Graeca Verſio loc. cit. pro *Aramaea* perpetuo legit *Meſopotamiam*; cujuſce varia de diviſione veteri, ac nova videndus Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 15. p. 603. ſqq. Ea vero inter alias inſignis videtur, qua in Notitia tam Imperii, quam Eccleſiaſtica apud Pagium Annal. Baronii edit. Lucen. T. I. ad annum 37. n. 4. p. 246. ſq., & ante ipſum apud Pancirolum, apud Gothofredum in Cod. Theod. T. VI. Par. II. edit. Lipſ. p. 98. ſqq., & apud Bandurium Antiq. Conſtantinopolit. lib. 8. Hiſt. Byz. edit. Ven. T. XXII. p. 25. ſqq., & 161. ſqq. dividitur in *Meſopotamiam* proprie dictam, cujuſce caput *Amida*, eique tributae leguntur Urbes *Seleucia*, *Nicephoria*, *Apamea*, *Niſibis*, *Singara* &c., atque in *Oſrhoenam* a Rege *Oſdroe* denominatam, teſte Procopio de Bello Perſico lib. I. cap. 17, cujuſce Metropolis *Edeſſa*, Urbeſque Epiſcopatu inſignes contributae *Charre*, *Bathnae*, *Callinicum*, deinde *Callirrhoes* dicta, *Birtha*, *Anthemuſia*, *Rheſaena* &c., conferenduſque Lucas Holſtenius in Annot. ad Geographiam Sac. Caroli a S. Paulo de Patriarchatu Antiocheno p. 180. ſqq.

X. Jam vero initio Babyloniis, Chaldaeis, Aſſyriis, Medis, Aramaeis &c. *Nabuchodonozoream*, poſtinde, poſt ideſt *Nabonaſſaream*, uſu Epocham veniſſe docemur, ab anno nempe, quo *Nabuchodonozorus* I. Judith 1. 3. ſqq., Theoni in Canone Regio Aſtron. *Saoſduchinus* denominatus, Regni anno 12. *Arphaxado* Judith 1. 1. 3, (quem *Dejocem* Herodoto lib. I. cap. 130. dictum adverſus Franc. Junium contendit Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p. 60. ſq., cui in opinione adhaerent Pridaeus Hiſt. Jud. T. I. edit. Ven. p. 50, Fourmontius Reflex. Crit. in Hiſt. Vet. Popul. p. 186. ſq., Daudaeus in Proleg. S. Script. §. 6, ac Duhamelius in Praef. ad Judith p. 295: contra vero *Arphaxa*

dus, non *Dejoces* ipſe, ſed ipſius *Dejocis* filius *Phraortes* I. viſus eſt Newtono in Chron. Ven. Regn. Emend. p.*216*, Tourneminio diſſert.9. ſq. Oper. Menoch. T.II.p.419. ſqq., Rollino Hiſt. Antiq. Aegypt. &c. T.XIII.in Tabul.Chron.p.25, Du Cheſnio in Hiſt. Antiq. Compend. p.24.), *Arphaxado*, inquam, devicto, Aſſyrio haud modicum adjecit Imperium, totius videlicet Mediae, anno ideſt Mundi 3347, ante Chriſti natalem 657. Poſt hanc Chaldaeis, Aſſyriis, Medis &c. Epocham alteram *Nabollaſſaraeam* ab anno, quo *Nabollaſſarus*, qui aliis dicitur *Nabopollaſſarus*, Nabuchodonozori II. *Magni* cognomento Pater a *Saraco*, Theoni in Can. Aſtron. *Chyniladano* denominato, Aſſyriae, & Chaldaeae Rege deficiens, adverſus illum copiis Niniven eductis illò eum adduxit, ut ſe ipſum una cum Regia concremarit, atque Chaldaeae, Aſſyriaeque Imperium in ſe tranſtulit, veluti referunt Alexander Polyhiſtor in Graecis Euſeb. Scaligeri p.38. ſq., Beroſus Rer. Chald. lib.3. apud Uſſerium Annal.p.62, Theon in Can. Reg. Aſtron. apud Petavium Rat. Temp. T. II. p.277, ac Dodvvellum in Adpend. ad Diſſert.Cyprian. p.163, ac Syncellus in Chronog. p.210. edit. Pariſ., Ven. p.168, quem pone ſequuntur Pezronius Antiq. temp. cap.10. p.141. ſq., & in Chron. p.19. ſq., ac Boivinius Monum. Acad. Inſcrip. T.II. p.70, alias T.III. p.87, anno ideſt Mundi 3378, ante Chriſtianam Aeram 626, adhibitam fuiſſe veri ſit valdequam ſimile. De utraque namque Epocha hacce mentio fit explicitiſſima a Mare filio Salomonis Seculi XII. Scriptore Neſtoriano-Chaldaeo in Libro *Magdal*, ideſt *Turris* inſcripto T.I. cap.5. ſect.1. de Conditu Mundi apud Abulbarcatum de Divin. Offic., & Cl.Aſſemanum Bibl. Orient. T.III.p.582.ſqq., ubi *Nabuchodonozoraeam* Epocham cepiſſe Feria 4, *Nabollaſſaraeam* vero Feria 1. ſcribit: ab illa vero ad *Jezdegerdem*, cujus Aeram Feria 3. incepiſſe ait, fluxiſſe annos 1379; ab iſta autem ad eumdem *Jezdegerdem* annos 955. cum Menſibus 3. interceſſiſſe tradit. Ab *Alexandro M.* deinde, cujus Epocham Feria 2. conſignat, ad *Jezdegerdem* annos 932, ac dies 259. computat; ab *Hegira* demum, cujus initium Feriae 5. illigat, ad eumdem *Jezdegerdem* annos 10. Lunares, cum diebus 84. fluxiſſe ſubjungit. Ejus etiam men-

Digitized by Google

mentio apud Fabricium Bibliogr. Antiq. cap.7. p.206. occurrit, atque in annum 625. ante Chriſti natalem confertur: quo revera ab anno *Nabopollaſsarum* imperium fuiſſe auſpicatum ex Theonis Canone Aſtronomico conſtat, oſtenduntque Scaliger, Calviſius, Petavius, Ricciolius, Pezronius, Marshamus, Dodvvellus, Marshallus, De Vignolius Chron. Hiſt. T.II. lib.5. cap. 8. p. 397. ſqq., quo loci tam Labbeum, a quo Synop. Chron. T.II. p.594. annis 21, quam Langium, a quo de Annis Chriſti lib.2. cap.12. p.305. ſq. annis 20. *Nabopollaſsari* regni exordium antevertitur, invicte refellit.

XI. Verum Aſſyriis, Medis, Aramaeis &c. novam, ac celebriorem, eamque geminam, deinceps inſtitutam, ſive verius receptam fuiſſe Epocham, tam ab eo videlicet, quo *Alexander M.* Babylonem ingreſſus, ibique fatis eſt functus, anno Periodi Julianae 4390, ante Chriſti natalem vulgarem 324, ante *Seleucidarum* Aeram 12, qua de re Appianus de Bello Civili lib.2. ſub fin. p.525, Diodorus lib.17. p.555, Q.Curtius lib.10. cap.7, Plutarchus in *Alexandro*, Juſtinus lib.12. cap.15, Arrianus apud Photium Cod. 91. p.211. ſqq., Athenaeus lib.10, & 12, jungendique Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p. 207. ſqq., Froelichius Annal. Reg. Syriae p. 2. &c.; quam ab eo inſuper, quo a *Seleuco Nicatore*, ideſt *Victore*, Babylone ſubjugata, ſive *Antigono* Aſiae imperanti erepta, ibidem ſedes Imperii defixa fuit, anno Periodi Julianae 4402, ante Chriſtianam Aeram 312, Seleucidarum 1; qua de re Diodorus lib.19. p.649. ſq., Appianus in *Syriacis* p.122, Plutarchus in *Demetrio*, Euſebius in Chron. verſ. S.Hieron. T.VIII. p.540, jungendique Uſſerius Annal. p.233 ſq., Froelichius Annal. Syr. p.9. ſq, Vallarſius in Not. ad Euſebium loc. cit. &c., Aeram ideſt tam *Philippicam*, quam *Seleucidarum* frequentari deinceps illis cepiſſe indubium eſt. Atque de *Philippica* quidem inde patet, quod ſuos ad Aegyptiacos tum adhuc vagos, facilioris computi gratia, annos, quos Chaldaeis, Aſſyriis &c. perinde vagos fuiſſe uſurpatos paullo ſuperius oſtendimus, Aeram hancce transferre, accommodareque deinceps Aegyptii Aſtronomi non dubitarint. De *Seleucida* vero liquidum eſt, locupleſque Ptolemaei teſtimonium Almageſti lib.9. cap.7, &

lib.11.

lib. II. cap. 8, ubi auctor eſt a Chaldaeis Aeram *Seleucidarum* adhiberi deinde cepiſse; ita tamen, ut hancce, non ab Autumno utique Anni Periodi Julianae 4402, ante Chriſti natalem 312, velut eam Syro-Macedones inchoarunt, ſed ab Autumno, ſeu a Septembri anni inſequentis Aerae *Seleucidarum* 2, Periodi Julianae 4403, ante Chriſtum 311. auſpicandam duxerint. Ubi *Chaldaicam* Aeram iſtam, ſive *Seleucidarum* Aeram juxta Chaldaeos, anno ideſt integro ſerius, Scriptori libri II. Macchabaeorum minime adhibitam fuiſſe, neque *Seleucidarum* annos ita fuiſse ſupputatos, veluti perſuaſum Scaligero de Emend. temp. lib. 5. p. 431. ſq., eumque ſequuto Calviſio, Uſserio quoque Annal. Vet. Teſt. p. 235. fuerat, obſervant, oſtenduntque Petavius Doct. Temp. lib. 2. cap. 22, Longuerue de Var. Epochis Veter. cap. 2. §. 4. p. 52. ſqq., & Froelichius in Prolegom. ad Annal. Reg. Syriae Par. II. cap. 2. p. 23. ſq. Sed enim utraque hacce de Aera tam *Philippica*, quam *Seleucidarum* opportunior agendi ſe nobis aperiet infra locus, quum de Syro-Macedonum Epochis incidet ex propoſito ſermo.

XII. Interea *Chaldaica* iſta, ſive *Seleucidarum* anno uno a Chaldaeis diminuta Aera uſurpari ad ſequiorem uſque aetatem non deſtitit a Chriſtianis etiam Chaldaeis, ſeu Aſſyriis, Meſopotamenſiſque Scriptoribus apud Cl. Aſſemanum in Bibl. Orient. Quamvis enim Perſarum Aera perſaepe quoque, atque praeſertim in deſcribendis SS. Martyrum Actis ſub Perſarum Regum perſequutione tam prima ſub *Sapore*, quam ſecunda ſub *Jezdegerde*, & *Vararane*, Scriptores Aſſyrii uſi legantur, cujuſmodi fuere apud Aſſemanum utrumque Scriptores Actorum SS. Martyrum Orientalium T. I. in Praefat. p. XLVI. ſqq., & p. 15. ſqq., imprimiſque S. Maruthas Tagriti, ſive Maipheracti, quae & Martyropolis, Epiſcopus in Hiſt. Martyr. Bibl. Orient. T. I. p. 1. ſqq., atque Scriptores Anonymi in Codic. MSS. Bibl. Vatic. Syriacis 1, & 11. fol. 82, & 87, & Amidenſibus 1, & 11. fol. 437. eodem T. I. Bibl. Orient. p. 2. ſqq., & Actor. SS. Martyr. Orient. T. I. in Praef. p. LXXIX. ſq., in Cod. Nitrienſi Vatic. 11. eodem T. I Act. SS. Martyr. p. 134, 215, 226, 234, & 241. ſq.: (quibus tamen omnibus

bus Aeram *Seleucidarum* etiam, anno tamen uno poſteriorem, adhibitam fuiſſe patet, ibique probant Aſſemanus uterque), qui Perſarum Aera plane ab *Artaxerſe* Perſa, qui *Artabano* V. Parthorum Rege tribus praeliis ſuperato, ab his ad Perſas Regnum anno Graecorum non utique 538, Aerae Chriſtianae 226, U. C. 980, Arſacidarum 482, veluti viſum Longuerue in Annal. Arſacid. p.53. ſq., aut Graec. 525, Chriſti 213, ut Joſepho Simonio Aſſemano Bibl. Orient. T.I. p.5. ſq., ſed anno Graecorum 534, Chriſti 223, U.C. 976, Arſacidarum 478, ut oſtendit Cl. Stephanus Evodius Aſſemanus in Act. SS. Mart. Orient. T.I. Praef. p. LXXVI. ſqq., & p.37, tranſtulit, ducta, aliiſque Scriptoribus infrequentata, uſi leguntur; ceteri tamen Chaldaei, Aſſyrii, Meſopotameni &c. Chriſtiani Scriptores in rebus apud gentiles ſuos geſtis litterarum monumentis conſignandis Aeram adhibuere *Chaldaicam*, ideſt Graecam anno 1. ſerius initam, hoc eſt non ab anno Chriſtianam ante Aeram 312, ſed 311, veluti oſtendit Aſſemanus Bibl. Orient. T.I. p.182, 387, & 389, ubi annum Graecorum 309, quo a Syris Chriſti natalis conſignari ſolet, reſpondere anno 311. obſervat. Atque ita Anonymi in Codic. MSS. Syro-Vatic. 39, & Arabico I. in Vita S.Ephraemi, ac Simeon Monachus Auctor Scholiorum in Expoſit. Vet. Teſt. S. Ephraemi Bibl. Orient. T. I. p.54, & 63. ſq., ubi obſervat Aſſemanus a Theophilo Edeſſeno Monacho circa Seculi VIII. exitum quinque Vocalium Syriacarum figuras α. ε. η. ο. υ. ω. Graecarum inſtar efformatas, fuiſſe inventas, earumque formam exhiberi in Codice MS. Edeſſeno anno Chriſti 861. exarato Commentarii S. Ephraem in Oſeam fol. 133. ſq. Ita Aera Graecorum anno 1. diminuta, ſive *Chaldaica* uſi leguntur apud Stephanum Evodium Aſſemanum in Act. SS. Martyr. Orient. T.I. p.241. ſq. Scriptor Actorum S. Jacobi Interciſi Cod. Nitrienſ. Vat. II; & apud Joſephum Simonium Aſſemanum in Bibl. Orient. T. I. praecit. Theophilus Edeſſenus in Hiſtoria p.521; Joſue Stylites Edeſſenus Seculo V. ad exitum vergente in Chronico de Bello Perſico p. 260 ſq.; Anonymus Syrus in Vita S. Jacobi Sarugenſis p.289; Simeon Epiſcopus Beth.Arſamenſis in Epiſt. ad Mar-Simeonem Gabulae Abbatem anno Graec. 835, Chri-

ſti

Digitized by Google

ſti 524. p.364.ſq.; Auctor Chronici Edeſſeni circa annum Chriſti 550. p.387. ſqq.; Johannes Monachus Manſuraeus in Vita S. Iſaaci Ninivitae Seculo XVI. exarata p. 444. ſqq.; Phocas Edeſſenus in Scholiis ad Dionyſium Areop. Seculi VI, aut VII. Scriptor p.468; Jacobus Edeſſenus in Homiliis Severi e Graeco Syriace factis, & in Chronico Seculo VII. labente conſcripto ibid. ſqq.; quo loci Jacobum hunc non utique confundendum cum SS. Jacobo Niſibeno, aut Sarugenſi, uti fecere Maſius, Hottingerus, Britius, Naitonus, Cavaeus &c., ſcite admonet Cl. Aſſemanus, qui ejuſdem Orthodoxiam adverſus Renaudotium Liturg. Orient. T.II. p. 380. ſq. vindicat, ac defendit p. 470. ſqq., & 476. ſqq.; Daniel Salchenſis in Meſopotamia Epiſcopus circa annum 700. Expoſit. in Pſalmos p.495; Johannes Maro in Libello Fidei, Scriptiſque aliis Seculi VII. Scriptor p. 513. ſqq.; Scriptores tres Anonymi Cod. MSS. Syri-Vatic. 27, & Amidenſium 9, & 13. de Johannis Sulachae inauguratione anno Chriſti 1553. p.527. ſqq.; Ebedjeſu Chaldaeus in Hiſtoria ejuſdem Sulachae p.530. ſq.; Ebedjeſu Sobenſis in Libro Carminum Seculi XIII. auctor p. 538. ſq., ubi Aſſemanus rite advertit Sobenſem hunc ce cum Chaldaeo illo homonymo haud confundendum fore, veluti fecere Abraham Ecchellenſis, & Naironus; Elias Babylonis Patriarcha in Profeſſione fidei, & in Epiſt. Synodica ad Paulum V. P. M. p.547. ſq., & T.III. p.599. ſqq.

XIII. Eadem *Chaldaica* Aera, Graeca videlicet anno 1. ſerius incepta, in conſignandis rebus in Chaldaea, Aſſyria, Meſopotamia, ſeu Aramaea &c. patratis uti perrexere ad devexiorem uſque aetatem Scriptores alii ejuſdem gentis apud Aſſemanum Bibl. Orient. T.II; quales Scriptor Syrus Vitae Barſumae Archimandritae Monophyſitae Seculi V. in Cod. Syriaco 16. p.8. ſqq., quem probe diſtinguendum a Barſuma Niſibeno Metropolita Neſtoriano, ab alteroque Cognomine Aegyptio Anachoreta ibidem advertit Cl. Aſſemanus poſt Renaudotium Liturg. Orient. T. II. p.99. ſq.; Abdalmonemus Libaniticae Provinciae Praefectus in Cod. Syr., & Arab. Evangeliorum Bibl. Maronitarum Romae fol. 9. Seculo XV. p. 9; Auctor Vitae Xenajae in Cod. Syr. 13. p.13; Thomas Heracleenſis Jacobi-

ta

ta in Not. ad Verſionem Evangeliorum e Graeco in Syrum facta a Xenaja, ſive a Philoxeno anno Graecorum 927, Chriſti 616. p. 23, 90. ſqq., & apud Renaudotium, cui hujus aetas incognita fuit, Liturg. Orient. T. II. p. 389; Paulus Callinici Epiſcopus Jacobita in Oſrhoena in Verſione Operum Severi e Graeco in Syrum Seculo VI. in Cod. Nitrienſi 29. p. 46. ſq.; Zacharias Melitinenſis in Armenia Epiſcopus in Hiſtoria Eccleſ. a *Conſtantino M.* ad annum 20. *Juſtiniani* in Cod. Syro-Vatic. 24. p. 55. ſqq.; Johannes Amidenſis Jacobita in Aſia Epiſcopus in Hiſt. Eccleſ. a *Theodoſio* Jun. ad *Juſtinianum*, ſive ad Graecorum annum 885, Chriſti 574; quum tamen *Juſtinianus* vivendi finem anno Graecor. 875. fecerit, p. 83. ſqq.; Anonymus iu Vita Thomae Heracleenſis in Cod. Syr. Vat. 16. p. 91. ſqq.; Dionyſius I. Telmarenſis Jacobitarum Patriarcha Antiochenus in Chronico Syro ab Orbe condito ad an. Graec. 1086; Chriſti 775, cujuſce magnum Aſſemanus uſum fecit, ac Epitomen exhibet p. 98. ſqq., 101. ſqq.; Moyſes Niſibenus Abbas Scetenſis in Collectione Operum Johannis Darenſis in Cod. Ecchellenſi Vatic. 16. Seculo VIII. p. 118. ſq.; Scriptores duo Cod. Nitrien. 11, & Syriaci Vat. 3. in Vita Johannis Patriarchae Jacob. 80. p. 125. ſq.; Syrus Auctor Vitae Moyſis Barcephae Seculo X. p. 127, & apud Maſium in Praef. ad Barcephae Tract. de Paradiſo; Johannes Patriarcha Jacob. 85. Seculo X. in Synodica ad Mennam Coptorum Patriarcham 61. p. 132. ſqq., & apud Paulum Ebn-Regia in Tract. de Fide Patrum fol. 285. ſqq.; Scriptor Cod. Syriaci Evangeliorum Bibl. Regiae Pariſ. Seculo XII. apud Renaudotium Liturg. Orient. T. II. p. 448; Dionyſius, qui & Jacobus, Bar-Salibaeus Amidae Epiſcopus Jacobita Seculi XII. Scriptor Expoſit. in Evangelia apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. II. p. 163. ſq.; quo loci cum Jacobo Edeſſeno Chriſti D. natalem anno Graec. 309, (qui revera fuit 311,) *Auguſti* 41, *Herodis* 31. conſignat, Decembris die 25, mortem vero *Tiberii* anno 19; Anonymi duo Syri Cod. MSS. 28, & 29. in Annot. ad Codicem Evangel. Johannis Mardenſis Epiſcopi Seculi XVI. p. 216. ſqq.; Continuator Bar-Salibaei in ſerie Patriarcharum Jacob. Seculo XVI. p. 230. ſq.; Lazarus Monachus Tur-Abdin in Deſerto Scetenſi anno Chriſtianae Aerae

1211. in Codice quatuor Evang. exarato p. 236; Jacobus Tagritenſis Epiſcopus circa Seculi XIII. dimidium in libro Theſaurorum, Opere Theologico p. 237. ſq.; Gregorius Bar-Hebraeus, vulgo Abulfaragius Jacobitarum Primas patria Melitinenſis in Chron. Syriaco Seculo XIII, cujus ſpecimen, Epitomenque Aſſemanus exhibet, eoque multum utitur, p. 244. ſqq., 311. ſqq., juncto Codice Syriaco Vat. 24, de quo in Act. SS. Martyr. Orient. T. I. p. 81. ſq., in Liturg. S. Jacobi Cod. Syr. 32. fol. 127. p. 275. ſq., in Symbolo fidei Cod. Syr. 27. fol. 41, in Commentario ad S. Scripturam, ſive in Theſauro Myſteriorum Cod. Syr. Bibl. Maronit. Romae fol. 233. p. 276. ſq., in libro Radiorum, ſive Theologiae compendio p. 297. ſq., in libro Directionum, ſeu Epitome Canonum p. 300. ſq., in Ethica, ſive libro de Moribus p. 303. ſq., in libro Splendorum, ſive Grammatica Syriaca p. 307, in Chronico Arabico a *Mundo* condito ad *Alexandri M.* annum 1596, Chriſti 1285. p. 309. ſqq., & 314. ſq.; ubi juxta *Chaldaicam* Aeram, ſive Graecam anno 1. minorem, ab *Adamo* ad *Seleucum* annos numerat 4889. juxta Euſebium, 5083. juxta Andronicum, 5085. juxta Georgium Regtenſem Presbyterum, 5083. juxta Africanum, 5197. juxta Theophilum Edeſsenum, 5149. juxta Jacobum Edeſſenum, 4929. juxta Georgium Epiſcopum Arabum, 5180. juxta Anianum, ac Menſes 10, cui ſuffragari Graecam LXX. Viralem Verſionem ait, Theophilo vero Edeſſeno Graecos hodie adſtipulari; ab *Orbe* vero condito uſque ad *Chriſti D.* necem annos 5539. ipſemet Abulfaragius colligit, juxta vero Hippolytum, Johannem, & Mar-Jacobum 5550, juxta Euſebium 5232, juxta Syros 4156, juxta Africanum 5532, juxta alios 5320, juxta Traditionem aliorum 5509, juxta Andronicum Graecorum anno 342.

XIV. Eadem perinde *Chaldaica* Aera, ſive Graeca anno 1. decurtata a Chaldaeis, uti perrexere Johannes Garirus Damaſcenus in Not. ad Ethicam Bar-Hebraei e Syriaco Arabicam factam Graecor. anno 1956, Chriſti 1645, & in Horreo Myſter., ſive Comment. S. Script. ejuſdem Bar-Hebraei Arabice verſo anno Graec. 1946, Chriſti 1635. apud Aſſemanum p. 278, & 303; Noemus Jacob. Patriarcha Seculo XV. in Tract. de Fide,

in

in Homil. de Annunc. B. Virginis, & in Breviario Chronici p.468. ſqq.; ubi *Chriſti D.* natalem anno Graecorum 309, qui ut innui, revera eſt 311, conſignat; Continuatores duo Chronici Bar-Hebraei ab anno Graec. 1596, Chriſti 1285. uſque ad annum Graec. 1804, & 1807, Chriſti 1493, & 1496. p.301. ſqq., & 460. ſqq. Ita quoque *Chaldaicam* hanc Aeram, ſive Graecam ab anno 311. ante Chriſti natalem auſpicatam in rebus gentiles apud ſuos geſtis retexendis adſumpiſſe leguntur apud eumdem Aſſemanum Bibl. Orient. T. III. Elias Anbarae in Chaldaea Epiſcopus Seculi X. Neſtorianus Scriptor in libro Carminum p. 258. ſq.; Ebedjeſu Sobenſis ſuperius indicatus Seculo XIII. in Epitome Canonum Synod., & ipſe Neſtorianus p.333. ſq., & 352. ſq.; Georgius Arbelenſis Metropolita ejuſdem furfuris Vir Seculo X. in libro de Officiis Eccleſ., a quo Cyclus *Lunaris* 19, & *Solaris* 28. Euſebio Caeſar. refertur acceptus; *Chriſti* vero Natalis anno Graec. 306, Obitus anno 339. conſignatur, p. 518. ſqq.; Thomas Margenſis Epiſcopus Seculo IX. in Hiſtoria Monaſtica Antiquitatis Monumentis ubique refertiſſima p.463. ſqq.; Mares Salomonis filius Seculo XII. in Hiſtoria Arabica Patriarch. Neſtor. p.554. ſq., & 582. ſqq.; Timotheus II. Arbelae, & Moſulis Neſtor. Patriar. Seculi XIV. initio in libro de Sacramentis p.572; Amrus filius Matthaei Tirhanenſis Seculo XIV, Maris Salomonis Abbreviator in Hiſtoria Patriar. Neſtor. p. 580. ſqq.; Thomas, Jaballaha, Jacobus, & Denha Indiarum Epiſcopi Neſtoriani in Epiſtola ad Patriarcham Neſtorianum Meſopotamiae anno Graec. 1844, Chriſti 1533. exarata p.589. ſqq.; Abraham Seleucienſis in Armenia Neſtor. Epiſcopus Seculo XVI. in Carmine p. 599; Joſephus II. Amidenſis Epiſcopus, ac deinde Patriarcha Chaldaeus Orthodoxus Seculo XVII. in Speculo p. 603. ſqq.; Abraham Baſſorenſis in Dialogo cum Monacho Sinenſi in Cod. Arab. Vatic. 127. anno Graec. 1737. exarato; Abulezzus Chedri filius de Eccleſiae dedicatione in Cod. Syr. Amidenſi 8., anno Graec. 1881. conſcripto p.610. Jungendae Sepulcrales Patriarcharum Neſtorianorum Inſcriptiones in Eccleſia Moſulana, quas a Codſo ejuſdem Eccleſiae Diacono deſcriptas ſe accepiſſe refert Aſſemanus Bibl. Orient. T.IV. p.948. ſq., quae annis

 Grae-

Graecorum notatae ab anno 1902, Chriſti 1591. uſque ad Graec. annum 2034, Chriſti 1722. conſpiciuntur.

XV.. Epocha ſed enim inſuper duplici altera uſos olim Aſſyrios, Chaldaeos, Aramaeos &c., qua ab anno *Alexandri M.* 538, Chriſti 226, juxta Longuerue, vel *Alexandri* 525, Chriſti 213, juxta Joſephum Simonium Aſſemanum, vel *Alexandri* 534, Chriſti 223, juxta Stephanum Evodium Aſſemanum, de quibus infra, quo ſcilicet anno ab *Artaxerſe* Perſa, bello Parthis ſuperatis, & *Artabano* V. Rege interfecto, novum, ampliuſque Perſarum Imperium accepit incrementum; qua ab anno Graecorum 1569, Chriſtianae Aerae 1258, quo Saracenicum Regnum Caliphis *Abaſſidis* ereptum, ad Mogulos, ſive Tartaros ab *Hulacbo Khano* Arabum, & Perſarum Sultano, Bagdado expugnata, translatum eſt, infra oſtendemus, quum de Perſarum, ac Tartarorum Epochis ſermo nobis ex profeſſo inſtituetur. Ad ſpeciales, quod modo ſpectat, atque prout ordo poſtulat, atque primo *Chaldaeae* Urbium Epochas accedendo, *Cteſiphonte* in Aſſyria ad Tigrim Urbe a *Vardane* Parthorum Rege exaedificata, Regnique Metropoli conſtituta; Urbeque altera *Vologeſia* in Chaldaea ad Euphratem, a Babylone millibus 18. diſtante, ut habetur in Tabula Peutingeriana, condita, ſuoque de nomine adpellata a *Vologeſe* I. Parthorum altero Rege, teſtibus Plinio lib. 6. cap. 26, Stephano de Urbib. p.70, & Ammiano Marcel. lib.23. cap. 20, novam ab Urbe condita utraque iis uſu Aeram veniſſe ſuſpicari recte quis poſſet; niſi aliunde ſcitum eſſet Parthos ea ſub aetate ſe Graecorum Φιλελλήνας *Amicos*, ſocioſque adpellare delectatos, Graecorumque Aeram adoptaſſe. Regnare porro *Vardanes*, aliis *Bardanes*, cepit ab anno U. C. 796, Chriſtianae Aerae 43. uſque ad annum U. C. 803. Chriſti 50, quo ei in Regno Parthorum *Vologeſes* ſucceſſit. De *Vardane*, ejuſque bello cum Romanis, capta ab eo Seleucia, everſaque, indeque non longe, tertio ideſt ab ea lapide, Cteſiphonte aedificata agunt Joſephus Antiq. lib.20. cap.3, Strabo lib. 16. p. 512, Tacitus Annal. lib.11. cap.8. ſqq., Plinius, & Ammianus loc. cit. Seleucia demum, ac Cteſiphonte ſolo aequatis anno Hegirae, non 145, Chriſti 762, a die 1. Aprilis, uti ſcriptum Re-

Renaudotio Liturg. Orient. T. I. p. 375, & T. II. p. 408, & Herbeloto Bibl. Orient. p. 167. ſq., ſed Hegirae anno 140, Chriſti 757. a die 25. Maji, ab *Abdalla* Kalipha Abaſſidarum II, qui Herbeloto loc. cit. *Abugiafar* dicitur, Bagdadum a *Bag* Perſarum Idolo, & *Don*, ſive *Dad*, Perſice *Hortus*, a loco ideſt Idolo dedicato, ubi Urbs aedificata eſt, ut ex Perſarum traditione tradit Herbelotus, denominatam, cis Tigrim fuiſſe aedificatam ex Gelaledino Aſiutenſi Cod. Arab. Vatic. 46. oſtendit Steph. Evodius Aſſemanus in Actis SS. Martyr. Orient. T. I. in Not. p. 38; cujus de Urbis variis fatis videndus Herbelotus Bibl. Orient. p. 168, ubi Abaſſidis Urbem ereptam anno Hegirae 656, Chriſti 1258. a die 8. Januarii ab *Holagu* Mogulorum, ſive Tartarorum Sultano, Hegirae anno 795, Chriſti 1392. a die 17. Novemb. a *Tamerlano* captam, Hegirae anno 815, Chriſti 1412. a die 13. Aprilis a *Kara-Joſepho* Turcomanno Dynaſtiae *Arietis Nigri* Imperatore occupatam, Hegirae anno 875, Chriſti 1470. a die 30. Junii ab *Haſſano Uzuno*, Turcice *Longo*, vulgo *Uſſuncaſſano* Turcomanno Dynaſtiae *Arietis Albi* Sultano invaſam, Hegirae anno 914, Chriſti 1508. a die 3. Maji a *Schabo Iſmaele*, cognomento *Sofi*, in hac Perſarum Dynaſtia Imperatore I. receptam, ac tandem Hegirae anno 1048, Chriſti 1638. a die 15. Maji Perſis ereptam in Turcarum poteſtatem ab *Amurathe* III. fuiſſe redactam obſervat.

XVI. In Lineam, unde paullo deflexeram, regrediendo meam, ab *Arſace* porro defectione a Syromacedonibus facta, ſuoque de nomine in Parthia *Arſacidarum* Imperio fundato anno Periodi Julianae 4458, U. C. 498, ante Chriſti natalem 256, ut oſtendunt Vaillantius in Hiſt. Regum Parthor. p. 2, Ludovicus du Four Longuerue in Annal. Arſacid. p. 2. ſq., Froelichius in Num. Antiq. cap. 9. p. 174. ſqq., ac Khevenhullerus, ſeu ipſe Froelichius in Reg. Veter. Num. Anecd. p. 65. ſq., non vero anno Periodi Jul. 4464, U. C. 504, ante Chriſtum 250, uti diſtulit Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 259, & cum eodem deinde Vaillantius in Hiſt. Reg. Syriae p. 48. a ſe ipſo diſſentiens; neque anno Periodi Jul. 4485, U. C. 525, ante Chriſtianam Aeram 229, velut Eduardo Corſinio in Diſſert. de Arſa-

Arſacid. Epocha viſum eſt; quem ideo refellendum adſumpſit Froelichius de ſimili argumento diſſertationem eidem objecta, novam dubio procul Parthi Aeram uſurpare etſi viſi fuerint, a veteri *Graeca* tamen uſurpanda haud ſibi abſtinendum Parthos duxiſſe, ipſorum ex Nummis arguit Harduinus, auguratuſque eſt in Chronolog. Vet. Teſt. p.609. ſq. Cujuſce rei ea Viro doctiſſ. cauſſa fuiſſe conjicitur, quod primus novi apud Parthos Imperii fundator *Arſaces*, ut novorum ſubditorum, magna ex parte Graecorum, benevolentiam ſibi devinciret, Φιλέλλην ſe adpellari voluerit, velut etiam advertit Spanhemius de Uſu, & Praeſt.Numiſ. edit.Rom.p.133.ſq.; quo perinde titulo longe poſt ipſum *Vardanes* neque ſibi abſtinendum duxit. Quae ſane retinendi tituli deinde cauſſa fuiſſe videri poteſt ſocietas, foeduſque, teſte Trogo Epitome lib. 41, cum *Antiocho Magno* anno U. C. 543, ante Chriſtum 211. initum ab *Arſace*, cognomento *Artabano*, qni Parthis imperare ſuperiori ceperat anno U. C. 542, ante Chriſtum 212. apud Longuerue Annal. Arſacid. p.5. ſq. Verum falli dubio procul Virum doctiſs., atque Parthis in Nummis non aliam, niſi *Arſacidarum* a condito ab *Arſace* Imperio Aeram uſu deinceps veniſſe, quoad uſque Parthicum in Perſas translatum Imperium non modo fuit, annum ideſt aut U. C. 979, Chriſti 226, juxta Longuerue, aut U. C. 966, Chriſti 213, juxta Joſephum Simonium Aſſemanum, aut verius, opinor, U. C. 976, Chriſti 223, juxta Aſſemanum Stephanum Evodium, quo ab *Artaxerſe* Perſa Parthis deletis, & *Artabano* V. interfecto, Parthorum Imperium a Perſis occupatum eſt; ſub quo tamen adhuc tempore Arſacidis in Armenia rerum tum etiam potientibus Aera *Parthica*, ſeu *Arſacidarum*, adhiberi perrexit; ſed uſque ad annum Aerae Chriſtianae 412. circiter, quo ab *Arſace* ultimo Armeniae e ſtirpe Arſacidarum Rege Regnum *Theodoſio* II. *Jun.* reſignatum fuit, infra palam fiet, ubi de Parthorum Aera. Nummos porro quod attinet *Arſacis* nomen praeſeferentes, e Cimelio Regio Pariſ., Britannico, Vindebonienſi, Medicaeo, D. Foucaltii, Theupoli, Baudelotii, Le Bret, Putei, Liebe, Haymii &c., cum Serpentis ad Regis collum effigie,) Serpentes vero interfectos Magis offerre pro malorum libe-

liberatione, Feſto celebrato, Perſis olim, indeque Parthis, in more poſitum fuiſse refert Agathias lib. 2. p. 62. ſq. edit. Pariſ.), *Lunae* quoque, *Solis*, atque *Ignis*, (quos in honore Perſis, ideoque & Parthis habitos fuiſse conſtat), figuris expreſſis; cumque Numericis annorum Notis 137, aut 161, 235, 286, 428, 429, 464, 491, 500, 508, 520, inſcriptoſque apud Vaillantium Hiſt. Arſacid. p. 391. ſqq., Harduinum loc. cit., Longuerue Annal. Arſacid. p. 54, Haymium Theſ. Britan. T. II. p. 31. ſqq., Khevenhullerum, ſive Froelichium in Regum Vet. Nummis Anecd. p. 52. ſqq., Froelichium ipſum in Notitia Num. Antiq. cap. 9. p. 173. ſqq. &c., Βασιλεως Μεγαλου; aut Βασιλεων, Αρσακου Φιλοπατορος; aut Δικαιου, Ευεργετȣ; aut Επιφανους, Φιλελληνος, *Regis Regum Benefici*, *Juſti*, *Nobiliſſimi*, *Amici Graecorum*, tribuendos opinatur Harduinus cit. p. 609. ſq. duobus aliis Parthorum Regibus, Patri, filioque ſimul imperantibus, (qui alii profecto eſse nequivere, quam *Phrabates*, & *Himerus*, non filius utique, ſed Praefectus apud Longuerue in Annal. Arſacid. p. 13. ſqq.), queis cum Seleucidis duobus *Antiocho* VII. *Evergete*, & *Demetrio* II. *Nicatore* anno Seleucidarum 186, ante Chriſti natalem 127, U.C. 627. foedus initum fuiſse putat. Aſt enim ad Arſacidas, qui poſt *Artabanum* V, non vero IV, uti Froelichius habet, in Armenia ab anno U. C. 979, Chriſti 226. regnare perrexerunt, illos referendos Nummos opinatur Corſinius cit. Diſsert. de Arſacid. Epocha p. 35. ſqq., ac in Diſsert., qua Froelichii dubiis de Minniſari Reg. Num., & Arſacid. Epocha ſatisfacere nititur, Par. III. p. 53. ſqq. Contra vero Corſinium Froelichius *Artaxerſi*, & *Sapori* Perſarum Regibus, qui Parthia occupata, in Nummis Parthiae cuſis *Arſacis* nomen uſurpare haud deſtitere, tribuendos putat de Arſacid. Epocha Par. III. p. 73. ſqq. In ea viciſſim opinione verſatur Ludovicus du Four Longuerue in Annal. Arſacid. p. 44, ut *Arſaci* Regi Armeniae, Fratri *Artabani* V, ſub quo Arſacidarum progenies in Armenos tranſlata eſt, Nummos illos fore reſtituendos perſuaſum habeat. Verum longe propius ad veritatem *Arſaci* I, aut II, *Phrabati* IV, *Vologeſi* II, & III, eos Notis inſcalptos numeralibus adſcribendos Nummos eſse ſua-

ſuadere Khevenhullerus, ſive Froelichius in Regum Vet. Num. Anecdotis p.57. ſqq., atque de Num. Antiq. cap.9. p.179.ſqq. conatur: cui tamen Nummos Aera notatos 464, 491, 500, 508, & 520. *Artaxerſi* I, ac *Sapori* I. Perſarum Regibus adtribuendos fore putanti haud adſentior: cur vero adſentiri detrectem, infra planum faciam, quum de *Parthorum* Aera ſermo fiet.

XVII. Atque *Vologeſem* I. quod nunc attinet, regnare is utique cepit ab anno U.C. 803, Chriſtianae Aerae 50. uſque ad annum circiter U.C. 834, Chriſti 81; eique rem ſaepe qua hoſtilem, qua amicam fuiſſe Romanis cum Imperatoribus *Nerone*, *Veſpaſiano*, & *Domitiano* referunt Joſephus Antiq. lib.20. cap.3, & de Bello Jud. lib.7. capp. 35, & 41, Tacitus Annal. lib. 12. cap. 50, lib. 13. cap. 6. ſqq., 34. ſqq., lib. 14. cap. 23, lib. 15. cap. 1. ſqq., & Hiſt. lib. 2. cap. 82, & lib. 4. cap.51, Svetonius lib.6. ſub fin., lib.8. cap.6, & lib.12. cap.2; videndique Baronius ad annum 70. n. 5. Annal. T. I. edit. Lucen. p.658; Longuerue Annal. Arſacid. p.36. ſqq., ubi *Vologeſis* Regnum quinquennio fere juſto minus fecit; atque Froelichius in Notitia Element. Num. Antiq. cap. 9. p. 179, neque non Khevenhullerus, ſeu ipſemet Froelichius in Regum Veter. Num. Anecd. p.74, qui Vaillantium in Arſacid. hiſtoria ſequutus *Vologeſis* I. Regni exordium in Aerae *Parthicae* annum 308, Chriſtianae 52. conjicit, biennio ideſt retardavit, quove a computo anno 1. dumtaxat, Vaillantium alioquin & ipſe ſequutus, diſtitit DeGuigneſius Hiſt. gen.Hun. T.I. in Tab.Chronol. lib. 7. p.400. *Vologeſis* porro Nummi extant apud Holſtenium in Not. ad Stephanum de Urb. p.70, qui unum ab *Alexandro* VII. P. M. oſtenſum teſtatur, apud Patinum in Svetonium p.202, Spanhemium de Praeſt. Num. p. 86, Vaillantium in Hiſt. Reg. Parthor., Haymium in Theſ. Britan., Harduinum in Chron. Vet. Teſt. p.610, & 613, Longuerue loc. cit. p.50, Froelichium de Arſacid. Epocha p.65, & in Regum Vet. Num. Anecd. p.52. ſqq., cum titulo Βασιλεως Βασιλεων *Regis Regum*, quem Babyloniae quoque Reges proprium olim ingenti prae faſtu, quo turgebant, ſibi feciſſe patet Ezech. XXVI. 7, Regeſque perinde Perſarum docemur I. Eſdrae VII. 12, ac Φιλελ-

λήνος.

Digitized by Google

λίνος, *Graecorum* ideſt *Amici*, foedereque juncti, quo ſemet pariter adpellare nomine, Deceſſorum exemplo, *Vologeſes* delectatus eſt, cum Numericis vero notis annorum 448, 451, 454. 460. 461, quas Aerae, non utique *Seleucidarum*, velut Harduino viſum eſt, ſed *Arſacidarum* eſſe notas infra oſtendemus. Inde patet itaque Nummos iſtos tribuendos non eſſe *Vologeſi* I, qui Parthis imperare cepit, ut innuebam, anno U. C. 803, Chriſti 50, qui *Arſacidarum* erat 305; neque *Vologeſi* II, qui anno circiter *Arſacidarum* 389, U. C. 887, Chriſti 134. imperium apud Parthos auſpicatus eſt, velut ex Dione lib. 69. p. 794. auguratur Longuerue Annal. Arſacid. p.46. ſq., (quamvis Vaillantii, atque Froelichii opinione *Vologeſes* II. regnare Aerae *Parthicae* anno 423, Chriſtianae anno 167. ceperit); quove devicto a *Lucio Vero*, Parthia cum Media, & Babylonia Romanis ſubacta fuit *Lucii Veri* anno 5, Aerae Graecorum 476, U. C. 918, Chriſti 165, *Arſacidarum* 420, ut ex Jamblico Babylonico apud Photium Cod. 94. p. 242, & Callimorpho coaevis apud Lucianum de Conſcrib. Hiſt. p.356, ex Dione lib. 71. p.811, & Capitolino in *L. Vero* cap.8. Longuerue cit. Annal. p.49. ſq.; ex Chronico vero Edeſſeno Aſſemanus Bibl. Orienl. T.I. p.390. oſtendunt; bene vero ad *Vologeſem* III, qui Aerae Chriſtianae anno 193, U.C. 946, *Arſacidarum* 448. in Parthia regnum injit, retinuitque ad annum Chriſti 214, U. C. 967, *Arſacidarum* 469, Nummos illos referendos fore cenſent Vaillantius, Spanhemius, Tillemontius Hiſt. Imper. T.III. p.113, & in Chronolog. p.546, Longuerue Annal. Arſacid. p. 50, & Froelichius cit. diſſert. de Arſacid. Epocha p. 65. ſqq., (qui tamen in Regum Vet. Num. Anecd. p.74, & in Not. Elem. Num. Antiq. cap.9. p.179. *Vologeſis* III. regni exordium in Aerae *Parthicae* annum 451, Chriſtianae 195. confert); ubi larga Corſinium refellit manu, qui diſſert. de Arſacid. Epocha p.31. ſqq. *Vologeſi* IV, hactenus prorſus incognito apud Parthos Regi, Nummos illos adſcribendos eſſe, ut propriam nempe de *Parthorum* Epocha ab anno U. C. 525, ante Chriſti natalem 229. opinionem quoquo ſuſtentaret modo, contendit: qua de re fuſius infra, quum de *Parthorum* Aera nobit incidet ſermo.

XVIII. In ceteris itaque Chaldaeae, Aſſyriae, ac Mediae Urbibus Epocham, qua *Nabonaſſari* ſub Chaldaeis, Babyloniis, Aſſyriiſque Regibus; qua *Philippicam*, atque *Seleucidarum* ſub Graecis, ſive Macedonibus, ſive Syro-Macedonibus; qua *Parthicam*, ſeu *Arſacidarum* ſub Arſacidis Regibus, ſive Parthis; qua *Perſicam* ſub Perſis; qua *Tartaricam* ſub Tartaris; qua denuo *Syro-Macedonum* ſub aetate ſequiori uſu ſucceſſive veniſſe indubium ſiquidem omnino ſit, eiſque de agendi opportunior locus alter ſit futurus Epochis, ad ſingulares idcirco in Urbibus *Meſopotamiae*, ſeu *Arameae* devexiori ſub aetate uſurpatas Epochas alias noſtra modo tranſiliat oratio. Atque prima quidem, quae in *Meſopotamia* ſe nobis Urbs offert, *Amida* Metropolis eſt anno Graecorum 660, Chriſti 349, unaque anno inſequenti Chriſti 350, Graecorum 661. Urbs altera *Tela*, olim *Antipolis* dicta, ſuoque de nomine *Conſtantina* deinceps nuncupata, in Meſopotamia, non in Phoenicia, uti perperam Valeſius in Not. ad Evagrium lib. 1. p. 58. eam collocat, a *Conſtantio Conſtantini* M. filio aedificata, ideſt moenibus cincta, inſtaurataque refertur a Dionyſio Jacobitarum Patriarcha in Chronico Syriaco, & ab Auctore Chronici Edeſſeni ad cit. annum apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. I. p. 26, 196, 273, & 395. In eo tamen a Chronologo Edeſſeno diſſentit Dionyſius, quod Urbem utramque non a *Conſtantio*, ſed a *Conſtantino* fratre, ac *Telam*, olim *Mauzalat* dictam, *Conſtantinopolim* deinceps fuiſſe denominatam tradit. Falli eum vero oſtendit Aſſemanus, quod Orientis pars non *Conſtantino*, ſed *Conſtantio* in diviſione Imperii obtigerit; *Conſtantinus* quoque anno 350. Chriſti in vivis agere jam deſierit: atque *Tela* demum conſtanter Theophani ad an. 13. Anaſtaſii, in Conciliorum Actis, Scriptoribuſque aliis Syris, Graecis, Latiniſque *Conſtantina* nuncupata ſit. Ita perinde *Dara* ex pago Urbs nobiliſſima, juxtaque munitiſſima anno 817. Chriſti facta, ſuoque de nomine inſignita *Anaſtaſiopolis*, veluti Perſis objectum validiſſimum ab *Anaſtaſio* propugnaculum, quo illorum frequens impetus frangeretur, legitur apud Procopium de Bello Perſico lib. 1. cap. 10. p. 28. ſq. edit. Pariſ., Ven. Hiſt. Byzant. T. I. p. 241. ſq., & de Aedificiis Juſtiniani lib. 2. cap. 1. p. 29.

p.29. ſq. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T.II. p.411. ſq., ubi *Daram* perinde a *Juſtiniano* fuiſſe munitam; cap.3. ſq. p. 35. ſqq., Ven.416. ſqq. *Amidae* firmata moenia, Caſtellaque pleraque reaedificata; cap.5. ſqq. p.38. ſqq., Ven.417. ſqq. *Theodoſiopolis* muros refectos; *Conſtantiae* propugnacula adjecta; *Circeſium* etiam Caſtellum a *Diocletiano* olim conditum optime firmatum; *Edeſſae*, *Batnae*, *Callinici*, & *Charrarum* moenia fuiſſe reparata refert: queis etiam de geſtis Evagrius lib.3. cap.37, Theophanes in Chronogr. p.129, & 295. edit. Pariſ., Ven. Hiſt. Byzant. T.VI. p.103, & 195, atque Joſue Stylites genere Edeſſenus in Chronico de Bello Perſico apud Aſſemanum Bibl. Orient. T.I. p.272. ſqq. Veri inde fit itaque valde ſimile, ut Aera *Graeca* Urbibus deinceps illis ſub *Conſtantio*, *Theodoſio*, *Anaſtaſio*, *Juſtiniano* &c. uſurpari ceperit non modo uſque ad annum Aerae Chriſtianae 503, Graecorum 814, quo *Theodoſiopolis*, *Tela*, *Amida*, *Batna*, Urbeſque aliae a *Cabade* Perſarum Rege captae ſunt, velut ex Joſue Stylite in Chronico de Bello Perſico, ex Auctore Chronici Edeſſeni, Euſtathio, & Dionyſio in Chron. Syriaco contra Procopium, Abulpharagium, Baronium, & Pagium oſtendit Aſſemanus Bibl. Orient T.I. p.273. ſq.; nam paullo poſt anno 816. Graecorum, Chriſti 505. ingenti auri pondo Urbes illae a Perſis recuperatae ab *Anaſtaſio* feruntur apud Theophanem loc. cit., Procopium de Aedif. Juſtin. lib.2. cap.9, & de Bello Perſ. lib.1. cap.9, alioſque relatos Aſſemano p.280; quin anno Graec. 843, Chriſti 533. pacem Romanos inter, & Perſas a *Ruffino* Patricio compoſitam fuiſſe, duraſſeque non modo uſque ad an. Graec. 851, Chriſti 540. referunt Marcellinus in Chron. Indict. XI. *Juſtiniano* III. Coſ., Procopius de Bello Perſ. lib.2. cap.5. ſqq., Bar-Hebraeus in Chron. in vita Juſtiniani, & Chronicon Edeſſenum Bibl. Orient. T.I. p.416. ſq., & T.III. p.402. ſqq., quo ſcilicet a *Choſroe* I. Perſarum Rege bello redintegrato, Urbes pleraeque a Meſopotamia, Syriaque, uti *Sura*, *Berrhoea*, *Antiochia*, *Dara*, *Apamea*, *Conſtantina* captae ſunt; namque pace cum *Juſtiniano* perinde anno Chriſtianae Aerae 561. confecta, *Choſroes* ad propria remigraſſe fertur a praefatis Scriptoribus apud Aſſemanum T.III. p.406. ſeq.; quin

quin imo duraſse ultra Chriſti annum 624, quo *Choſroes* II. ab *Heraclio* ſuperatus, dimittere Urbes *Daram*, *Apameam*, *Berroboeam*, *Edeſſam*, aliaſque compulſus eſt, qua de re Chronicon Alex., Theophanes, Cedrenus, Abulpharagius in Chron., Thomas Margenſis in Hiſt. Monaſt., aliique apud Aſsemanum p.411. ſqq.; atque duraſse uſque ad annum Chriſti 632, Hegirae 11, unde *Jezdegerdica* initium duxit Epocha, ideſt uſque ad *Jezdegerdem* Perſarum Regem, qui ab *Homaro* quaterno profligatus conflictu anno Hegirae 17, Chriſti 638, juxta alios Hegirae anno 31, Chriſti 651, Meſopotamia, Armenia &c. captis, Perſarum Regnum in Saracenos translatum eſt, qua de memorabili re Theophanes, Cedrenus, Bar-Hebraeus, Dionyſius Telmarenſis, Elmacinus, aliique relati Aſſemano T.I. p.423. ſqq., & T.II. p.102. ſqq., fuſiuſque nobis agendum infra de Perſarum Epochis; quo perinde a tempore *Hegira* Populis his uſu cepit. Atque ſane Aera *Graeca* uſos ſub ea tempeſtate Chaldaeos, Aſſyrios, Meſopotamenoſque Scriptores ab Aſſemano collectos, eruditiſque illuſtratos Notis infra conſtabit, ubi de *Seleucidarum* Aera copioſius agemus.

XIX. Ita etiam *Graecorum* Aeram in Urbibus a Graecis apud Dionem lib.40. p.126, & Tacitum lib.6. cap.41. in *Meſopotamia* conditis ab exordio ad ſequiorem uſque aetatem frequentari non deſtitiſſe non dubium eſt. Veluti *Nicephoriae* ab *Alexandro M.*, teſte Plinio lib.6. cap.26, fundatae; *Seleuciae* ad Tigrim a *Seleuco Nicatore*, ejuſque de nomine nuncupatae, Plinio loc. cit., Strabone lib.16, & Ammiano Marcel. lib.23. cap.20. referentibus; *Callinici* a *Seleuco* II. cognomento *Callinico*, ſuoque de nomine vocatae, teſte Auctore Chron. Alex. p.175. edit. Pariſ., Ven. p.140; *Durae* a Graecis dein *Europi* dictae a *Nicanore*, tradente Iſidoro Characeno p.4; *Birthae* ab *Alexandro M.*, ſi fides Ammiano lib. 20. cap.18; *Antiochiae* a Praefecto Meſopotamiae *Nicanore*, teſte Plinio lib.6. cap.26, niſi ipſamet ſit *Edeſſa*, ſive *Callirrhoes*, de qua idem loquitur lib.5. cap.24; *Anthemuſiae*, *Singarae*, *Batnae* a Graecis fundatarum apud Ammianum lib.14. cap.9; (quamquam *Batnam*, Syris deinde *Sarugum* denominatam a *Sarug* Patre *Nachoris* nomen accepiſse ſuſpicatur Aſſema-

ſemanus Bibl. Orient. T.I. p.285.); *Ichnis* apud Iſidorum Characenum p.3; *Apameae* ad Tigrim, quam ab *Antiocho Sotere* de Matris nomine adpellatam ſcribit Plinius lib.6.cap.27, qui lib.5, cap.24. alterius cognominis Urbis a *Seleuco Nicatore* ad Zeugma conditae, deque Conjugis *Apame* nomine vocatae meminit, cujus etiam mentio fit ab Iſidoro Characeno ſub intium Stathmorum, & a Stephano Byzan. de Urbib.p.38.ſq. Verum *Seleuciam* e vicinitate *Babyloniam* etiam adpellatam ſua aetate *Autonomam*, ſive *Liberam*, ſuique Juris Urbem adfirmabat Plinius lib.6. cap.26, quo videlicet *Autonomiae* beneficio cumulata fuerat vel a *Julio Caeſare* anno U.C. 705, quo Parthis devictis ſuperioris Aſiae Urbes in libertatem adſertas voluit, quo perinde a tempore nova Seleucienſes Epocha *Caeſariana* uſos putare pronum eſt; vel ab *Octavio Auguſto* anno U.C. 723, quo *M. Antonio* devicto, Aſia ſuperior recepta eſt, quo ab anno proinde Aeram *Auguſtanam* Seleucienſibus adhiberi cepiſſe veri ſit valde ſimile. Nummi porro, qui Seleuciae percuſſi feruntur, Numeraleſque annorum notas praeferunt apud Patinum, Holſtenium, Ligorium, Triſtanum, Spanhemium, Harduinum, Vaillantium, Froelichium &c. ad Seleuciam in Pieria referendos fore veri ſert ſimilior Eruditorum opinio. Ita eamdem *Seleucidarum* Epocham, anno uno tamen decurtatam, Urbes aliae ab eodem *Seleuco Nicatore*, aut ab *Antiocho Sotere* aedificatae recepiſse, diuque retinuiſse aeſtimari debent; ut in *Media* Laodicea, Niſaea, Apamea, Rhageja, Parthis *Arſacia* dicta; in *Meſopotamia* rurſus Edeſsa, Charres, & Seleucia ad Euphratem; in *Parthia* Sotera, Calliope, Hecatompylos, Achaja; in *Scythia* Alexandreſcata &c.; in *Armenia* Nicopolis &c., praeter alias pleraſque in *Syria* conditas, de quibus Appianus in *Syriacis* p.201, Strabo lib.11.p.361, & lib.16. p.515. ſq., Plinius lib.6. cap.25. ſqq., Stephanus de Urbib., Syncellus p.274.edit. Pariſ., Ven. p.218, aliique paſſim. *Nicephoria* deinde Colonia Romana facta legitur in Nummis *Hadriani*, & *Gordiani Pii* apud Mediobarbum p.185, Vaillantium, Harduinum p. 121. &c. *Singara* quoque Coloniam poſtea Romanam accepiſſe cum cognomine *Aureliae Septimiae* conſpicitur in Nummis

mis *Alexandri Severi*, *Gordiani Junioris*, & *Tranquillinae* apud Seguinum p.173, Harduinum p.156, & Cellarium Geogr. Antiq. T,II. p.613. *Aureliae* nomen a *Lucio Vero* accepiſſe putat Vaillantius; poſt vero *Lucii Veri* tempora utramque Coloniam factam Urbem id cognominis retuliſſe pugnat Spanhemius ad Juliani orat.1. p.170. Indicio tamen id eſt novo cum beneficio, tituloque, (Colonia ſiquidem utraque facta Urbs argumentum facit liberam ante, propriique fuiſſe utramque Juris), Urbi deinceps utrique novam uſu Aeram veniſſe. Quae quamvis notata in Nummis haud adpareat, initam tamen auguror non ab eo quidem, quo Parthis debellatis, Regibuſque Adiabenes, & Miſenes *Mano*, *Maniſaro*, *Bebarſape*, & *Athambilo* devictis, & *Abgaro* Oſrhoenes Regi tributo indicto, occupatae a *Trajano* fuere U. C. anno 868. ſq., Chriſti 115. ſq. Urbes *Edeſſa*, *Singara*, *Niſibis*, *Batnes*, *Arbela*, *Cteſiphon*, *Characes* &c., Dione referente in Fragm. lib.68, p.779. ſq., & 785; ſed quo ab *Hadriano* Imperii Romani fine Euphrate conſtituto, atque Parthis, Armeniſque Urbibus Aſsyriae, Meſopotamiae, & Armeniae reſtitutis, Meſopotamios, ſive Oſrhoenos *Abgaro* Regi olim ſubditos, Indigenis Regulis, propriiſque Phylarchis deinde ſubjugatos proprii deinceps Juris, prorſus liberos, a tributoque immunes pronuntiavit Imperii anno 15, U. C. 885, Chriſti 132; qua de re Eutropius lib.9, & Spartianus cap.4. Augurio vero, argumentoque ſunt mihi ſane Nummi *Resbaenae* praeſertim in Oſrhoene percuſſi *Hadrianaeam* Epocham hanc ab *Autonomia*, quam Urbi *Hadrianus* indulſit, inſtitutam praeferentes, quibus de infra. *Niſibis* denique, quae Plinio teſte lib.6. cap.13. a Macedonibus, non utique condita, ſed Antiochia *Mygdoniae* denominata eſt, quo nempe *Mygdoniae* nomine tractum Meſopotamiae ſuperiorem deinceps adpellandum voluere, *Tigrani* a *Lucullo* erepta, Dione lib.35. p.3. tradente, Romanorum deinde ſub poteſtate, validumqee propugnaculum adverſus Parthos, & Perſas ad *Jovinianum* uſque remanſit; a quo Perſis ignominioſa pace reddita fuit, Eutropio, Ruffo, Zoſimo, & Ammiano lib.25. cap.31. referentibus. Coloniae interea titulo inſignita, nomineque *Juliae Septimiae* conſpicitur in Nummis *Septimii Severi*,

Corne-

Digitized by Google

Corneliae Paulae Elagabali Uxoris, *Otaciliae Severae*, *Severi*, *Alexandri*, *Gordiani*, *Pii*, *Philippi* Patris apud Holſtenium in Not. ad Stephanum de Urb. p.37, & 226, Triſtanum T.II. p.91, & Harduinum Num. Illuſt. p. 125. ſq.; in quibus Caput Turritum, ac Velatum Juris proprii, ac libertatis ſymbolum eſt: quae Urbs ideo a libertate ab *Hadriano* obtenta, immunitateque a tributis novam quoque, ceterae ſicut Oſrhoenes Urbes, Epocham inſtituiſſe mihi videtur.

XX. Ad Urbes nunc *Oſrhoenes* progrediendo, queis Aeras uſu peculiares veniſſe probabile fiat, conjecturaque ſaltem adſequi queat aliqua, primo *Edeſſa*, Syris *Magog* dicta, *Bambyce* Straboni lib.16. p. m.135, a *Juſtino* poſt inſtaurata, dictaque *Juſtinopolis*, hodie *Ourfa*, ſive *Oufra*, ſive *Orfa*, (quam potius a *Charris* indiſtinctam, perperam tamen habet Lucas Holſtenius in Annot. ad Geographiam Sac. Caroli a S.Paulo de Patriarchatu Antioch.p.191.);Arabibus *Roba* denominata, ad Scirtum fluvium conſita, non vero ad Euphratem, uti Noriſio viſum; a *Raſen*, ſive *Rages*, cum qua confuſa a Bocharto, ipſumque ſequuto a Jacobo de Wilde in Select.Num. §.97. p.128, eſt, ſcite diſtinguenda, ut advertit Reiskius in Notis ad Cluverii Introd. Geogr. lib.5.cap.23. p.609, ubi Turcae Moſqueam habent *Abrahamo* ſacram, vicinaque in Piſcina ſanctos jactant piſces; primo, inquam, *Edeſſa* occurrit loco, celebris *Oſrhoenes* Metropolis, Plinio lib.5. cap.24. dicta etiam *Antiochia* ad *Callirrhoen*, a fonte videlicet denominata, ſcite diſtinguenda a *Callirrhoe* fonte alio aquae callidae trans Jordanem, a quo ignobile Oppidum nomen accepit, de quo Plinius lib.5. cap.16, Joſephus Antiq. lib.17.cap.8, & Ptolemaeus Geog. lib.5. cap.16, Theodoretus Hiſt.Eccl.lib.2. cap.3, Julianus orat.2. p.114, ibique Petavius in Not. p.260: cujus Urbis, *Edeſſae* videlicet, ſplendori & illud acceſſiſſe, quod longa ibidem aetate celeberrimae olim extiterint, floruerintque Scholae Chriſtianae tam propriae Gentis, quam etiam Perſicae multis oſtendit Cl. Aſſemanus Bibl.Orient.T.I. p.204. ſq., 351. ſqq., & T.IV. p.924.ſqq. Olim vero ibi tam *Lunus* Deus, ſive *Luna* virili habitu, quam *Atergatis*, ejuſdem *Lunae* nempe ſymbolum, eximie culta legitur. A *Tra-*

jano

jano poſtea expugnata per Duces Urbs, direpta, incenſaque; Dione referente lib.68. p.788, ab *Hadriano* refecta fuit. Jam vero triplicem *Edeſſenis* frequentatam Epocham fuiſſe nullus ego dubito, quarum prima *Graeca* ab eo ceperit tempore, quo a *Seleuco Nicatore* occupata Urbs de *Antiochi* Patris nomine *Antiochia ad Callirrhoen* dicta fuit, Juliano referente orat.2, quae eſt de RebusConſtantii Imp.,p.114.; ubi conferendus Petavius in Not. p.260.Secunda *Propria*, quae ab eo auſpicanda ſit anno, quo *Antiocho* VII. *Sidete* imperante Syris, Perſis vero *Phrahate* II, ab *Orrhoe Heviae*, ſive *Khebii* aliis dicti, filio anno Graecorum 180, aut 184, Chriſtianam ante Aeram 123, aut 129, qua de Computi diverſitate poſtea, *Edeſſeno* Regno factum initium fuit: non ab eo vero, quo *Coeleſyria* circa Damaſcum ab *Areta* Arabum Rege capta, eodem ipſo tempore *Oſrhoenes*, in eaque *Edeſia*, Urbeſque aliae ab Arabum Phylarcho altero cognomento *Abgaro* occupatae ſunt, veluti Noriſio, aliiſque viſum eſt. Tertia *Romana*, ſive *Hadrianaea*, ab eo ſane deducenda anno, quo ab *Hadriano* Imp. *Oſrhoenes* Urbibus libertas, amplaque propriis utendi legibus, atque priſtino Jure poteſtas eſt reſtituta; ac demum a *Severi Septimii* filio, ſucceſſoreque *M. Aurelio Antonino Caracalla*, Rege abdicato, *Romana* Colonia facta eſt, veluti legitur in Nummis ejuſdem *Caracallae*. & *Alexandri Severi* apud Occonem, Goltzium, Triſtanum, Holſtenium &c., queis de infra.

XXI. Itaque *Graeca* de prima loquendo Aera, hancce dubio procul *Edeſſenis* primo adhibitam fuiſſe docent nos Nummi *Antiochiae ad Callirrhoen*, quae ipſa eſt *Edeſſa*, procuſi; quos ad *Callirrhoen* in Palaeſtina poſitam ad Jordanem, Oppidum ignobile, referens Vaillantius in Hiſt. Reg. Syr. p. 199. recte ab Harduino refellitur Num. illuſt. p.52, ad hanc, qua de agimus, Oſrhoene Metropolim referendos oſtendendo. Ex his enim vero Nummi duo imprimis *Antiocho* IV. *Epiphani*, alterque *Antiocho* VIII. *Grypo* inſcribuntur apud Vaillantium, Harduinum, Begerum, Froelichium Annal. Reg. Syr. p. 51, & 93. in quibus nulla ſiquidem anni Numeralis adpareat nota, etſi de *Seleucidarum* Aera dubium non ſit, num tamen ab eo, quo a Graecis ante Chriſtum anno 312, an ab eo, quo a Chaldaeis,

daeis, uno ideſt ſerius, anno 311, ducta eadem fuerit Edeſſenis, dubitare fas eſt, dubiumque ideo documentis ex aliis diluendum. Euſebius in Chronico ad Olympiadis 117. annum 1. Oper. S.Hieronymi edit. Vallarſii T.VIII. p.540. ab hoc anno *Edeſſenos* ſua computare tempora auctor eſt. Qui praeterea ad Olymp. 264. annum 2. p. 760. cum anno 2. *Probi* concurriſſe *Antiochenae* Aerae annum 325, *Tyriae* 402, juxta alios 303, *Laodicenae* 324, *Edeſſenae* 589, *Aſcalonitae* 380. perhibet. Quem poſtremum Euſebii locum emaculandi ſtudio, reſtituendique Scaliger in Aera *Edeſſena* pro 589. refingendos 588. contendit; qui praeterea de Emend. Temp. lib.5. p.493. annum 2. *Probi* cum anno 3. Olympiadis 264, Chriſti 279. congruere cenſet; ideoque biennio ab Euſebio in *Seleucidarum* Aera conſtituenda erratum, duobus antea conſignandam annis concludens. Atque ita quidem, etſi in Vaticanis duobus, unoque Mariani 589. habeantur, tam in Vulgatis tamen, quam in MSS. Vaticanis duobus aliis, Puteano, Aurelianenſi, Fabritiano, Lodonenſi, Victorino, Oiſelino &c., a Pontaco inſpectis, 588. haberi; Bedae inſuper, & Adoni lectos 588. indubium eſt. Reponendos nihiloſecius 589. Pontacus in Not. p.311, & Vallarſius p.760. ideo pugnant, quod ita *Edeſſenus* annus 589. approbe reſpondeat *Seleucidarum* anno, ducto initio a *Seleuci Nicatoris* anno 1, Aeram ante Chriſtianam 312; ac ita anno 1705. *Abrahae*, & 1. *Seleuci* additi 589. efficiant annos 2294, qui *Probi* reapſe, juxta ipſos, fuit annus 2. Euſebium, ac Scaligerum viciſſim erroris redarguit Harduinus, *Edeſſenae* Aerae caput biennio poſt Aeram *Seleucidarum* incepiſſe pugnans, ideſt anno 3. Olympiadis 117, cujus anno 1. *Seleucidarum* Aera ceperit, U. C. 442, juxta Varronem, ante Chriſti natalem 312: quibus adjuncti *Edeſſenorum* anni 588, (nam ita etiam ipſe legit in Chron. Euſebii ad an. 2. Olymp. 264.), incident in annum U.C. 1031, Chriſtianae Aerae 278, qui *Probi* 2. fuit. Contra nec ab Euſebio, nec a Scaligero, bene vero turpiter ab Harduino in calculis ſubducendis erratum oſtendere adgreſſus eſt Noriſius de Epochis Syro-Maced. diſſert. 2. cap. 3. §. 1. edit. Veron. Oper. T.II. p. 116. ſqq., & poſt ipſum Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis Vet.

 cap.2.

cap. 2. §. 15. p. 67: nam Olympiade 117, quae revera anno U. C. 442. incepit, incluſa, ſi numerentur Olympiades 147. exactae, initium erit Olymp. 264: Olympiades enim 147. exactae dant annos 588, (quot etiam ipſis Duumviris in Euſebiano Chronico ad Olymp. 264. annum 2. viſi ſunt); ideoque recte ab Euſebio cum anno 1. Aerae *Seleucidarum*, annoque 1. Olympiadis 117. fuiſſe conjunctum *Edeſsenae* Aerae initium arguunt. Erratum inſuper Harduino in componendo anno U.C. 1031. cum anno 2. *Probi* contendere pergit Noriſius, erratumque pariter Baronio, Scaligerum pone ſequuto, Panvinio, Scaligero, aliiſque, multis oſtendens *Probi* annum 2. concurriſſe cum anno U. C. 1030, Chriſtianae Aerae 277, ideoque cum anno 1. Olympiadis 264. Atque totum id recte ita quidem Noriſius, cum quo probe facit Petrus Relandus in Faſtis Conſular. ad illuſt. Cod. Juſtin., & Theod. p. 244; diſcordat tamen DuCangius in Not. Margin. ad Chron. Paſch., ubi p. 273. edit. Pariſ., Ven. p. 218. *Probi* annum 1. cum Aerae Chriſtianae anno 277. conjungit. Inde patet interea erraſſe Fayditum in Suppl. ad Excerpta Litter. an. 1704. p. 26. *Edeſsenam* Epocham ab *Alexandri* obitu ineundam adfirmando.

XXII. Verum enim vero *Edeſsenos*, quod rei caput eſt, totiuſque ſumma diſputationis, non Graecorum utique, ſed Chaldaeorum inſtar, *Seleucidarum* utique Aeram uſurpaſſe, (ſaltem uſque ad Graecorum annum 180, aut 184, quo alterutro ſecundam cum initio *Edeſseni* Regni Epocham cepiſſe, mox oſtendam), anno ideſt uno diminutam, ideſt ab anno Chriſtianam ante Aeram, non 312, ut vulgo duci *Seleucidarum* Aera ſolet, ſed ab anno 311, ut auſpicari Chaldaeorum mos eſt, ac Olympiadis 117. anno 2; ideoque Euſebium in anno 1. iſtius Olympiadis erraſſe, qui vero in Euſebiano Chronico ad annum 1. Olympiadis 264. anni 589. revera putandi ſunt juxta Graecos, annos fuiſſe reapſe 588. juxta Chaldaeos, ac Edeſſenos indubium fit ex Scriptoribus Edeſſenis, ſuis in putandis temporibus fide, quam Euſebius Genti prorſus extraneus, magis dignis, illique, veluti fidei faciendae magis idoneis, longe praeferendis. Atque ita profecto Joſue Stylites patria Edeſſenus Seculi V. Scriptor in Chronico de Bello Perſico

ſico ſub *Anaſtaſio* Imp., & *Cabade* Perſarum Rege ab anno *Graecorum* 806, Chriſti 495. ad annum Graec. 816, Chriſti 507. apud Aſſemanum Bibl. Orient. T.I. p.260. ſqq. *Chaldaica* uſus Epocha evincitur. Anno enim *Graecorum* 807. die 17. Menſis *Jar*, hoc eſt Maji, Feria 6. Edeſſae ad utramque Scirti fluminis ripam inſueta in Orcheſtra exhibita Spectacula ſcribit. At is annus in Chriſti annum 496. incidit, *Graecae* Epochae initio ducto ab anno 311. ante Chriſti natalem, in quo dies 17. Maji revera cum Feria 6. concurrit. Anno *Graecorum* 811. Menſis *Thiſri* prioris, Octobris idest, die 23, Sabbatho *Solis* Eclipſim ab ortu uſque ad horam 8. contigiſſe tradit: id accidit anno Chriſti 499, *Graecae* Aerae initio facto ab Autumno anni 311. ante Chriſtianam Aeram, quo dies 23. Octobris revera in Sabbathum incidit. Anno *Graecorum* 813. Auguſti die 22, Feria 6. illuceſcente, (quod ipſum perhibet Chronici Edeſſeni Scriptor), Igneum globum ad Boream adparuiſſe refert. Is annus fuit Chriſti 502, juxta Chaldaicam enumerandi Graecos annos rationem, in quo dies Auguſti 22. incidit in Feriam 5, a cujus Veſperis Syros diem ſequentem, ideſt Feriam 6, incipere nemo ignorat. Anno *Graecorum* 814. die 5. Octobris, Sabbatho a *Cabade* Amidam obſideri cepiſſe ſcribit: is annus in Chriſti annum 502. incurrit, quo cum Sabbatho Octobris dies 5. ſane concurrit, initio anni ducto ab Autumno. Mitto alia, quae ex eodem Scriptore proferre in hanc ipſam rem praeſto eſſent, gradumque facio ad Scriptorem alterum Chronici Edeſſeni Seculi VI. apud eumdem Aſſemanum eodem Bibl. Orient. T.I. p. 387. ſqq., a quo ab anno *Graecorum* 180. uſque ad an. 851, Chriſti 540. Aerae *Graecae* caput ab anno 311. ante Chriſtianam Aeram, Chaldaeorum inſtar, conſtanter initum ſic oſtendo. Enim vero *Graecorum* anno 636. congregatam Nicaeae Synodum Epiſcoporum 318. diſerte refert: Aerae jam vero *Graecae* initio facto ab anno 311. ante Chriſti natalem, inde ductus annus 636. incurriſse liquido dignoſcitur in annum Chriſti 325, quo revera Nicaena Synodus habita eſt. Anno *Graecorum* 693. Synodum coactam alteram Conſtantinopoli Epiſcoporum 150. ſubjungit, id eſt ab Octobri Chriſti anni 381; de qua videndus Aſſemanus in Not. p.399. Anno *Graeco-*

rum 706, die 17. Januarii *Theodoſii Magni* obitum conſignat: qui juxta Chaldaeos in Chriſti annum 395. incidit; quo die, & anno eadem mors a Socrate lib. 5. cap. 26, & lib. 6. cap. 1. notatur *Olybio*, & *Probino* Coſſ. *Graecorum* anno 771, die 2. Septembris, Feria 4. ex hac vita migraſſe *S. Simeonem Stylitem* ſcribit: qui anno vulgari Chriſti 460. reſpondet, initio *Graecae* Epochae facto, ut innui, ab anno 311. ante Chriſti natalem, in quo Feria 4. fuit dies 2. Septembris. Anno *Graecorum* 837, die 29. Maji, Feria 6. terraemotum Antiochiae contigiſſe memorat: cui reſpondet in Aera Chriſtiana annus 526, Chaldaicum juxta computum, quo dies Maji 29. in Feriam 6. reipſa incurrit. *Graecorum* anno 850, Indict. II, die 5. Octobris Cometam in Caelo adparuiſse tradit: qui annus, Epochae exordio ab anno 311. Chiſti natalem antevertente capto, eſse nequit, niſi Chriſti annus 539, quocum revera Indictio II. concurrit. Miſsa facio multa oppido alia, quae in hancce profecto rem ex Chronico Edeſseno produci quirent, non ſecus atque pleraque alia, quae ex Johanne Amidenſi in Hiſtoria Eccleſ. apud Aſsemanum Bibl. Orient. T. II. p. 83. ſqq., ex Dionyſio Telmarenſi in Chron. Syro, de quo ibid. p. 99. ſqq., ex Gregorio Bar-Hebraeo, vulgo Abulpharagio, in Chron. Syriaco apud eumdem Aſsemanum p. 311. ſqq., ex Noemo Bacuphenſi Patriarcha in Breviario Chronici, de quo eodem T. II. p. 468. ſqq., ex Thoma Margenſi in Hiſt. Monaſt. apud eumdem Aſsemanum Bibl. Orient. T. III. p. 463. ſqq., ex Mare Salomonis in Hiſt. Arabica ibid. p. 554. ſqq., ex Amro Matthaei in Hiſtor. Patriarch. p. 580. ſqq., aliiſque, de quibus abunde, opinor, ſuper. §. IX. dictum, quo ideo dicta loci ſat, ac ſuper abundant.

XXIII. De ſecunda jam vero *Edeſſenis* uſurpata Epocha nunc diſserendo, ea ſane initium ducit ab inſtitutione Regni Edeſseni, qua de tamen inter Doctos haud convenit. Euſebius enim in Chron. verſ. S. Hieron. Oper. T. VIII. p. 740. ad annum 2. Olymp. 249. *Abagari* Edeſsae Regis meminit: quo anno non aſsequor ſane, an Regni Edeſseni exordium, an magis exitus ſignificari Euſebio voluerit. Verum Euſebio Regni Edeſseni aut incompertum, aut praetermiſsum initium, finemque

ſolum

Digitized by Google

ſolum fuiſse memoratum dicere magis arridet; ideoque, ut Regni iſtius auſpicetur exordium, ad Vernaculos magis confugere Scriptores refert. In his itaque Dionyſius Patriarcha Jacobitarum in Chronico Syriaco fol. 15, & 29. apud Cl. Aſsemanum Bibl. Orient. toties laudato T. I. p. 388. auctor eſt Regnum Edeſsenorum *Abrahae* anno 1880, Olympiade 161, ante Chriſtianam Aeram 136. incepiſse, desjiſseque anno 2233. *Abrahae*, Olympiade 249, Chriſti 217, poſtquam ideſt annis 352. duraſset, ad annum uſque ſcilicet 1. *Elagabali*, quo Edeſseni Romanorum in poteſtatem devenere. Etſi devenisse vero Edeſsenos anno poſtremo *Caracallae* perhibeat Dio lib. 77. p. 875, cum Euſebio tamen, ac Dionyſio facile Dionem componere Tillemontius T. VIII. p. 280, Pagius ad an. 218. n. 10, Aſsemanus loc. cit., & Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron., ea nempe ratione haud laborarunt, quod inter poſtremum *Caracallae*, qui fuit Chriſti 217, ac primum *Elagabali* intermedius Imperii *Macrini* annus, qui ab Aprili Chriſti anni 217. ad Junium anni 218. Imperium dumtaxat tenuit, ipſi *Elagabalo* deputatus eſt, qui Imperium ſuum a principio anni 218. auſpicari, putarique voluit, quo ad ipſum *Opelii Macrini* Legiones defecerant, Imperiumque adeptus ipſe *Macrini* nomen e Faſtis abradi, ſufficique ſuum juſſit, perinde atque, ipſe, non *Opelius Macrinus*, ſubſequentem ab obitu *Caracallae* annum aperuiſset. Verumtamen triennio Edeſseni Regni Epocha retrotrahenda eſt, ſi Chronici Edeſseni Scriptoris auctoritas ſtet, eumque ſequendum nobis ſtatuamus, apud praefatum Aſsemanum Bibl. Orient. T. I. p. 388. ſqq. Quippe qui Reges Edeſſae regnare cepiſſe anno *Graecorum* 180, qui cum anno 133. ante Vulgarem Aeram congruit; quove anno Syris *Antiochus* VII. *Sidetes*, Perſis vero *Phrahates* II. imperabant, diſerte ſcribit. Primus autem, a quo Edeſſeni Regni jacta fundamenta fuerint, *Orhoes*, ſive *Oſrhoes* fertur, *Heviae*, Bayero, ac DeGuigneſio *Khebii* dicti, filius, unde Regioni nomen adhaeſit, referentibus Procopio de Bello Perſ. lib. 1. cap. 17, & Dionyſio Patriar. in Chron. Syro fol. 15, ex quo ceteros Edeſſae regnantes Phylarchos Aſſemanus p. 417. ſqq. perſequitur; ex ipſoque, atque Bayero eorumdem Regum XXIX. ab *Orhoe*, Chriſti ante natalem

lem anno 133. uſque ad *Abgarum* X. hoc nomine, Aerae Chriſtianae annum 217. catalogum retexit DeGuigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I. Par. I. in Tab. Chron. lib. 7. p. 430. ſq. Quandoquidem vero Edeſseni Phylarchi, ſive Toparchae Syriae Regibus ſubjecti fuere, quandiu Seleucidarum in Syria Regnum ſtetit; quo deleto, inque Provinciae formam Syriae Regno per Romanos redacto, modo Romanis, modo Parthis foedere, prout e re magis expedire ſua judicabant, alternatim jungebantur, velut indicant Procopius loc. cit., & Dio lib. 40, 68, & 77, ab uſurpanda perinde ſub id temporis *Seleucidarum* Epocha nondum diſceſſiſse Edeſsenos inde ſit veri valdequam ſimile, quod nulla potior, qua in hanc magis, quam in illam inflecterentur Epocham, ſubeſset ratio.

XXIV. Sub eodem atqui tempore, quo reciproco ſe bello petentes, deque Imperio acriter, ſaeveque pugnantes *Antiochi* VIII. *Grypi* filii *Demetrius* III. *Callinicus*, atque *Philippus Epiphanes* Aerae Seleucidarum anno 229, Chriſti ante natalem 84. circiter amplum vicinis Syriaci Regni Provincias appetendi Regulis locum fecere, velut *Aretae* Arabum Phylarcho Coeleſyriae potiundi circa Damaſcum, de quo Joſephus Antiq. Jud. lib. 13. cap. 15, lib. 14. cap. 1, & de Bello Jud. lib. 1. cap. 6, veluti *Tigrani* II. Armeniae Regi potiorem Syriae partem ultrocitroque a Syris ipſis oblatam adipiſcendi, de quo Juſtinus lib. 40. initio, & Strabo lib. 11. p. 532, velut *Alexandro Jannaeo* Judaeorum Regi etiam Syriae Urbes nonnullas invadendi, de quo Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 15, & de Bello lib. 1. cap. 4; a Phylarcho Arabum altero *Abgaro* Oſrhoenem, in eaque Edeſsam, Urbeſque alias fuiſse occupatas, novique ibidem ea occaſione Regni factum initium ſcribit Noriſius de Epoch. Syro-Maced. diſsert. 2. cap. 3. §. 1. p. 110. Sed enim longe anteRegni Edeſseni repetendum exordium ex Chronico Edeſseno, ac Dionyſii Chronico Syriaco palam modo factum eſt, quibus nec iſtud amplificatum ſub *Abgaro* vel leviter indigitatur. Longe pejus *Abgaro* V. alteri hujuſce nominis, cognomento *Uchamae*, ideſt *Nigro*, ut habent Edeſsenus Chronologus, ac Dionyſius in Chron. Syr. n. 15, (non *Uchaniae* filio, uti perperam Ruffinus in Verſ. Euſebii Hiſt. Eccl. lib. 1.

lib. 1. cap. 13. legit, & poſt ipſum Bongarſius, Valeſius in Not., ac Tillemontius Mon. Eccl. Hiſt. edit. Bruxel. T. I. Par. III. p. 990. ſq. putarunt, inemendatumque praetermiſit etiam locum Cacciarus in Nova edit. Hiſt. Eccleſ. ex Verſ. Ruffini lib. 1. cap. 15. T. I. p. 50; quemque perperam Armeniae Regem fecit Galanus in Conciliat. Eccleſ. Armenae cum Romana Par. I. p. 7.); *Abgaro* V, inquam, *Uchamae*, (ipſique met, qui ad Chriſtum D. Epiſtolam dediſſe refertur Euſebio cit. cap. 13, Ruffino cap. 15, ac Dionyſio in Chron. Syr. cit. n. 15, Edeſſenorum Aerae *Graecae*, non anno 43, uti corrupte habetur in editis Euſebii Baſileenſi, & Rhenani, unde in errorem inductus Baronius cum Chriſtianae vulgaris Aerae annum eſſe exiſtimavit, ſed anno 340, ut optimos habere Euſebii Codices viderunt Valeſius in Not., Pagius ad an. 41. n. 3., Aſſemanus Bibl. Orient. T. I. p. 318, & Cacciarus loc. cit. in Not. p. 54, qui Edeſſenus annus 340. ductus ab anno, non utique 1. Aerae *Seleucidarum*, ſive quo *Seleucus Nicator* in Aſia regnum auſpicatus eſt, veluti perſuaſum fuit Valeſio, Pagio, Aſſemano ipſi, & Cacciaro, ſed ab anno 2, quo Chaldaeorum inſtar, anno ideſt uno ſerius, ab Edeſſenis *Graecorum* Aeram inceptam oſtendimus, in annum vulgaris Aerae Chriſtianae non 29. utique, quod illis videtur, ſed 30. incidit: qua de *Abgari* ad Chriſtum, viciſſimque Chriſti D. ad *Abgarum* Epiſtola praelaudati conferendi praeſertim Viri doctiſſ. Pagius, Valeſius, Tillemontius, Cacciarus p. 49. ſq., & Aſſemanus p. 318. ſq., & 420. ſq.), *Abgaro* V, inquam, *Uchamae* Edeſsenae Urbis fundatae, inſtitutique Regni gloriam tribuit Graecus Interpres Teſtamenti S. Ephrem apud Gerard. Voſſium Oper. S. Ephraemi T. III. p. 292, & apud Bollandum ad diem 1. Februar. cap. 3. edit. Ven. T. I. p. 62; hujuſce fide nixus *Abgarum* Edeſsae ſaltem inſtauratorem fuiſse credidit Tillemontius T. VIII. p. 279, edit. Bruxel. T. I. Par. III. p. 991. Ut enim ſcite adnotavit idem Aſsemanus ad Teſtam. S. Ephraem Bibl. Orient. T. I. p. 141. ſq., in Syriaco S. Ephraemi Textu Cod. MS. Bibl. Collegii Urbani de Propag. Fide nihil tale extat, ſed totum id de ſuo a Graeco Interprete adjectum fuit, a quo pleraque alia proprio ex ingenio e Syriaco qua reſecata, qua interpolata ibidem advertit.

XXV. Eſt

XXV. Eſt porro apud Patinum p. 240, 284, & 378, ex ipſoque a Jacobo de Wilde in Select. Num. §. 97. ſq. p. 129. ſq. deſcriptus, Nummus in parte antica caput cum nomine *Antonini* referens, in poſtica caput *Abgari* tiara ornatum cum titulo Βασιλευς *Regis*: quo plane, ſicut & altero cum *Gordiani Pii*, & *Abgari* nominibus inſcalpto Nummo in Muſeo Piſani, & Theupoli foedus ab Edeſsenis cum Romanis percuſsum ſignificatur. Falſum eſt vero, quod putat Harduinus in Hiſt. Auguſta p. 780. *Abgarum* hunc Parthiae, (quod etiam perſuaſum fuit Baſnagio Annal. Polit. Eccleſ. p. 32. n. 2, Parthis Regibus *Abgari* nomen etiam geſtum putanti, *Abgarum* hunc idcirco in *Gordiani Pii* Nummo obvium Parthiae Regem aeſtimanti), Regulum fuiſse: fuit enim *Abgarus* VIII. *Maani* filius Edeſsae Phylarchus, qui Regno pulſus, Romamque profugus ab *Antonino Pio* anno Chriſti 140. Regno reſtitutus eſt, uti teſtatam rem faciunt Julius Capitolinus, & Dionyſius in Chron. Syro apud Aſsemanum Bibl. Orient. T.I. p.422. ſq. Nec ideo *Antoninus* ille in Nummo expreſsus eſt *M. Aurelius*, ut Holſtenio etiam in Not. ad Stephanum de Urb. p. 107. viſum eſt, ſed *Antoninus Pius*, cui gratam in beneficii memoriam Nummum ab *Abgaro* fuiſse cuſum veri fit valde quam ſimile. Nummi proſtant alii apud Bayerum de Reg. Edeſs., De Wilde in Num. Select. p. 129. ſq., Khevenhullerum in Regum Vet. Num. Anecd. p. 116. ſqq., atque Froelichium in Not. Elem. Num. Antiq. cap. 10. p. 216. ſqq., qui antica in parte *Auguſtorum* capita, ac nomina praeferunt *Trajani*, a quo Edeſsa Urbs incenſa fuit, *Hadriani*, a quo eadem reſtituta Urbs eſt, *M. Aurelii*, quem *Caracallam* haud rite putat Jacobus de Wilde, quum ab ipſo potius *Abgarus* X, ſive *Mannus* X. regno per inſidias exſpoliatus fuerit, *L. Veri*, *Commodi*, *Septimii Severi*, ac poſtremo *Gordiani Pii*, a quo paterno reſtitutus Throno *Abgarus* X, ſive *Mannus* XI, Oſrhoenes poſtremus Rex, parvo illud tempore retinuit. In poſtica vero parte una cum capite Cidari tecto, barbatoque vultu *Abgari* nomen inſcriptum legitur. Alter ſub *Severo* flatus Oshroëne Nummus cum Epigraphe *Abgari*, alteraque, qua *Alanus* legendus *Haymio* Theſ. Britan. T. II. edit. Vindob. 1765. p. 70. ſq.,

ſq., & Khevenhullero in Reg. Veter. Num. Anecd. p. 119. ſqq. viſus fuerat, ſed errorem Haymii emendavit tum Bayerus de Regib. Edeſſ., tum Wiſe in Catalogo Num. Bodlejanorum, Khevenhulleri vero, ſive ſuum abſterſit ex parte aliqua Froelichius in Acceſſione Nova ad Nummos Veter. Reg. Anecd. p. 82. ſqq., *Balanum* ibi legendum ratus, ſed enim legendum *Mannum* cum Bayero, Wiſe, ac Pellerinio *Recueil des Medailes des Rois &c.* p. 153. ſqq. vidit Joſephus Khellus in Not. ad Haymium loc. cit., *Manni* filii nomen praefert: quod indicio eſt, vivente Patre, in Regni ſocietatem filium adſcitum fuiſſe. Cum *Manni* quoque Regis itidem Oſrhoenes, ſeu Edeſſae capite, ac nomine Nummi alii *M. Aurelio*, *Fauſtinae* ipſius conjugi, ac *Lucillae* conjugi *L. Veri* inſcripti habentur. Aſt ſub *Caracalla*, *Elagabalo*, *Macrino*, ac *Severo Alexandro*, Urbis Edeſſae Nummi *Metropolis*, atque *Coloniae* dumtaxat praeferunt titulum. Donec ſub *Gordiano Pio*, a quo *Abgaro* reſtitutum fuit Regnum, *Abgari* denuo nomen in Nummis, ad breve tamen tempus, comparet. Poſtremus itaque undetrigeſimus, qui Edeſſae regnavit, *Abgarus* X. *Maani* X. filius, qui perperam cum priori a Tillemontio Mon. Hiſt. Eccl. edit. Bruxel. T. II. Par. III. p. 95. ſq. confunditur, refertur Euſebio in Chron. p. 740, uti ſupra dictum eſt, a Scriptore Chron. Edeſſeni n. 8. ſq., & a Dionyſio Patriar. in Chron. Syro n. 29. apud Aſſemanum p. 391. ſqq., & 423. Eum regnaſſe anno *Graecorum* 517. ſcribit Auctor. Chron. Edeſſeni; diſtinctius ab anno *Abrahae* 2216, Chriſti 200. regnum obtinuiſſe uſque ad *Abrahae* annum 2233, Chriſti 217. tradit Dionyſius. Eumdem ad *Severum* Imp. transfugiſſe, eique filios ſuos obſides ultro dediſſe ſcribit Herodianus lib. 3; a *Septimio Severo* Romam anno Chriſti 203, ut Pagius n. 4. oſtendit, pompa quammaxima perductum fuiſſe tradit Dio lib. 79; eoque demum a *Caracalla* in vincula conjecto, Oſrhoenem, Rege proprio deſtitutam, ab eodem *Caracalla* Imperatore captam ſcribit idem Dio lib. 77. p. 875. Cum Lampridio, & Spartiano jam vero fallitur egregie Caſaubonus ad M. Aurelii Capitolini p. 52, *Abgarum* hunc Perſarum Regem fuiſſe adfirmando, uti recte adnotavit Spanhe-

 mius

mius de Praeſt. Num. p. 139, quem Edeſſae Regem fuiſſe ex dictis liquido patet.

XXVI. Ab alterutro ex his Edeſſeni Regni fatis tertiae *Edeſſenorum* Epochae capiendum exordium nullus ambigo: a quo tamen prae alio, res adhuc ſub dubio eſt. Ex Euſebio, & Dionyſio ſane ab ineunte Chriſti anno 217, qui poſtremus fuit *Caracallae*, ac primus *Elagabali*, quove Regno finis Edeſſeno impoſitus fuit, in Edeſſenos Romanorum cepiſſe imperium, novaeque ideo Epochae initium, viſum eſt Tillemontio Monum. Hiſt. Eccl. T. VIII. p. 280, edit. Bruxel. T. II. Par. III. p. 26, Aſſemano Bibl. Orient. T. I. in Not. p. 388, & 423, ac Vallarſio in Not. ad Euſebii Chron. p. 740; non negantibus interea alios deinceps Edeſſae regnaſſe *Abgaros* nomine Phylarchos, velut oſtendunt Nummi, quibus de mox, quos ſub tributo Romanis pendendo reſtitutos fuiſſe vel ab *Elagabalo*, vel ab *Alexandro Severo* putant. Noriſius cit. Diſſert. 2. cap. 3. §. 1. p. 112. ſq. ex Dione obſervat *Abgaro*, (fuit is *Maanus* VII. *Aiſazetae* filius, *Abgari* VII. frater Dionyſio teſte in Chron. apud Aſſemanum p. 422, quamvis is & *Abgarus* Dioni lib. 68. vocatur), *Abgaro*, inquam, Regnum a *Trajano* fuiſſe ſervatum; ereptum vero a *Septimio Severo*; (antehac tamen *Abgarum*, ſive *Maanum* a Romanis ad Parthos defeciſſe, ejuſdem ideo Urbem Edeſſam, una cum Singara, Batne, Niſibi, Urbibuſque aliis, per *Luſium* ducem diripi, eripique Regnum juſſiſse *Trajanum* auctor eſt Xyphilinus de Rebus a Trajano geſtis; quae ſane ab anno *Abrahae* 2128, Chriſti 112. ad annum *Abrahae* 2133, Chriſti 117. geſta fuiſse oſtendunt Pagius ad an. 105. n. 4, & Aſsemanus p. 422.); Coloniamque factam a *Caracalla* Edeſsam; etſi *Abgaro* Regnum deinde fuerit a *Gordiano Pio* reſtitutum, Edeſsam tamen ejus Juriſdictioni ereptam ſub Romanorum manſiſse poteſtate: quoaduſque a Saracenis, *Jaddo* duce, *Heraclii* Imper. anno 29, Aerae Chriſtianae 639, (quod ad annum Chriſti 637, Hegirae 16. refert Abilfeda in Annal. Moslemicis edit. Joh. Jacobi Reiſkii Lipſ. p. 68.), Edeſsa capta eſt, dicta inde Arabibus *Roha*, teſte Herbeloto Bibl. Orient. p. 718, Turcis *Ourfa*, Taverne-

rio

Digitized by Google

rio tradente Itin. T. I. lib. 2. p. 150, *Lubin* in Indice Uſſeriano; quae antea Urbs a *Juſtino* reſtituta, ejuſque de nomine *Juſtinopolis* aliquando nuncupata, teſte Evagrio lib. 4. cap. 8, brevi tamen, *Juſtino* mortuo, priſtinum Edeſsae nomen recuperavit; quaequae a Francis recuperata, in Arabum rurſus poteſtatem devenit Hegirae anno 539, Chriſti 1144. a die 4. Julii, Arabibus vero erepta fuit a *Tamerlano* Hegirae anno 796, Chriſti 1393. a die 6. Novembris.

XXVII. Jam vero quaenam ad veritatem inter haſce propius accedere mihi videatur opinio, antequam aperio, Nummos Edeſſae cuſos in examen venire oportet, inter quos praetermiſſis, qui ad rem haud conferunt, *Tiberii*, *Liviae*, *Hadriani* &c., in Nummis *M. Aur. Caracallae*, *Macrini*, *M. Aur. Ant. Elagabali*, *Alexandri Severi*, *Gordiani Jun.*, ac *Tiberii Decii* apud Triſtanum p. 405, & 510, Patinum p. 353, Occonem p. 420, & 438, Holſtenium in Not. ad Stephanum p. 107, Cuperum in Epiſt. 93. ad Sperlingium Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. p. 291, Sperlingium ibid. p. 300, Vaillantium Num. Graec. p. 121, & Num. Colon. T. II. p. 119. ſq., Harduinum Num. Illuſt. p. 52, Noriſium, Aſſemanum loc. cit., Jobertum Scient. Num. T. I. edit. Ven. p. 329, & Bimardum T. II. p. 298. ſq., (ubi in Nummis *Caracallae*, non *Colonia Marcia Aurelia*, ut Harduino, De Wilde, ac Joberto, ſed *Colonia Marciana* cum Vaillantio, Cupero, & Sperlingio p. 300. legenda ipſi videtur), Edeſſa *Coloniae* titulo inſignita legitur, ulla tamen abſque numerali anni nota. Ex ſolo vero Coloniae nomine, ut alibi oſtendimus, tota Urbis conditio, utpote oſtendi, concludique nequeat, aliunde ideo Edeſſenae Urbis Epocha nobis expiſcanda eſt. Et in eiſdem ſane Nummis, ſummo pro bono, fauſtiſque profecto avibus, *Caracallae*, *Macrini*, *Elagabali*, *Alexandri Severi*, *Julii Maximini*, *Gordiani Jun.*, *Tranquillinae*, & *Trajani Decii* in averſa parte Genius Civitatis Turrito capite, ac velato conſpicitur: quod indicio proprii Juris, ac Civitatis *Autonomae* certo eſſe Doctus ignorat nemo. A *Trajano* porro Meſopotamiam profecto, & anno U. C. 860, Chriſtianae Aerae 107. non utique, veluti Baronio viſum n. 1. ſq., ſed anno U. C. 867, Chriſti

 114,

114, uti Pagius ad an. 105. n. 4. autumat, vel anno U. C. 868, Chriſti 115, veluti Noriſio loc. cit. adlibuit, verius tamen anno U. C. 870, Chriſti 117, ut a Dionyſio in Chron. *Syr.* traditum diximus, (quo ſane anno Chriſti 117, U. C. 870. a *Trajano* Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniam Provincias factas a Caſſiodoro referri vidit etiam Pagius n. 3. Annal. Eccl. edit. Luc. p. 81.), Regioni occupatae, Edeſſaeque, ſub jure tamen Phylarchi relictae, Urbibuſque aliis impoſita fuiſſe tributa ex Dione in Fragm. lib. 68. p. 779. ſqq. ſuperius adnotavimus. Ab *Hadriano* deinde anno U. C. 886, Chriſti 133. ex Oriente Italiam repetere cogitante, certumque Romano finem Imperio Euphratem facere geſtiente, ne quid deinceps pacis foedera ab ipſo cum Parthis, finitimiſque Barbaris initae turbare poſſet, Armenis Regem habere proprium, Parthis Aſſyriae potiri Regionibus permiſſis, Meſopotamiaeque, atque in ea Regia Edeſſae parte reliqua Oſrhones propriis Phylarchis relicta, Meſopotamenis, Oſrhoeniſque Tributa olim a *Trajano* imperata, impoſitaque fuiſſe prorſus omnia relaxata ex Spartiano cap. 4, juncto cap. 12, ſuperius advertimus. Inde itaque novae Edeſſenae Urbis Epochae initium deducendum fore veri ſit valdequam ſimile, e quo videlicet ſimile *Rheſaenae* Urbis in Oſrhoene alius Epochae capiendum exordium mox evinco.

XXVIII. Ante vero de *Charris*, quam de *Rheſaena*, nobiliori poſt Edeſſam in *Oſrhoene* Urbe dicendum occurrit. Et quidem *Charram* hodiedum nuncupatam, indiſtinctam ab antiquiſſima *Charra*, ſive *Hara*, Patriarcharum incolatu olim illuſtrem, eſſe ex LXXVIRALI Verſione, S. Luca in Actis Apoſt. VII. 4, & Joſepho Antiq. lib. 1. capp. 7, & 19. docent Euſebius, & S. Hieronymus in Loc. Hebr.; quos ſequi non dubitant Bochartus in Phaleg lib. 2. cap. 14. Oper. T. II. p. 95, Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 6, & Salmaſius Exercit. in Plinium p. 348. Dubitant tamen Spanhemius in Hiſtoria Jobi cap. 5. p. 85, & Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 15. §. 27. p. 618. ſq.; negat vero diſerte Harduinus in Chron. Vet. Teſt. Oper. Select. p. 522. Meſopotamiam citra Euphratem collocans, *Haran* vero cum Apamea, ſeu Oppido Coeleſyriae aliquo confundens, refu-

Digitized by Google

refutatus ideo a Cellario loc. cit., corrigendo ipſomet tamen in eo, quod ait ab Harduino cum Palmyra *Haran* confundi. Diſtinguendam vero duplicem *Haran*, ſive *Charram* aeſtimant Bonfrerius in Onom. Urb., & Locor. S. Script. Operum Menochii edit. Ven. T. II. p. 196, & Baſnagius in Antiquit. Jud. T. II. p. 542; atque ita quidem, ut ille *Haran*, ſive *Charram*, de qua Tob. XI. 1, Aſſyriae Urbem fuiſſe inter Ecbatanam, & Ninivem, *Charram* vero, ſeu *Haram*, de qua IV. Reg. XIX. 12, Iſaj. XXXVII. 12, Act. VII. 4. unam, eamdemque fuiſſe in Meſopotamia Urbem trans Edeſſam putet; iſte vero, ut *Haram*, ſive *Charram* Urbem fuiſse extra Meſopotamiam in Syria *Sobae* verſus Chananitidem conſtitutam; *Ur* etiam non inter Niſibim, & Tigrim extitiſse, ſed eo, ubi dein Edeſsa ſedit, loco quaerendam opinetur: quem haud audiendum recte nos admonet Calmetius in Dict. Bibl. edit. Ven. T. I. p. 228. Ut ut hocce de Geographiae veteris ſit capite, quod prope nos haud tangit, qui de Chronologia diſputamus, deque Urbium Epochis inquirimus, *Charram* ſane Macedonum diu ante fuiſſe Coloniam, ideoque *Syro-Macedonum*, uno tamen anno poſteriorem, veluti Chaldaeis in more poſitam vice plus ſimplici diximus, Epocham uſu priſco *Charrenis* veniſſe, teſtatam rem facit Dio Caſſius lib. 37. p. 35. Poſtea *Charram* qua Romanam factam Coloniam fuiſſe, qua Romanis impenſe faviſſe, egregiamque praeſtitiſſe operam, Urbis hujuſce Nummi liquido demonſtrant, inſcripti *M. Aurelio* cum epigraphe Αὐρηλιο Καῤῥηνῶν Φιλορωμεῶν *Aurelio-Charrenorum Romanis Amicorum*; *Lucio Vero* cum lemmate Κολωνία Αυρηλιο-Καῤῥηνῶν *Colonia Aurelio-Charrenorum*, cum eodemque Coloniae titulo *Commodo*, *Septimio Severo*, *Juliae Domnae*, *Caracallae*, *Elagabalo*, *Alexandro Severo*, *Gordiano Jun.*, *Tranquillinae* &c. apud Triſtanum, Holſtenium in Not. ad Steph. p 162, & Harduinum Num. Illuſt. p. 80. ſq. In Nummo porro *Gordiani* Gazae Regiae apud Harduinum Caput turritum, ac velatum, quod Urbis proprii Juris, & *Autonomae* ſymbolum eſſe non dubitatur, cum *Lunae* creſcentis ſimulacro, quo Dei *Luni* cultus in eo tractu religioſus indicatur, certe conſpicitur. In Nummi vero *M. Aurelii* parte antica Cimelii etiam Regii habentur praete-

rea

rea litterae M. A. AIP, quibus *Metropolis prima*, & *Charrenorum* annus 111. deſignari Harduino videntur. Epochae vero cardinem ab Autumno anni U. C. 811, Chriſti 58. ducendum, ideoque *Charrenorum* annum 111. cum anno U.C. 924, Chriſti 171, *M. Aurelii* 11. concurrere ſtatuit idem Harduinus Num. Illuſt. p. 80, & in Chron. Vet. Teſt. p. 636, arcte perſuaſum habens eo U. C. anno 811, Chriſti 58. a *Domitio Corbulone* juſſos Charrenos foedus cum Romanis ferjiſse. Poſtquam videlicet in Syria, juſto vacante Rege, a *Pompejo* anno U. C. 690, ante Chriſti natalem 64. in Romanae Provinciae formam redacta, Strabone lib. 16. p. 755, Euſebioque in Chron. verſ. S. Hieron. T. VIII. p. 597. referentibus, finito U. C. anno 662, ante Chriſtum 92. Syro-Macedonum imperium, *Syro-Macedonica* eſse Colonia, eſseque *Romana* deinceps *Charran* incepit. Verum quum eo in Nummo *M. Aurelii* litterae nec L, ideſt Λύκαβαντος, nec Ετοῦς, ideſt *Annus* legantur, valdequam vereor, ne M. A. AIP. legendae aliter ſint, ac ideo nulla deſignetur Epocha, ſed poſt Epocham *Seleucidarum*, eadem perinde *Charris*, quae profecto *Rheſaenae*, communis fuerit.

XXIX. Atque de poſterioris hujuſce, *Rheſaenae*, ſive *Rheſainae*, agendo modo Aera, Urbs iſta porro haud ignobilis Oſrhoene ad Aborram fluvium, teſtibus Stephano de Urbib. edit. Holſten. p. 271, & Procopio de Bello Perſ. lib. 2. cap. 19. Byzant. edit. Ven. T. I. p. 313, a *Nimbrodo* inhabitata, veluti S. Ephraem Comment. in Gen. refert, una cum *Arach*, quae dein Edeſsa, cum *Acham*, quae Niſibis, cum *Chalanne*, quae deinde Cteſiphon, cum *Rehebot*, quae *Adiab*, & *Chale*, quae demum *Chetra*, a *Theodoſio M.* deinde reſtituta, inſtaurataque ejus de nomine *Theodoſiopolis* nomen induit, (brevi tamen, nam vetus *Rheſaenae* nomen Urbi deinde reſtitutum eſt), uti tradunt Auctor Chron. Edeſseni n. 35. apud Cl. Aſsemanum Bibl. Orient. T. I. p. 399, Johannes Malela in Chronog. Par. II. lib. 13. in *Theodoſio* Byzan. T. XXIII. edit. Ven. p. 16, (ubi pro Ρεφαινᾶν *Rophinam* legendum Ρασαινᾶν *Raſienam* ſcite advertit Longuerue in Annal. Arſacid. p. 46.), & Procopius de Aedif. Juſtin. lib. 2. cap. 5. p. 37. ſq. edit. Pariſ., Ven. Byzant.

T.II. p.417. Quamquam in eo inter ſe differunt Auctor Chron. Edeſs., & Joh. Malela, quod ille Urbem a *Theodoſio* inſtauratam ait *Graecorum* anno 692, qui ab Aerae Chriſtianae Autumno anni 380. injit; hic vero factum id adfirmat ſub Conſulatu *Fl. Saturnini* in Oriente, & *Fl. Marobaudis* in Occidente, qui cum anno U. C. 1136, Chriſti 383. concurrit. *Rheſaenam* itaqueUrbem haud ignobilem ab eo,quo *Hadrianus* in Syria, (non in Aegypto, velut Haymio Theſ.Britan.T.II.edit. Vindob. 1765. p.370. excidit), demoratus Oſrhoenos a tributis, quae *Trajanus* imperaverat, liberos prorſus, Spartiano cap.12. teſte, pronuntiavit, anno videlicet U. C. 886, Aerae Chriſtianae 133, vel antecedenti U.C. 885, Chriſti 132, in beneficii memoriam, & gratiam, novam inſtituiſse deinceps Epocham Nummi *Rheſaenae* ſub *Trajano Decio* cuſi liquido demonſtrant, cum hac Epigraphe in parte antica Αυτ. Και Γαι. Μεc. Κυ. Τρα. Δεκιοc. Cεβ., in poſtica vero Cεπ. PHCAINHCIΩN. HIP. *Septimiorum Rheſainenſium anno* 118; vel ut in alio Nummo Cεπ.Κολ.PHCAINHCIΩN. L. HIP.*Septimiae Coloniae Reſaenenſium anno* 118.apud Triſtanum Comm. Hiſt. T.II.p.588, Seguinum Select.p.291, Patinum Num. Aer. Med.p.391. ſq.,& 402, Occonem p.451,Goltzium in Theſau.p. 235,a quibus tamen Rheſaenae tam Epigraphe, quam Epocha mendoſe, foedeque lecta fuerat, apud Holſtenium in Not. ad Steph. p.271, Noriſium de Epochis Syro-Maced. diſsert. 3. cap.10. Oper. T.II. p.355. ſqq., Harduinum Num.Illuſt.p.144, & Hiſt. Aug. p.837. ſq., Vaillantium Num. Colon T.II.p.197. ſqq., Bandurium Num. Imper. T.I. p.15. ſq., 22. ſq., 26, 33, 35. ſq., & 43, Camelum de Num. Antiq. Theſ. Chriſtinae Reg. Sveciae p.99. ſq., ac Longuerue in Annal. Arſacid.p.46; a quibus Urbis *Rheſaenae* tum Epigraphe emendata, tum Epocha reſtituta eſt.

XXX. Inde conſtat itaque *Rheſaenam* Urbem liberae conditionis extitiſſe, eò a *Septimio Severo* ideo Coloniam fuiſſe deportatam, atque anno quidem aut U.C.948, Chriſti 195, quo Arabes, Oſrhoenos, Adjabenoſque *Severus* armis domitos in ordinem redegit, uti traditur a Dione lib. 76. p.848, & a Spartiano in vita Severi cap.9; aut U.C. anno 952, Chriſti 199,

ſti 199, quo *Severus* ad bellum Parthis inferendum in Meſopotamiam profectus legitur apud Dionem lib. 75. p. 814, Spartianum cap. 14. ſq., ac Herodianum lib. 3. cap. 74; Aeraque peculiari ab impetrata libertate, ſeu *Autonomia* fuiſſe uſam, ab eo videlicet anno, quo ab *Hadriano* a tributis prorſus Urbs liberata, propriiſque vivere legibus permiſſa eſt. Ab anno namque U. C. 1002, Aerae Chriſtianae 249, quo a *Trajano Decio* circa Novembrem, velut ex L. 6. Tit. 36. Cod. Juſtin. a *Philippo* data Idibus Octobris *Aemiliano*, & *Peregrino*, (non *Aquilino*, uti perperam legitur), *Coſſ.*, ut advertit Manſius in Not. ad Annal. Eccleſ. T. II. edit. Lucen. p. 370, non inter Julium, & Novembrem, ut perperam ſcripſit Bimardus de la Baſtie in Annot. 19. ad Joberti Scient. Num. edit. Ven. T. II. p. 335, Imperium fuiſſe initum cum Panvinio multis, ac praeſertim ex Faſtis *Conſtantio* imperante deſcriptis Antiq. Rom. Graevii T. VIII. edit. Ven. p. 97. ſqq., egregiiſque a Petro Lambecio Notis illuſtratis, Noriſius oſtendit de Epoch. Syro-Maced. p. 360. ſqq., & cum ipſo plurimis ex datis Legibus, Inſcriptionibuſque lapideis confirmant Pagius ad an. 249. n. 5. ſqq., Tillemontius Monum. Hiſt. Eccleſ. edit. Bruxell. T. III. Par. II. p. 128, & T. III. Par. III. in Chronolog. p. 420, ac Petrus Relandus in Faſtis Conſul. ad illuſt. Cod. Juſtin. &c. p. 210. ſqq., ab eo, inquam, anno retroducti anni 118. incurrent in annum U. C. 884, Chriſti 131. Sed enim anno U. C. 885, Chriſti 132, vel imo anno inſequenti ab *Hadriano* Oſrhoenis immunitas a tributis adſerta videtur, annoque U. C. 1002, Chriſti 249. circa anni finem, ideſt Novembrem, vix Imperium *Trajanus Decius* adeptus fuerat, ut ejus notitia pervenire ad Oſrhoenos potuerit; ideoque eo ipſo anno *Rheſaenis* neque cudi in honorem *Decii* Nummi, neque *Hadrianaea* inſcalpi Aera potuere. Inde conſequens eſt, ut *Rheſaenaea* Epocha in annum U. C. 885, aut 886, Aerae Chriſtianae 132, aut 133, juxta Harduinum, Noriſium, Froelichium, & Longuerue, conjicienda ſit, aut imo juxta Tillemontium Mon. Hiſt. Eccleſ. cit. T. II. Par. III. in Chron. p. 411. in annum U. C. 887, Chriſti 134, quo ab Oriente *Hadrianus* Athenas regreſſus eſt, Italiamque anno inſequenti repetiit. Inde falli Haymium in Theſ. Britan. T. II.

Digitized by Google

T.II. edit. Vindob. T.II. p.370. ſq. opinatum hancce *Rheſaenae* Urbis Aeram ab U. C. anno 884, Chriſti 131. auſpicandam fore, atque ab ipſa fore Urbis fundatione repetendam, manifeſte patet, tum quod longe ante fundata Urbs fuiſſe videtur, cujus utpote mentio a Ptolemaeo, qui *Antonino Pio* aetate ſuppar fuit, lib.5, cap.18. fit; tum quod ab alterutro U. C. anno 885, 886, 887. iſthaec in Nummis *Rheſaenae* flatis obſignata repeti Aera commode queat; videnduſque Joſephus Khellus in Not. ad Haymium loc. cit., ubi eumdem emendat. Quid porro cauſſae fuerit, cur a *Rheſaenis* Nummi *Trajano Decio*, *Herenniae Etruſcillae*, *Decii* Conjugi, & *Herennio Etruſco Meſſio* ejuſdem filio ſolis inſcripti fuerint, in obſcuro prorſus latet, neque divinare fas eſt; nefas eſt tamen eam in Syriacum *Decii* refundere iter, quò profectus bello contra Perſas feliciter perfunctus fuerit, velut ex Actis S. *Laurentii*, & SS. *Abdon*, ac *Sennen* credidit olim Baronius ad an.253. n.128, & ad an.254. n.27. Spuria enim Acta illa, aut ſaltem interpolata non videre demum nequivit idem Baronius in Not. ad Martyrolog. die 30. Julii, & die 10. Auguſti, ſpuriiſque adcenſere ſane non dubitant Tillemontius Monum. Hiſt. Eccl. edit. Bruxell. T.III. Par.II. Not.4.p.406. ſq., Pagius ad an. 251. n.9, & ad an.261. n.3, & Joh. Pinius in Comment. ad Acta SS. die 10. Auguſti §.12. Aug. T.II. edit. Veu. p.570; fictitiam denique illam *Decii* in Perſas expeditionem invictiſſime demonſtravit Noriſius de Syro-Maced. Epochis cit. Diſſert. p.363. ſqq. Atque de Oſrhenorum Epochis hactenus.

DE AERIS, SEU EPOCHIS.

Perſarum, *Elymaeorum*, *Bactrianorum*, *Sogdianorum*, *Arſacidarum*, *ſive Parthorum*, *Hyrcanorum*; *Armoſatenorum*, *Iberorum*, *Armeniorum &c.*

ARTICULUS IV.

I. AD *Perſarum* Epochas tam priſcas, quam nuperas noſtram praepropere ſe accingere nunc orationem oportet: ad quas antequam propius accedo, ſcire pretium eſt operae, in *Perſide*, quo nos heic nomine comprehendere intendimus quidquid Regionum a *Septentrione* clauditur Hyrcano, ſive Caſpio Mari, Oxo flumine, & Caucaſo Monte; ab *Oriente* Indo fluvio; a *Meridie* Mari, ac Sinu Perſico; ab *Occaſu* Euphrate Amne, & Tigri, Niphaticis jugis, & Araxe fluvio; in hiſque *Gedroſiam* Indo confinem, cujuſce Regionis caput *Parſis* ad Arbim fluvium; *Carmaniam*, ad Perſidis Occaſum, ab Urbe Metropoli *Carmana* ſic dictam, ubi & nobiles habentur *Alexandria*, & *Armuza*, hodie *Ormuz*, Urbes; *Drangianam*, hodie *Segeſtaniam*, ad Occaſum Carmaniae; *Arachoſiam* ab India ad Ortum finita, ubi *Alaxandria* Urbs altera ad Arachotum fluvium; *Paropamiſidem*, nunc *Sableſtaniam*, a Monte, qui Regioni imminet, *Paropamiſo* nuncupatam; *Bactrianam*, hodie *Coraſaniam*, ubi duo Regiae olim Urbes *Bactra*, ab Amne, unde Regioni toti nomen etiam inditum, *Bactro*, hodie *Budaſano*, dicta, ac *Ebuſmi* hodie ignobilis; *Margianam*, quae ab Ortu Bactriana terminatur, Urbſque ibi celebris *Antiochia Margiana*, pridem *Alexandria*, poſt vero *Seleucia*, quae hodie *Indion* putatur; *Hyrcaniam* ab Urbe Metropoli, hodie *Caſſane*, adpellatam; *Ariam* ſic & ab *Aria* Metropoli dictam, ubi nobilis *Alexandria* Urbs altera olim *Alexandri M.* auſpiciis ad Arium fluvium condita, quae hodie *Burgia* dicta videtur; *Parthiam*, nunc *Iracham*, cujus olim caput *Hecatompylus*, ita nomen a Centum Portis, ſicuti

cuti Thebae in Aegypto, ſortita, eoque poſita loco, quo hodie *Aſpahamum* Perſarum Regia jacet; *Suſianam*, hodie *Chuſiſtaniam*, quae a Tigri incipit, cujuſce Metropolis *Suſa*, a *Dario* Hyſtaſpis filio condita, Herodoto lib. 5. cap. 49. *Ciſſia* dicta, olim Perſarum Regia, Plinio teſte lib. 6. cap. 27, Regioni toti nomen indidit; *Elymaidem*, cui nomenclatio ab *Elamo* filio *Semi* Gen. x. 22. adhaeſiſſe vulgo creditur, indeque Perſas exortos tradit Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 7; quaeque a Suſiana uſque ad Perſicum Sinum extenditur, Plinio loc. cit. deſcribente; ac proprie dictam *Perſidem*, ab Urbe Metropoli, olim *Paſargada* teſte Strabone lib. 15. p. 502, deinde *Perſepoli*, tradentibus Diodoro lib. 17. p. 544, Strabone loc. cit. p. 501, ac Plinio lib. 6. cap. 26, denominatam, qua de tamen vocabuli originatione ſq. §; quae Elymaidem inter, & Carmaniam jacet, cujuſque latitudo Mediam inter, & Perſicum Sinum patet: queis de videndi poſt veteres Geographos Ptolemaeum, Strabonem, Plinium &c., Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 19. ſect. 1. p. 675. ſqq., ſect. 2. p. 682. ſqq., ſect. 3. p. 686. ſqq., & ſect. 4. p. 692. ſqq., atque Cluverius Introd. Geogr. lib. 5. cap. 12. edit. Amſtel. 1729. p. 547. ſqq.; conferenduſque Johannes Buno in Not. ad eumdem Cluverium Introd. Geogr. lib. 5. cap. 15. p. 560, ubi de Perſidis qua Regionibus, qua Urbibus, qua Confiniis pleraque obſervatu digna habet; in *Perſide*, inquam, qua late, longeque patet, vix occurrere Urbes, quae ſingulari aliquando inſignitae Epocha fuerint, praeter eas, quae ampliſſimae communes fuere Regioni.

II. Si tamen conjecturis in re admodum obſcura indulgere fas ſit, ut de Gentibus interea Montium inibi frequentium Incolis, fereque barbaris nihil dicamus, de quibus utpote dicere veri quidpiam vel procul ſimile nihil prorſus ſuppetit, Aera *Philippica*, ſive *Alexandraea*, ſive *Graeca*, qua ab *Alexandri M.* obitu, qua a *Seleuci Nicatoris* initio, uſu fuiſſe primo; & *Arabica* perinde videri poteſt Urbi *Characi* in Suſiana, quam primum ab *Alexandro M.* conditam, ſuoque de praenomine *Alexandriam* fuiſſe adpellatam, Coloniamque Macedonum factam; poſtea ab *Antiocho* V. *Eupatore* inſtauratam, ſuoque de nomine *Antiochiam* cognominatam, ac poſtremo a

Spaſino, ſive *Paſino*, pro dialecti varietate, Arabum Rege reſtitutam, atque munitam *Paſinae*, ſive *Spaſinae* cognomento fuiſſe nuncupatam, auctor eſt Plinius lib.6. cap.27, quocum conferendi Dio in Fragm. lib.68. p.713, Stephanus de Urb., ac Holſtenius in Not. p.303. Aut propria vero, aut Perſis communi uſa Aera videtur *Elymais* Urbs; (quae eo putatur aliquibus olim fuiſſe ſitu, quo hodie Urbs *Schiras* jacet; aliis vero, ut Oleario ad Araxum fluvium poſita, *Bendemir* adpellata videtur; ab aliis ad Rhogomanem collocatur Amnem; quaeque *Thaidis* Meretricis perſuaſu ab *Alexandro M.* per temulentiam incendio deleta fuit); unde toti olim Regioni inditum nomen; utpote quae tanta olim potentia floruerit, ut proprio ſub Rege neque Parthorum, neque Syromacedonum Regibus ut pareret, adduci, vi armiſque vel adigi potuerit; quin etiam *Antiochum*, Straboni lib. 16. p. 512, & S. Hieronymo in Daniel. xi, III. *Magnum*, verius aliis IV. *Epiphanem*, quibus favent Auctor libri I. Macchab. cap.6, Joſephus Antiq. lib.12. cap.13, alias 9, & Appianus in *Syriacis* p. 212, *Antiochum*, inquam, Urbi bellum inferre volentem, atque *Dianae*, ſive *Veneris Nanaeae*, Lydis *Anaitidis* dictae, Plinio notante lib.33. cap.4, Perſis *Nabitidis*, ut ex Beroſo, Athenocle, & Symmacho tradit Agathias lib. 2. p. 62. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T.III. p.45, Templum direptum euntem repellere, in fugam conjicere, plagis quin etiam afficere potuerit. Aſt enim dubia, & incerta ſunt iſta, quam vel divinando quidquam adſequi poſſit, pedemque tuto figere poſſimus utrumque, ut ad communes proinde receptas certo Perſis Epochas properare interſit, ac juvet.

III. Perſas itaque, ut de nominis originatione paucis attingam, primo *Arteos*, a Graecis *Cephenos*, de *Cephei* filii *Beli* Aegyptii, ideſt *Ammonis*, totius olim Libyae tutelaris Numinis, cognomento, ita *Perſas* demum fuiſſe nuncupatos de *Perſis* nomine, quem *Perſei* filii *Jovis*, & *Danae* filium, & *Andromedae Cephei* filiae conjugem Poetae, ut moris eſt, finxerunt, auctor eſt Herodotus lib.7. cap.61. ſqq., & cap.150; qua de nomenclatione adeundus, qui prae aliis multis agit, Cl. Blanchinius Hiſt. Univ. ad Seculum XXVII. cap. 27.

27. §.7. p.362. ſq., & ad Seculum XXX. cap.30. §.31. p.450. ſqq. Atque *Perſeum* quidem Trojae excidio anteriorem fecere annis 167. Thraſyllus in Canone Chron. apud Clementem Alex. Stromat. lib. I. p.335, & Marshamum in Can. Chron. Seculo II. p.295; annis 178. Freretus in *Recherces Chron. ſur l' Hiſtoire de Lydie*, *Canon. Chronolog.* Monum. Acad. Pariſ. T.VI. p.311; annis 127. Simpſonius in Chron.; 80. Fourmontius Reflex. Crit. in Hiſt. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.12. p.246. ſqq.; 77. circiter Soucictus ibid.; at longe poſteriorem, atque *Salomoni* aetate ſupparem Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. emendata cap. I. edit. Ven. p.106.; *Perſem* vero filium *Sagittantis* effigie, quod Sagittas inveniſſe feratur apud Plinium lib. 7. cap.56, Nummis ſuis inſculpſiſſe *Thaſios* Inſulae contra Montem Athon incolas prodit Julius Pollux Onom. lib. 9. cap. 6. Segm. 84. T.II. p.1066; ubi Πέρσην male *Perſam* vertit Hemſtherus, peſſimeque ſufficiendum pro Πέρσην *Perſe* Ἡρακλῆν *Herculem* putat, quamvis enim *Herculem* apud Thaſios cultum oſtendat Nummus apud Meneſtrierum viſus ab Holſtenio in Not. ad Steph. p. 133, longe tamen *Hercule* antiquior fuit *Thaſus Cadmo* coevus, unde in Thaſios derivatum eſt nomen, etſi Thaſo Urbi non a *Thaſo* viro, ſed a טָס *Thas* Syris *Auro* ibi frequente inditum nomen videatur Bocharto Geog. Sac. Par.I. lib. I. cap. II. p.393; *Perſas* e contra ab Hebraea voce פָּרָסָאִין *Paraſin*, ſive Arabica فرّيسن *Pharaſin*, qua utraque *Eques* ſignificatur, ab *Equitatu* nempe nomen inde tuliſſe, indeque Regioni פרס *Paras*, ſive فـارسي *Farſi* nomen etiam inditum, quod a *Cyro*, Xenophonte teſte Cyrop. lib. I, lege cautum fuiſset, ne ſuorum quis *Equo* inſtructus pedibus uſpiam incederet, adeoque ut *Perſarum* nomen *Cyri* poſterius aetate ſit, opinati ſunt Bochartus in Phaleg, ſive Geog. Sac. lib.4. cap. 10. p.224, ac Reiskius in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap.12. p. 548. Perſis jam vero diverſas uſu juxta diverſas, quae diverſis aetatibus, ſub Regibus diverſis, ſubjere fata, Epochas veniſse indubium eſt. Duae porro veterum Perſarum Dynaſtiae praecipuae feruntur apud Perſas Scriptores Khondemirum, vulgo Mircondum in *Raoudhat Aſ-ſafa*, Beidha-

havium in libro *Nedham Al-Tavarikh*, Gazalim in *Vaſſaja Al-Moluk*, Mir Scharafium in *Tarikh Scaraf Al-Tabrizi*, Ferduſſim in *Schah Nameh*, Auctores *Tarikh Al-Fars*, Hamdallahum Ben Abibekr in *Tarikh Khozideh* Chronico ſelecto, Moſladinum Al-Lari in *Menat Aladovar*, Iſmaelem Sciahinſciah in Hiſtoria Gentium, Auctores *Tarikh Schaban Piſchin* &c., & *Tarikh Montekheb* &c., quarum prima *Piſchdadianum* Dynaſtia, *Kajanidum* altera dicta eſt. In prima *Piſchdadiana* Perſica lingua *Pcheleviana*, ideſt antiqua, *Judicum Rectorum*, (cujuſmodi erant apud Hebraeos, itemque apud Tyrios, Joſepho lib. 1. adv. Appion. teſte, *Schophetim*, apud Chaldaeos *Phul*, aut *Phal*, apud Carthaginenſes *Suffetes*, apud Athenienſes *Archontes*, *Prytanes*, & *Strategi*, apud Lacedaemones *Ephori*, apud Corinthios *Prytanes*, apud Romanos *Conſules*, (quibus in adminiſtranda Republica *Ceryces* adnectit Seneca de Tranquillitate cap. 3; ſed enim *Ceryces* peragendis *Eleuſiniis* praefuiſſe, a *Ceryce Eumolpi* filio, aliis filio *Mercurii*, denominatos abunde docent Ariſtides in Eleuſin., Pauſanias in Atticis, ſive lib. 1. cap. 38. edit. Kuhnii p. 92, Pollux lib. 8. cap. 9. Segm. 103. T. II. edit. Hemſtheri p. 921, Homeri Scholiaſtes Iliad. A', Sophoclis Interpres Oedipi Colonei apud Sigonium de Republ. Athen. lib. 1. cap. 4; videndique Junius Animad. 20. in Pauſan., & Meurſius de Regibus Athen. lib. 1. cap. 11. Antiq. Graec. T. IV. edit. Ven. p. 1045. ſq., Graeciae Feriatae lib. 5. Antiq. Graec. T. VII. p. 834, 836. ſq., & Petrus Caſtellanus de Feſtis Graecor. V. *Eleuſinia* ib. p. 658. ſq.), in *Piſchdadiana*, inquam, Dynaſtia undecim, aut duodecim Perſis Reges recenſentur ab *Elamo Semi* Nepote uſque ad *Cyrum*, a quo Perſarum Imperium maximum in ſplendorem erectum, maximopereque amplificatum eſt; in ſecunda *Kajanidum*, Perſice *Magnorum Regum*, ſive *Gigantum*, Dynaſtia Reges decem numerantur a *Cyro* uſque ad *Darium Codomannum*, in quo Perſico finis Imperio, in Macedones ab *Alexandro M.* tranſlato, impoſitus eſt.

IV. Tam vero primae Dynaſtiae, quam ſecundae Perſarum Regum nomina Perſica lingua ita praefatos apud Scriptores Perſas efferuntur, ut in iis vix, ac ne vix quidem veſtigia

ſtigia aut Hebraei, aut Graeci deprehendere fas ſit idiomatis, quo Scriptores apud Sacros, profanoſque Latinos, Graecos, Syros, Arabes, Judaeoſque veteres Perſarum Reges adpellati leguntur: qua de veteri, duplicique Perſarum Dynaſtia, diverſiſque utriuſque Dynaſtiae Regum adpellationibus conſulendi, ſi libet, Herbelotus Bibl. Orient. p. 243. ſq., & 702. ſq., Nevvtonus in Chronolog. Vet. Regn. emend. cap. 5. edit. Ven. p. 269. ſq., Fourmontius Reflex. Crit. in Hiſt. Vet. Popul. T.II. lib. 3. cap. 14. p. 285. ſqq., ac DeGuigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib. 7. p. 391. ſqq.. Indubium illud primae Dynaſtiae Regem primum *Kayummarathem*, (primum Dynaſtiae primae *Huſchenkium* Regem facit Iſmael Sciahinſciah in Hiſt. Gentium cap. de Regibus Perſar. apud Aſſemanum Bibl. Orient. T.III. p. 221, eumdemque poſt *Diluvium* anno 200. regnaſſe adfirmat; quem *Huſchenkium* filium *Kayummarathis*, atque in Regno ſucceſſorem facit Herbelotus p. 464. ſq.), *Kayummarathem*, inquam, perperam cum *Adamo* a Perſis nonnullis Scriptoribus confundi; qui prudentioribus aliis non alius eſt, quam *Semi* Pronepos ex *Velade* progenitus, ut Kondemirus habet, quem *Elam* עילם Hebraice Gen. x. 22. dixeris, a quo ſane Perſas originem traxiſſe auctores ſe praebent Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 7, Euſebius in Chronici exordio verſ. S. Hieron. T.VIII. p. 43., Syncellus in Chron. p. 46. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 36. ſq., Anonymus in Excerptis Chron. praefixis Joh. Malelae Chronogr. Byzant. T. XXIII. edit. Ven. p. 5. ſq., & Auctor Chron. Alex. p. 30. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 25. ſq. Recte vero Herbeloto, & Fourmontio obſervatum eſt a Perſis Scriptoribus primam Regum Dynaſtiam cum veterum Regum Babyloniae, Chaldaeae, ac Mediae confundi, qua priſca ſub aetate hiſce unus Regionibus imperabat Rex: qua de re recolenda, quae ſuper. Artic. de variis Babylonii, Chaldaei, Aſſyrii, Medique Imperii fatis indicavimus. Inde fit itaque, quod ſub prima, ſecundaque Perſarum Dynaſtia uſque ad *Alexandri M.* aetatem, annum ideſt Periodi Julianae 4384, ante Chriſtianam Aeram 330, quo Perſepoli capta Perſae ſub Graecorum jugum poſiti fuere, Plutarcho in *Alexandro*, Q. Curtio lib. 5. cap. 13. ſq., Strabone lib. 15. p. 731, Diodoro lib 17.

ſub

ſub init., & Plinio lib. 6. cap. 26. teſtibus, una *Nabonaſſari* Babyloniis, Chaldaeis, Aſsyriis, Mediſque communis, Aera Perſis etiam frequentata fuerit. Quamquam a *Gemſcide*, (nempe *Gem* proprium ejus nomen erat, *Schid*, quo veteri Perſarum *Pheleviana* lingua *Sol* ſignificabatur, a *Sole* derivatum eſt praenomen), Dynaſtiae primae Rege quarto, juxta Herbelotum Bibl. Orient. p. 294. ſq., quinto, juxta Texeiram lib. 1. cap. 7, Skichardum in Prooem. ad Tarick Perſic. p. 38, ac DeGuigneſium p. 397, quique pleriſque *Thaleti* aetate ſuppar factus eſt, Epocha inſtituta nova videri poteſt. Nam ab ipſo ſeptem ex amplioribus ſuperioris Aſiae Provinciis ſub jugum poſitis, ac ſuperbiſſima Urbe Metropoli *Eſtekhar*, Graecis deinde *Perſepoli* dicta, cujuſque hodie ruderibus *Gibilmenar*, ſive *Tchilminar* adhuc nomen adhaeret, aedificata, inde *Neuruz*, ideſt *Novus*, primuſque anni Perſici dies incipiendus deinceps juſsus eſt, a die ipſo nempe Verni *Aequinoctii*, quo *Sol* in *Arietem* ingreditur, quove ipſe primo in *Eſtekhar* Urbe Regni ſedem defixerat. Siquidem igitur a *Gemſcide* nova inducta fuerit Anni forma, qua de fuſius Volum. I. Art. III. de Menſ., & Annis Perſarum, Parth. &c. §. XII. p. 504. ſq., inde factum, ut nova quoque apud Perſas annorum putandorum Epocha fuerit inſtituta, pronum eſt ſuſpicari. Sed enim in tanta temporum vetuſtate, obſcuritateque rerum certum quid definire velle, non tam divinare, quam deſirare magis eſt: eoque vel maxime, quod *Gemſcides* gravi deinde a *Schedado* Arabum Rege bello petitus Regno demum faceſsere, aemuloque integrum permittere coactus fuit; qua de re plura Herbelotus Bibl. Orient. p. 394. ſqq. Ab *Alexandri M.* jam vero aetate uſque ad *Artaxerſem*, a quo deinde priſtinum in ſplendorem Perſicum reſtitutum Imperium eſt, Aera *Graeca*, ſive *Alexandraea* Perſas deinceps uſos non dubium eſt.

V. Itaque peculiares inde Perſis uſu Epochae venire cepere, quarum prima ab *Artaxerſe* iſto, & poſt hancce ſecunda altera ab *Jezdegerde*, tertiaque perinde a *Gelalledino* exordium ſumpſit. Queis de nunc loquendo, initio, ut temporis ordo depoſcit, paullo ante deducto, ab eo ſane tempore, U C. anno

anno 590, opinor, ante Chriſtianam Aeram 164, Seleucidarum 149, quo *Antiochus* IV. *Epiphanes* turpi percuſſus morbo finem vivendi fecerat, Seleucidarum pertaeſi jugo Elymaei, Medi, Perſae, Meſani, finitimaeque Gentes aliae a Syro-Macedonum imperio deficientes undique, proprios ſibi Reges, ſive Phylarchos praeficere ſatagerunt, ita quidem ſe proprium in Jus, libertatemque adſerentes, ut ſupremis interea qua Syris, qua Perſis Regibus, pro Aſianorum more, parere aut non deſinerent, aut non detrectarent. Paullo tamen poſt, anno hoc eſt circiter U. C. 608, ante Chriſtum 146, Seleucidarum 167. a *Mithradate* I. Parthorum Rege, cognomento *Theo*, Mediae, Elymaidis, Perſidis, Bactrianae, Sogdianae &c. Reges, ipſeque *Demetrius* II. *Nicator* Rex Syriae bello ſuperati Parthorum jugum ſubire compulſi ſunt; Parthico Imperio a *Mithradate* longe, lateque propagato, hinc uſque ad Perſicum Sinum a'Caucaſo uſque ad Euphratem; quin & Gentibus inter Hydaſpem fluvium, & Indum comprehenſis bello ſubactis, uſque ad Indiam; Regnum tamen illis retinere permiſit, rerumque potiri *Mithradates* ea lege, ut Parthico obnoxii deinceps eſſent imperio, tranquilleque ſub eo degerent, qua de re Trogi Epitomator Juſtinus lib.41, Strabo lib. 16. p.728, & 744, ac lib. 11. p.516. ſq., Diodorus in Excerpt. Valeſ. p.359, Paulus Oroſius lib. 5. cap.4., &c.; ideoque *Parthica* quoque Aera, de qua infra, Populis hiſce frequentata videri poſſet. Sed enim illud, quo minus factum id putetur, officit plane, quod anno U.C. 624, ante Chriſti natalem 130, Seleucidarum 183. *Antiocho* VII, aliis VI, *Sideti* ad bellum adverſus *Phrahatem* II. Parthorum Regem advenienti Reges illi Bactrianae, Perſidis, Elymaidis, Meſanes, ſive Characenes &c. ſe, Regnaque ſua, cum exſecratione ſuperbiae Parthicae, ultrocitroque obtulere, ſubmittereque haud detrectarunt; quos reapſe, triplici Parthis praelio debellatis, in fidem, atque clientelam ille recepit, quoſve poſtea a Parthorum tyrannide tum Armeniae Rex *Tigranes*, tum etiam *Pompejus* defendere non deſtitere. Nova itaque Perſis Epocha ab eo dumtaxat incepit tempore, quo *Artaxerſes* genere Perſa, inglorius quidem homo primum, & obſcurus, induſtrius tamen admodum,

magniſque gerendis rebus par, idoneuſque ad ea, quae bene etſi firmata viderentur, loco turbanda, *Artabano* V, qui de Romanis inſigni relata victoria ſuperbiens duplici adſumto diademate cum *Magni*, tum etiam *Regis Regum* vaniſſimum uſurpaverat titulum, Rege interfecto, Parthiſque triplici praelio ſuperatis, atque Parthica ſubverſa potentia, Perſis denuo priſtinum recuperavit Imperium; atque Medis, Adiabenis, Corduenis, Elymeis, Oſrhoenis, viciniſque Syris inſuper ſubactis, ſubque tributo receptis, in majorem longe ſplendorem redintegravit; quod Perſarum deinceps Regnum *Saxanidarum* dici cepit, indeque quarta Perſarum Regum, de *Saxani* ipſius Avi nomine Dynaſtia ſumpſit exordium: qua de re Dio in Epitome lib. 80. p. 918, Herodianus lib. 6. cap. 129, Agathias Scholaſt. lib. 2. p. 64. ſq. edit. Pariſ., Byzant. T. III. edit. Ven. p. 46, & lib. 4. p. 134, Ven. 94, ex ipſoque Syncellus in Chron. p. 359. ſq. edit. Pariſ., Ven. 286. ſq., & Bar-Hebraeus, vulgo Abulpharagius in Chron. Syriaco fol. 24. apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. II. p. 318.

VI. Quo porro anno factum id fuerit, quove idcirco *Perſica* iſthaec, paucis oppido hactenus probe, ſatiſque perſpecta, inceperit Epocha, accurate modo perſcrutandum venit. Atque, ut Ebn-Batrikh, vulgo Eutychii in *Nadhm Al-Giaubar*, ſeu Annalibus figmentum, quo *Ardſchir*, ſeu *Artaxerſem* aetate *Commodo* ſupparem facit, miſſum faciam, anno ſane *Alexandri* Macedonis 538, *Alexandri* vero *Severi* anno 4. id conſignant Agathias, & Syncellus ipſum ſequutus, qui cum anno U. C. 979, Aerae Chriſtianae 226. concurrere viſus eſt Agathiam ſequutis Petavio Rat. Temp. Par. II. lib. 4. cap. 7, Pagio ad cit. an. n. 4. edit. Luc. T. II. p. 478, (quo loci cum Euſebium in Chron. verſ. S. Hieron. T. VIII. p. 741. Perſas hoc ipſo anno praelio ab *Alexandro* Imp. devictos perhibentem erroris arguit, tum etiam Scaligerum de Emend. Temp. lib. 5. p. 491. Agathiam duplicis erroris accuſantem erraſſe ipſum oſtendit, dum annos Seleucidarum ab initio Regni *Alexandraei* ducit), Longuerue in Annal Arſacid. p. 53, Fabricio Bibliogr. Antiq. cap. 7. p. 206, Baſnagio in Annal. Polit. Eccleſ. T. II. p. 291. ſq., ac Bunoni in Not. ad Cluverii Introd. Geog.

Digitized by Google

Geog.lib.5.p.559. Abulpharagius e contra factum id anno *Graecorum* 542, *Alexandri Severi* 3, Chriſti 225, duraſſeque Perſicum hoc Regnum *Saxanidarum* annis 418. adfirmat, donec in Arabum poteſtatem translatum fuit. Quam ipſam in opinionem manibus, pedibuſque deſcendit Joh. Reiſckius in Addit. ad Chronicon Dreſchleri, ac in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib.5. cap.15. p.558. ſq., Aerae Chriſtianae anno 225. Perſicum ab *Artaxerſe* Regnum inſtauratum fuiſſe ab Abulpharagio perſuaſus. Tam vero Agathiae, quam Abulpharagio, quem utrumque ſequitur DeGuigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. p.401, Aerae hujus initium in vulgarem Chriſti annum 226, aut 225. conferendum fore & ipſe opinatus, repugnat Cl. Joſephus Simonius Aſſemanus Bibl. Orient. T.I. p.5. ſq., & T.III. p.318, & Abulpharagio quidem ideo, quod *Alexandri Severi* annus 3, qui fuit Aerae Chriſtianae 225, aut 226, cum anno *Graecorum* 542. conjungi nequit; Agathiae vero, quod peſſime quoque cum anno 4. *Alexandri Severi Graecorum* annum 538. copulaverit; cujus alios praeterea errores detegit, & emendat. Ipſius ſententia igitur annis 17. Imperii Perſici ab *Artaxerſe* inſtaurati anticipandum initium eſt, ita ut iſtud anno Seleucidarum 525, Chriſti 213, U. C. 966. illigetur. Auctores nempe ſunt Euſebius de Vita Conſtantini lib.4. cap.9, Theodoretus lib.1. cap.24. ſq., Sozomenus lib.2. cap.15, & Theophanes ad an. M. 5817, Divinae Incarnationis 317, quos ſequitur Petavius Rat. Temp. T.I. Par. I. lib.5. cap.10. edit. Ven. p. 262. ſq., perſecutionem a *Sapore* II. in Perſide contra Chriſtianos motam ſub *Conſtantino M.*, qui Chriſti anno 337. in vivis eſſe deſiit, occepiſſe, unde oppido falli Henſchenium in Actis SS. ad diem 2. April. edit. Ven. T.II. p.844, & ad diem April. 22. T. III. p.19, ac Pagium ad an. 343. n.3. ſq. T. IV. p. 406. ſq. anno Chriſti 343. perſecutionem a *Sapore* in Chriſtianos excitari incepiſſe, atque Martyrium SS. *Simeonis* Seleucienſis Epiſcopi, ac Sociorum nonniſi anno 349. contigiſſe opinatos, egregie oſtendit. Auctores praeterea ſunt S. Maruthas Tagriti, ſive Martyropolis Epiſcopus in Hiſt. Martyr., Scriptoreſque Syri, Arabesque Cod. Syr. I. fol. 82, & 87, Cod. Amidenſis I. fol. 437, Cod. Syr. II, &

 Cod.

Cod. Arab. xliv. eodem T. I. Bibl. Orient. p. 2. ſqq., & p. 8.; quibus jungendus Scriptor alter Chaldaeus Actor. ejuſdem *S. Simeonis*, & Sociorum Cod. Nitrienſis Vatic. I. fol. 15, & *SS. Acepſimae*, & Socior. fol. 201. apud Stephanum Evodium Aſſemanum in Act. SS. Martyr. Orient. T. I. in Praefat. p. 720. ſqq., Martyrium *SS. Simeonis* Epiſcopi Seleucienſis, ac Sociorum feria *6*. Paſſionis, Luna 14. *Niſan*, anno *Saporis* 31, *Alexandri M. 655*, Regni Perſarum 117, a Paſſione *Domini* 296. accidiſſe. Jam vero, inquit, Aſſemanus Joſeph. Simon., ſi *Alexandri M.* anno 538, quo Perſarum Regnum cepiſſe ſcripſit Agathias, jungantur anni Perſarum 117, quo *SS. Simeonis*, ac Sociorum Martyrium a S. Marutha, Scriptoribuſque aliis Syris conſignatur, habebis utique annum *Alexandri M. 655*, quo Martyrium illud notatur in Codicibus Syr., & Amid.; at vero ſi anno Chriſti *226*, cui reſpondere *Alexandri M.* annum *538*, & *Alexandri Severi* 4. oſtendimus, addantur Regni Perſarum anni 117, habebis annum Chriſti 344, cum quo tamen *SS. Simeonis*, ac Sociorum Martyrium concurrere nequivit, ut pote quod, velut ex Euſebio, Theodoreto, Sozomeno, Theophane, S. Marutha, Syriſque aliis Scriptoribus docemur, contigit ſub *Conſtantino M.*, qui anno Chriſti 337. obiit; contigit feria *6*. Paſſionis, Luna 14. *Niſan*, quae feria anno Chriſti 344. in diem Aprilis 13. incidit; contigit anno a Crucifixione Domini *296*, qui cum anno Aerae Chriſtianae 330. concurrit, in quo feria *6*. in Paraſceve in diem 17. Aprilis, Lunaris in diem 14. incurrit, ut habet Martyrologium Graecor. Inde concludit igitur a S. Marutha, quatuorque aliis Scriptoribus Arabibus, & Syris Codic. I, & II. Syr., & Cod. Amid. I, & Arab. xliv. annos *655*. *Alexandri M.* numeratos fuiſſe, non utique Chaldaeorum inſtar a poſteriori *Seleucidarum* Epocha, quae prior Aera Chriſtiana eſt annis 311, ſed juxta Aegyptios a priori Epocha *Philippica*, quae vulgarem Chriſti natalem annis 324. antecedit. Quo ab initio, Autumno ideſt anni 324. ante Chriſtum ducti *Alexandri M.* anni *655*. in annum Chriſti 330. incidunt, a Crucifixione *296*: indeque fit, ut initium Regni Perſarum ab *Artaxerſe* inſtaurati Aerae *Alexandri Philippicae* anno *537*, Seleuci-

Digitized by Google

leucidarum 525, U. C. 966, Vulgaris Chriſtianae 213. conſignandum ipſius opinione ſit, a quo ducti Perſarum anni 117. incurrunt profecto in annum *Philippicum* 655, Seleucidarum 642, U. C. 1083, Chriſtianae Aerae 330, ante obitum *Conſtantini M.* 7; quo *S. Simeonis* Epiſcopi Seleucienſis, ac Sociorum Martyrium contigit.

VII. Contra tamen verius Cl. Vir Stephanus Evodius Aſſemanus in Praefat. ad Acta SS. Martyrum Orient. T. I. p. LXXIV. ſqq. ex Agathia lib. 4. p. 135. edit. Pariſ., Ven. Byzant, T. III. p. 95, quem hac in re ſequuntur Calviſius in Chronico p. 531, Petavius Rat. Temp. T. II. Par. II. lib. 4. cap. 7. p. 235. ſqq., Herbelotus Bibl. Orient. p. 764, & Ruinartius in Act. Sinc. SS. Martyr. Admonit. praevia ad Martyrium S. *Simeonis*, & Socior. p. 496. ſqq.; (quamvis Petavius, & Ruinartius una cum Baronio, Valeſio, Bollando, Hermanno, Pagio &c. *Saporeae* Perſecutionis initium ab anno Chriſti 343. haud removendum opinentur); arguit *Saporem* II. annos ſeptuaginta natum, anno videlicet Chriſti 309, aut inſeq., obiiſſe anno 380, ideoque Perſecutionis ab eo motae initium ad annum Chriſti 340, ejuſdem *Saporis* 31, poſt *Conſtantini M.* obitum, fore revocandum, qualis in Actis SS. *Simeonis*, & Sociorum, nec non SS. *Acepſimae*, & Socior. in Cod. Nitrien. Vat. I. fol. 15, & 201. expreſſe legitur, quo anno Luna 14. *Niſan*, & Feria 6. *Paſſionis* in diem 17. Aprilis incidit, ut ex Tabulis Paſchalibus apud Pagium liquet. Jam vero ab anno Chriſti 340. detractis Regni Perſarum annis 117, qui cum praefato *Saporis* II. anno 31. a Scriptore illo Actor. Cod. Nitrien. componuntur, relinquetur Chriſti annus 223, quo exeunte *Artaxerſes* Perſa Dynaſtiae quartae *Saxanidicae*, ſive, ut aliis placet, *Koſrhboiticae* dictae, auctor, Parthis ſuperatis, & *Artabano* interfecto, Perſarum Regno potitus eſt: quo proinde cum anno Chriſti 223. *Graecorum* annus, non utique 542, ut Abulpharagius vult; nec etiam 538, velut Agathiae videtur, ſed annus 534. concurrit. Itaque Stephano Evodio Aſſemano *Perſica* haec Epocha annis 8. utique anticipanda contra Abulpharagium, & annis 4. contra Agathiam viſa eſt; at contra Avunculum Joſephum Simonium Aſſemanum etiam annis 10. retardandam

fore

ſore putat; verbo, in Seleucidarum annum 534, U. C. 976, Aerae Chriſtianae 223. conferendam. Emendandos itaque Codices Nitrienſem II, & Amidenſem I. contendit, ubi cum anno Perſarum 117. conjunctus legitur *Alexandri M.* annus 655, qui debuit eſſe 651, & a Chriſti *Paſſione* 297, qui eſſe debuit a *Nativitate* Chriſti 340, a *Crucifixione* 307. Quo modo emendanda quoque Acta SS. *Jonae*, *Barachiſii*, aliorumque novem Martyrum advertit Ruinartius loc. cit. p.496. ſq., ubi *Sapor* anno Regni 18, ideſt Chriſti 326, perſecutionem adverſus Chriſtianos excitaſſe legitur, loco 18. legendum 38. opinatus. Quo loci tamen, veriorem juxta computum Stephani Evodii Aſſemani, legi pro 18. potius 31, ideſt Chriſti 340. debet. Mitto cetera, quae haud multum huc faciunt multa, quibus Vir doctiſs. in Praefat. ad Acta SS. Martyr. Orient. T.I. p.LXXXI. ſqq. tam Joſephi Simonii Avunculi opinionem a *Sapore* perſecutionem ſub *Conſtantino M.* excitatam putantis exagitat; tum S. Hieronymi, Baronii, Hermanni, Valeſii, Henſchenii, Pagii &c. ſententiam ejuſdem a *Sapore* motae perſecutionis exordium ad annum Chriſti 343. rejicientium explodit. Conferendus idem etiam Vir doctiſs. in Adpend. ad Perſecut. ann.40. Hiſt. eodem T.I. Act. SS. Martyr. Orient. p.211. ſqq., ubi & Ruinartium, & Tillemontium cum Baronio, Henſchenio &c. facientes refellit. Quocirca inde patet non fuiſſe plane, cur a Petavio Rat. Temp. T.II. Par.II. lib.4. cap.238. ſq. erroris redargueretur Herodianus, quod ſcripſerit lib. 6. contra *Artaxerſem* Imperii anno 14. *Alexandrum Severum* moviſse: nam anno 12, ineunte 13, Chriſti 234. ab eo Perſae devicti fuere, annoque inſequenti 13, ineunte 14, Chriſti 235. de Perſis triumphus Romae peractus fuit, eodemque Imperii anno 14. inchoato, die 19. Martii circiter Moguntiae interfectus eſt: qua de re Tillemontius Hiſt. Imp. edit. Brux. T.III. p.360. ſqq., & 370, ac Monum. Hiſt. Eccl. T.III. Par.III. in Chron. p.411. ſq.; multoque fuiſse minus, cur a Pagio erroris pariter redargueretur Euſebius, quod in Chron. ſcripſerit anno Chriſti 226, quo Perſarum Imperium vix ipſe incepiſse putat, ab *Alexandro* Imp. Perſas ingenti clade profligatos fuiſſe; quippe Perſarum Regno ab anno Chriſti 223. facto initio,

ht

fit inde, ut triennio poſt in Romani Imperii fines Perſae irrumpentes praelio cohiberi potuerint, in ordinemque ut redigerentur, inde fieri potuit. Jam vero ex hiſce a primo ad ultimum liquido patet S. Marutham in Hiſt. SS. Martyr., & quinque Scriptores alios Syros, unum Arabem in Actis SS. Martyrum Orient. Codic. Syr. I, & II, Amid. I, Nitrien. Vat. I, & Arab. XLIV. *Perſicam* hancce *Saxanidicam*, ſive *Koſrhoiticam* dictam ab *Artaxerſe* inchoatam Aeram fuiſse ſequutos. Ex Nummis denique *Arſacis Regis Regum* nomine inſcriptis, cumque numericis anni 491, & 508. notis inſcalptis *Perſica* haec ab *Artaxerſe* inita Epocha ſtatui quoque poſset etiam modo, ſi vera tamen eſset Froelichii opinio, qui Nummos hos ad *Artaxerſem* Perſam ſpectare, atque *Parthica* obſignatos Aera eſse putat. Verum hocce de argumento proprius infra fuſius diſputandi ſe nobis aperiet campus.

VIII. Atque *Saxanidicum* hocce, ſive *Koſrhoenum* Perſarum Regnum perduraſse annos 418, donec hoc eſt in Arabum poteſtatem devenit, perhibet, uti ſuperius innuebam, Gregorius Bar-Hebraeus, vulgo Abulpharagius in Chron. Syro, quem ſequuntur Aſsemanus uterque Bibl. Orient. T. I, p. 4, & in Act. SS. Martyr. Orient. in Praef. T. I. p. LXXIV. ſq.; perduraſse annos 424. ſcribit Elmacinus Hiſt. Saracen. lib. 1. cap. 4, ad Hegirae an. 31; annos 425. Abilſeda in Annal. Moslemicis verſ. Reiſchii p. 79, cui fere adſtipulantur Pagius ad an. 651. n. 10. T. XI, Annal. edit. Luc. p. 448, ac De Guigneſius p. 461. ſq., annos 426. adſcribentes; annos 412. Cedrenus, & Theophanes ad an. *Heraclii* 30, Aerae Alexandrinae 631, Chriſtianae 639; annos 410. Iſmael Sciahinſciah in Chron. Arabico ad Hegirae an. 15. ſqq.; 405. Scaliger, Petavius, Calviſius &c.; 307. Petrus Biſarus in calce Hiſt. Perſicae. Intra ſpatium porro temporis iſtud *Perſica* incidit Epocha *Jezdegerdica* altera, cujuſce detecto capite, inde quae ex praefatis veri haberi debeat ſimilior opinio, palam fiet. *Jezdegerdes* itaque, non utique hujuſce nominis I, in Dynaſtia *Saxanidum*, ſive *Koſrhoedum*, filiuſque, non *Saporis*, ut Abulpharagio, & Petavio viſum; neque *Baranis*, ſive *Voranis* IV, uti Kondemirus, ſive Mircondus, & Ebn-Batrikh, ſive Eutychius ſcribunt

apud

apud Herbelotum Bibl. Orient. p.485, ſed *Schab-Pori* III, ut eſt apud De Guigneſium p.401, (a quo, *Jezdegerde* I. ideſt, Perſis Magis inſtigantibus, ob Πυρᾶον Templum *Igni* Sacrum a S. *Abda* deſtructum, immanis in Chriſtianos perſecutio mota fuit anno Chriſti, non 414, uti Pagio viſum, ſed 418, ut oſtendit Aſſemanus in Act. Martyr. Orient. T.I. p.230. ſqq., continuataque ab anno 21. per annos quinque a *Varane* V, De Guigneſio III, hujuſce nominis ejus filio, anno Chriſti 422. finita eſt, qua de perſecutione Theodoretus Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap.39, Cyrillus Scytopolit. in vita S. Euthymii, Socrates lib. 7. cap. 18, Agathias lib. 4. p. 136. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T. III. p. 95, Abulpharagius in Hiſt. Dynaſt. Par. VII. p. 92, Dionyſius Jacobit. Patr. in Chron. Syr. Cod. Vatic. 13. apud eumdem Aſſemanum, Theophanes ad an. Alexandrinum 406. Hiſt. Byzant. edit. Ven. T. VI. p. 56. ſq., Pariſ. 71.); ſed hujuſce nominis *Jezdegerdes* III, *Scheriari*, ſive *Schahriari*, ut habent Scriptores citati, filius, non vero *Sirois*, uti Scaligero de Emend. temp. lib. 3. p. 210, & Petavio Rat. temp. Par. II. lib. 4. cap. 7., p. 238. viſum eſt, Epochae Perſarum ſecundae locum, nomenque fecit, quo vero anno, inquirendum ſupereſt.

IX. Regnum hic porro inijſſe fertur Hegirae anno 11, Chriſtianae Aerae 632. a die 29. Martii, 22. Rabi Elaoval apud Elmacinum in Hiſt. Sarac. p. 12, Bar-Hebraeum in Chron. Syr. Par. III, alioſque Aeram *Jezdegerdis* anno Chriſti 632. conſignantes; quod poſtquam annis 4. tenuit, praelio *Jululenſi*, ut Arabice vocari ſolet, ſive *Gialulenſi*, ut illud vocat Abilfeda in Annal. Moslemicis p. 70, a Menſe Julio die 23, qua praelium illud commiſſum eſt, ad Cadeſiam, non ab *Othomano*, ut perperam ſcribit Baſnagius Annal. Polit. Eccleſ. T. II. p. 292, ſed ab *Homaro* Arabum Kalipha celeberrimo profligatus, anno Hegirae 15, Chriſti 636. a die 14. Febr. regnandi finem Perſis *Koſrhoeidis*, ſive *Saxanidis* fecit, Regno in Arabes translato, uti ſcribit Abilfeda; vel Hegirae 16, Chriſti 637. a die 2. Febr., quo praelium illud conſignat Iſmael Sciahinſciah; vel Hegirae 18, Chriſti 639. a Jan. die 12, veluti Cedrenus ad an. *Heraclii* 30, ac Theophanes ad an. Dom. Incarnat. juxta Alexandrinos 631; vel Hegirae 17, Chriſti 638. a Jan. die 23, ut

ut Abulpharagius in vita Homari, & Othomani, quem ſequitur Aſsemanus Bibl. Orient. T.III. in Chronolog. Reg. Perſar. p.423. ſq.; atque poſtquam hac illac profugus in Segeſtaniam ſe recipiens, ibique per annos 15, juxta aliquos, aut 7, juxta quoſdam, delituiſset, interfectus demum fini conceſſit ſuo Hegirae anno 25, Chriſti 645. a die 28. Octobris, uti tradit Abulpharagius; aut probabilius anno Hegirae 31, Aerae Chriſtianae 651. a die 24. Auguſti, veluti ſcribunt Hagi Khalſah, Elmacinus, Abilfeda in Annal. Moslem. p.79, Iſmael Sciahinſchiah in Chron. Arab. apud Aſsem. cit. T.III. p.425: quibus potior habenda fides, quam Haytono in Paſſagio Terrae San. cap. 15, & Albumanſaro, quos ſequuti Scaliger de Emend. Temp. lib.3. p.210. ſq., Calviſius in Iſag. Chron. Par. II. cap. 10, & Petavius Doct. Temp. lib.3. cap.12, lib.7. cap.15, & lib. 11. cap.54, Perſarum Regnum die 16. Junii Hegirae anno 11, Chriſti 632. a die 29. Martii deſiiſſe putant, quo ideſt *Jezdegerdes*, ipſorum opinione, periit. Quamvis poſtea Petavius ex Theophanis haud ſatis alioqui bene digeſta Chronologia p.273, 282. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.217, & 224. ſq., ubi *Jezdegerdem* modo *Adeſerem* nuncupat, modo cum *Hormiſda*, qui in Perſide tyrannidem occupaverat, illum confundit, atque *Jezdegerdis* Regni tum initium quadriennio antevertit, cum anno Chriſti 628. illud illigans, tum exitum annis fere 12. anticipavit, eum in Chriſti annum 639. conferens, Petavius, inquam, Rat. Temp. Par.II. lib.4. cap. 7. p. 238. Perſici Regni fata Chriſti anno 647. conſignanda putaverit, quo ſcilicet primum a Saracenis fuerit occupatum.

X. Jam vero ab Hegirae anno 32, Aerae Chriſtianae 652. a die 12. Auguſti, Nabonaſſari 1400, quo vivendi finem *Jezdegerdes* fecit, Arabes plerumque, inter quos Hagi Khalfah apud Herbelotum Bibl. Orient. p.485, & 857, iſtiuſmodi Epochae *Jezdegerdicae* exordium capere ſolent; aliiſque viciſſim ab anno Hegirae 15, Chriſti 636. a Febr. die 14, quo Perſarum Regnum *Saxanidarum* defeciſſe, ad Arabes tranſductum putant, initium ducere magis placuit. Verum enim vero receptiſſima, a qua haud facile recedendum, apud Occidentales, Aſtronomoſque Orientales, cui adſtipulantur Heu-

ſchan Ghilaeus Medo Perſa in Tabulis Univerſ. apud Golium in Not. ad Alfrag. p.30, idem Alfraganus in Elem. Aſtron. cap. 1. p 6, Georgius Chryſococcus in MS. Expoſitione Conſtructionis Perſarum apud Scaligerum Iſag. Can. lib. 3, DeGuigneſium in Tab. Epoch. Orient. p. XLIV. ſq., & apud Longuerue de Var. Epoch. Vet. p. 189, Abilfeda Iſmael in Annal. Moslemverſ. Reiſckii p. 69, aliique longe plures, ſententia obtinet, *Jezdegerdicae* Aerae iſtiuſce cardinem ab ejuſdem *Jezdegerdis* anno 1, Hegirae 11, Nabonaſſari 1379, Chriſti 632. Junii die 16, Feria 3. ineundum eſſe: a quo etſi ineant & ipſi ſane Scaliger de Emend. lib. 3, Calviſius Iſag. Chron. Par. II. cap. 10, & Petavius Doct. Temp. lib. 3. cap. 12, lib. 7. cap. 15, & lib. 11. cap. 54, ac Rat. Temp. Par. II. lib. 4. cap. 7; eo ipſo tamen anno *Jezdegerdem* fatis oppetiiſſe, indeque proinde ab Haytone, & Albumanſaro decepti *Jezdegerdicam* deducendam Aeram opinati, falluntur oppido, uti modo demonſtratum eſt: quippe anno dumtaxat Hegirae 31, Chriſti 651. *Jezdegerdem* in vivis eſſe deſiiſſe abunde nos docent Hagi Khalfah, Abilfeda p. 79, Elmacinus, & Iſrael Sciahinſchiah; aut ſaltem non ante Hegirae annum 15, Chriſti 636, aut Hegirae 16, Chriſti 637, aut Hegirae 17, Chriſti 638, aut Hegirae 18, Chriſti 639, quo ab *Homaro* praelio ſemel, ac bis ſuperatus fuit, *Jezdegerdem* obiiſſe, fidem indubiam faciunt Cedrenus, Theophanes, Abulpharagius, Abilfeda &c. Jam vero Aerae iſti occaſionem feciſſe obſervatur, non *Jezdegerdis* utique obitus, neque Perſici Regni excidium, bene vero Periodus *Minor* octava, quae pars erat duodecima Periodi *Majoris* Perſicae annorum 1440, Periodus ideſt annorum 960, quot nempe fiunt ex octo Periodis annorum 120. Quippe quum ab anno 1. *Xerſis*, quo *Neuruz*, ideſt Anni initium Verno *Aequinoctio* reſtitutum fuerat, juxtaque Periodi *Majoris* annorum 1440. exordium fuerat repetendum, uſque ad annum 1. *Jezdegerdis*, ab Aſtronomis obſervatum fuiſſet Periodi *Majoris* annorum 1440. interfluxiſſe annos 960, (Periodi vero *Maximae* annorum 1460. a *Xerſe* uſque ad *Jezdegerdem* anni 1116. interfluxerant; eique ideo complendae deerant anni 346, quorum ſpatio *Sol* diebus 86. retroceſſerat, tot ſcilicet, quot

ſane

ſane dies ab *Aequinoctio* Verno, ſive a die 22. Martii, intercedunt uſque ad diem 16. Junii), *Jezdegerdi* proinde auctores fuere, novis hacce de re Tabulis Aſtronomicis editis, factaque aequatione, atque Menſis *Embolimaei* reſtitutione, ut nova deinceps in facti adeo inſignis memoriam *Epocha* inſtitueretur: qua de recolenda, ſi placet, quae fuſiori calamo Volum. I. Art.III. de Menſ., & Annis Perſarum, Parth. &c. §.XIV. p.508. ſqq. tradita ſunt; adeunduſque, qui & plura dabit, Vir doctiſſ. Longuerue de Var. Epochis Veter. cap.6. §.19. ſqq. p.184. ſqq.

XI. Quoniam vero in Aera *Jezdegerdica* anni Vagi, ſeu *Aegyptiaci* dierum 365. dumtaxat adhibentur, idcirco ut cum annis Vulgaris Aerae *Chriſtianae* eos rite componas, ſequentibus utere regulis 1.ª Si annus *Jezdegerdicus* praecedat Chriſti annum 670, anno propoſito adjungendi ſunt anni 631; ſi poſt ſequatur, anni dumtaxat 630. adjiciendi erunt; atque ſumma annum in Aera *Chriſtiana* quaeſitum indicabit. E. g. Scriptor Perſicus a Jacobo Capello in lucem emiſſus tradit anno Mundi 6952, Aerae *Perſicae* 814. *Aequinoctium* Vernum contigiſſe Martii die 11. hor. 8. min. 29. ab ortu *Solis*. His annis 814. additi 630. efficiunt 1444, qui fuit Chriſti annus in Aera *Perſica* decurrens. 2.ª Si viciſſim annus Aerae *Chriſtianae* revocandus ſit ad *Perſicum* annum, ſi minor ſit 1300, auferendus eſt 631, ſi major, auferendus eſt 630, ac reliquus erit *Perſicus* annus quaeſitus. E. g. Anno praeſenti 1767, qui 1300. major eſt, ablatis 630, reliquus eſt 1137, qui eſt *Perſicus* annus anno praeſenti reſpondens. 3.ª Quia vero primus *Jezdegerdicus* annus incepit anno Aerae *Chriſtianae* 632. a Junii die 16, quae a Kalendis Januariis eſt 167, idcirco ut *Neuruz* Perſicum, ſive *Phervardin* primi Menſis Perſici *Neomenia* inveniatur, annus *Jezdegerdicus* per 4. dividendus eſt; quotus deinde ſubducendus ex 167, ac reliquus erit dies a Kalendis Januariis, quo *Neuruz* init. E. g. Anno *Perſico* 246. diviſo per 4, quotus eſt 61, qui ſubductus ex 167, relinquit 106: igitur anno iſto 246. *Neomenia* Phervardin, ſive *Neuruz* in diem 106. a Kalendis Januariis, hoc eſt Aprilis 16. incidit. Si tamen poſt diviſionem per 4. factam nihil ſuperſit,

tunc e quoto detrahenda eſt unitas, ac reſiduum ex 167. auferendum. E. g. Anno *Jezdegerdico* 292. per 4. diviſo, quotus dat 73, qui nihil relinquit: e quoto itaque ſubducto 1, ac reliquus 72. ſubtractus ex 167. relinquit 95: itaque annus *Jezdegerdicus* 292. injit a die 95. poſt Kalendas Januarias, videlicet a die 5. Aprilis. 4.ª Quia vero poſt annum *Perſicum* 433, Chriſti 1064, futurus major quotus eſt, quam qui ex 167. ſubduci queat, proinde ad 167. addendus eſt annus integer, ideſt 365, & e ſumma 532. ſubtracto quoto, & e quoto antea, ſi unitas, vel nihil ſuperſit, abjecta unitate, reſiduum indicabit diem, quo annus ille incepit. E. g. Annus in Aera Chriſtiana decurrens 1767, in Aera *Jezdegerdica* eſt 1137, qui per 4. diviſus in quoto dat 283, ac relinquit 4; itaque unitate e quoto abjecta, reliquus 286. ſubtrahendus eſt ex 532, ac reſiduus 246. indicat diem 246. a Kalendis Januariis, hoc eſt diem 3. Septembris, quo praeſenti anno Chriſti 1767. *Neomenia* primi Menſis *Phervardin* Perſici, ſive *Neuruz*, ideſt anni praeſentis *Jezdegerdici* 1137. prima dies incepit.

XII. Poſt *Jezdegerdem*, poſt ideſt, quam Perſicum ad Moslemos, & Arabes Imperium pertranſivit, *Jezdegerdica* abrogata Aera, nova cum Anni forma, nova quoque ſub *Geladdino* Epocha inſtituta eſt, de ipſius deinde nomine *Geladdina*, ſive *Melicaea* dicta, quae tertium ideo Epochas inter Perſicas jure locum occupat. Fuit is porro tertius in Dynaſtia Perſica *Selgiucidarum*, denominata a *Selgiucho*, qui in ſtirpe Mogolis, ſive Turcheſtaniae Regum XXXIV. Princeps recenſitus eſt Kondemiro, ſive Mirchondo, Ben-Schuhnah, Ebn-Amid, ſeu Elmacino in ſuis *Tarikh*, ſive Hiſtor. Moslem., & Saracen., & ab Auctoribus *Nighiariſtan*, ac *Leb-Tarikh*, aliiſque, de quibus Herbelotus Bibl. Orient. p.800. ſq., ac DeGuigneſius Hiſt. gen. T.I. Par.I. lib.5. p.241. ſq.; quemque, *Selgiuchum* nempe, regnare cepiſſe anno *Graecorum* 1359, Aerae Chriſtianae 1048. tradit Noemus Jacobit. Patriarcha Mardenſis in Chronico apud Cl. Aſſemanum Bibl. Orient. T.II. p.470. Verum *Selgiucidarum* Dynaſtiae initium annis 12. circiter, ad annum ideſt Hegirae 429, Chriſti 1037, ab Octobris die 14. ineuntis, quo nempe Sultano *Maſoudio* profliga-

fligato, eo *Thogrul-Beghus* Selgiucidi ex *Mikhaile* filio nepos titulo Bagdadi inauguratus eſt, retrotrahendum eſſe docent Arabes, Perſaeque Scriptores praecitati. Jam vero proprium *Gelaleddino* nomen erat *Melikſchah Aboulfetah*, praenomen autem *Moez-Eddin*, unde factum *Gelal-Eddoulat-Eddin*, Perſice *Decus Regni, ac Religionis*; Regnoque inito Hegirae anno 465, Chriſtianae Aerae 1072, a die 17. Septembris ineunte, illud retinuit annis 20, uſque hoc eſt ad annum Hegirae 485, Chriſti 1092, qui a die 12. Februarii inivit. Ergo ſub eodem *Gelaleddino* ſiquidem Arabes obſervaſſent Aſtronomi pluſquam viginti, quos inter praecipui *Homarus Khajamus*, & *Abdalrahimus Hazireus* apud Cotboddinum, ac Nedhamoddinum relatos Golio in Not. ad Alfrag. p.32.ſqq., obſervaſſent, inquam, Aſtronomi eo temporis ſpatio, quod ab *Jezdegerde* uſque ad *Gelaleddinum* effluxerat, ideſt ab anno 1. *Jezdegerdis* uſque ad *Gelaleddini* annum Regni 7, annorum videlicet 447. ſpatio, caput Anni retrogreſſione ſua *Aequinoctio* Verno appropinquaſſe, *Gelaleddino* auctores fuere, ut ejuſdem auſpicio *Neuruz* certo deinceps adſtringeretur diei; ut loco intercalationis *Perſicae*, impoſterum adhiberetur *Graeca*; ut Annus ad *Solis* deinde motum, ad *Lunae* non amplius, exigeretur; Annique caput in perpetuum Verno deinceps adfigeretur *Aequinoctio*. Id factum, novumque effictum Kalendarium eſt, *Tarik Gelali* Perſis, Arabibuſque nuncupatum: atque ut rem paullo aliter, ſed quae demum eòdem recidit, Ulug Beighus apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 395. refert, ab anno diebus 15. amputatis, *Neuruz*, ſeu Anni caput a gradu 15. *Piſcium*, quò delapſum fuerat, ad gradum 1. *Arietis* revocatum fuit, ibique perpetuo defixum: qua de re plura ſuper. Volum.I. Art.III. de Menſ., & Annis Perſar. &c. §.xv. ſq. p.510. ſqq. diſputata jam ſunt.

XIII. Inde factum igitur, ut nova de *Gelaleddini* pronomine *Gelaleddina*, ſive de *Melikſchahi* nomine proprio *Melicaea* dicta, inſtitueretur Epocha, cujuſce de modo initio dicendum ſuppetit, incumbitque. Et R. Zacuthus quidem in *Juchazin* Aeram iſthanc in annum Hegirae 465, qui Chriſtiana in Aera fuit 1072, a die 17. Septemb. inceptus, quo videlicet

licet ipſo Regnum *Gelaleddinus* inceperat, perperam conferre non dubitavit; adeo ut *Neuruz* cum die 14. *Niſan*, ſeu Martii inceperit, annis videlicet 7. ita Aeram iſtam anticipans, ut modo evincimus, non 5. retardans, ut incaute ſcribere Herbeloto Bibl. Orient. p. 592. excidit. Arabibus viciſſim aliis Herbeloto p. 857. indicatis, queis adhaerere Calviſius haud ambegit, Aerae caput ineundum a Feria 1, die 5. *Schaban* anni Hegirae 468, qui Chriſti fuit 1075, a die 16. Auguſti initus, viſum eſt; quibus ita Epocha iſta annis 4. retrotrahitur ab eo, quo revera deſigenda eſt anno. Vulgata itaque, eaque retinenda ſane, Cotboddini, & Nedhamoddini apud Golium p.32. ſq., Ulug Beighi de Epoch. celebr. cap.5, Georgii Chryſococci apud Scaligerum Iſag. Can. lib.3, & Petavium, de quo mox, apud Bullialdum in Aſtron. Philolaica, & Longuerue p. 194. ſq., atque Perſarum generatim, Arabumque opinio eſt, Aeram hanc *Melicaeam* incepiſſe anno *Jezdegerdis* 447, Hegirae 471, Feria 6, die *Rhamadhani* 9, (non 10, ut Librarii vitio poſitum oſtendit praecit. Longuerue), ſive *Phervardin* veteris die 18. Quam juxta opinionem idcirco Epochae *Gelaleddinae* hujuſce, ſive *Melicaeae* initium petere ab anno Aerae Chriſtianae 1079, Martii die 15, Feria 6. circa Meridiem haud ſane haeſere Petavius Doct. Temp. lib. 11. cap. 55, Longuerue de Var. Epochis Vet. cap.6. §.22. ſqq. p.192. ſqq., ac De Guigneſius in Tab. Epoch. Orient. p.XLV; ubi tamen per errorem annus Chriſti 1079. cum Hegirae anno 448. conjungitur; namque annus 471. Hegirae die 14. Julii anni Chriſti 1078. inceptus finem habuit Feria 5, Julii die 4. anno 1079: quo anno ſane Vernum *Aequinoctium* die 15. Martii hora 1. min. 24. poſt Mediam noctem contigit, cuique ideo diei Anni *Gelalaei* initium adfixum jure fuit. Perſicis hiſce porro tribus Epochis adjungi duplex alia poſſet, Mogolis, Tartaris, Perſis, Chaldaeiſque facta communis, qua nempe Saracenorum Regnum a Caliphis *Abbaſſidis* ad Mogolos ab *Hulacho Khano* Aerae Chriſtianae anno 1258. translatum eſt; quave nova *Tartarorum* Dynaſtia ab *Haſano Bujuch* fundata, atque longe, lateque in Aſſyriam, & Mediam amplificatum eſt Imperium anno Chriſti 1336: ſed enim utraque hacce

ce de Epocha ſiquidem agendi commodior infra locus aderit, ut ad alias proinde gradus Epochas fiat, praeſtituti nobis operis ratio inſtat, urgetque.

XIV. Atque *Epocharum* plane loco haberi poſſe videntur peculiares novae Dynaſtiae, quae Perſico diſcerpto in partes Imperio, poſtquam iſtud ad Moslemos, Arabeſque pervenerat, atque ab his ad ſe raptis Provinciis fundatae a pleriſque apud Herbelotum, ac De Guigneſium referuntur. Cujuſmodi fuere I. *Thaberienſium* Dynaſtia ſuo de auctore *Thabero* dicta, & in Khoraſania Hegirae anno 205, Aerae Chriſtianae 820. fundata. Cujuſce locum poſt annos 56. occupavit Dynaſtia II. *Soffaridum*, de *Laitho Soffaro* ita denominata, cujus a filio *Amro*, ac nepote *Thabero* amplificatum in Perſide imperium eſt. Exterminata iſthaec Aerae Chriſtianae anno 902. eſt Dynaſtia ab *Iſmaele* filio *Ahmedi*, qui in Dynaſtia III. *Samanidarum*, ita de Avo *Samano* adpellata, ſecundo poſt *Naſrum* fratrem, a quo fundata Dynaſtia eſt Hegirae anno 261, Chriſti 874, in Perſide, ac Tranſoxania imperium obtinuit. Cui demum finem Dynaſtiae Chriſti anno 999. impoſuit *Illikil-Khanus*, qui in Turcheſtania regnabat. In parte Imperii Perſici Moslemis erepti altera, Regionibus ideſt ad Maris Caſpii Septentrionem, & Ortum in Tabareſtania, altera Dynaſtia I. *Dilemitarum*, e Regione ita dicta, Hegirae anno 315, Aerae Chriſtianae 927. fundata a *Wahſchoudano* eſt; quae perinde Chriſti anno 1012. qua a *Ghaznevidis*, qua a *Bovidis* extincta eſt, imperio in partes diſcerpto: II. *Bovidarum* Dynaſtia vero, de *Boviahi* patris nomine, e *Saxanidarum* ſtirpe, dicta a filio *Aboul-Haſſano Aly* in Perſide, & Iracha Arabica fundata eſt Hegirae anno 322, Aerae Chriſtianae 933; quae poſtea Chriſti anno 1055. a *Thoghrulbego* Seleucidarum Dynaſtiae fundatore deſtructa eſt. Altera *Bovidarum* III. Dynaſtia Bagdadi Hegirae anno 325, Chriſtianae Aerae 936. condita eſt a *Moezzeddouleto Ahmedo*, filio *Boviahi* altero, quae anno Chriſti 1043. exterminata eſt. *Bovidarum* IV. Dynaſtia altera Aſpahani ab *Aboul-Haſſani-Aly* filio *Mouiadeddouleto* Hegirae anno 365, Aerae Chriſtianae 975, quae poſt anno Chriſti 1029. a *Mahmoudo* Dynaſtiae *Ghaznevidarum* conditore deſtructa eſt. In

Per-

Perſide ſed enim longe illuſtrior altera Hegirae anno 543, Aerae Chriſtianae 1148. fundata *Atabekidarum* I. Dynaſtia eſt a *Modhaffereddino Moſchakaro* genere Tartaro, quae finem habuit Chriſti anno 1264. Fuere porro aliae geminae hoc ipſo *Atabekidarum* nomine, quo *Pater Principis* ſignificatur, adpellatae, in Iracha, ſive Syria una ab *Emadeddino Zengo* fundata, quae in minores alias diviſa eſt, quarum I. *Moſulis* Aerae Chriſtianae anno 1145. uſque ad 1260; II. Aleppi ab anno Chriſti eodem 1145. uſque ad 1185; III. Gezirati in Tigris Inſula ab Aerae Chriſtianae anno 1208. uſque ad 1253; IV. Sandgiari a Chriſti anno 1197. ad 1219; V. Arbelae ab anno Chriſtianae Aerae 1190. ad 1233. regnum obtinuere. Altera *Atabekidarum* Dynaſtia in Adherbigiana, & Curdiſtania ab *Ildegbizo* Hegirae anno 531, Chriſti 1136. condita, quae demum Aerae Chriſtianae anno 1225. a Tartaris everſa eſt; ex qua tamen altera Hamadami ab *Idgmiſcho* Chriſti anno 1213. efformata paucos & ipſa poſt annos a Tartaris deſtructa eſt. Prae his celebrior, ut innui, *Atabekidarum* Dynaſtia fuit in Perſide a *Modhaffereddino* fundata; ex qua perinde Hegirae anno 662. circiter, Aerae Chriſtianae 1263. altera prodiit *Atabekidarum* Dynaſtia in Lariſtania ad Sinum Perſicum ab *Abouthabero* fundata, quae Chriſti anno 1339. regnandi finem fecit. Altera in Perſide Schirazi in Urbe a *Modhaffero* Hegirae anno 718, Chriſti 1318. condita Dynaſtia in tres ipſius filios diviſa, Iezde una, in Kermania alia, alteraque Aſpahani obtinuit, donec omnes a *Tamerlano* Aerae Chriſtianae anno 1392. exterminatae ſunt. Eodem fato periit a *Tamerlano* pariter everſa Chriſti anno 1381. *arbedaireuſium* Dynaſtia Hegirae anno 737, Chriſti 1336. ab *Abderrazaco* fundata. Quae vero *Gaznevidarum* Dynaſtiam abſorpſerat Dynaſtia *Gouridarum*, a Regione ſic dicta, Hegirae anno 547, Aerae Chriſtianae 1152. a *Mohammedo* filio Houſſanii, anno Chriſti 1208. a *Mohammedo* Khariſmi Sultano extincta, in quatuor alias & ipſa Dynaſtias partita fuit, quarum una Bamiani, altera Ghaznae, tertia Moultani regnum obtinuere, quae perinde a Sultano Khariſmi *Mohammedo* paullo inde poſt exterminatae fuere; quarta vero, quae Dehli longiori perfrui regno permiſſa fuit, a *Tamerlano* demum Hegirae anno 801, Chriſti 1398.

1398. everſâ & ipſa eſt. Juxta haec itaque, diverſas ideſt temporibus diverſis juxta fundatas Dynaſtias diverſae aliae in Perſide obtinuiſſe Aerae videntur. Siquidem vero putandis temporibus harum nulla uſu Scriptoribus veniſſe legatur, ad Aeras proinde alias Populis celebratas progredi juvat, & intereſt.

XV. Nummi porro Arabici *Mohammedi* aetate poſteriores extant apud Cl. Barthelemyum Rei Antiquariae peritiſſimum Monum. Acad. Pariſ. Inſcript. &c. T. XXVI. p. 557. ſqq., in quibus cum *Kaliphae*, quorum dignitas honorabatur, ſuum exprimere Sultani delectati leguntur. Atque Froelichio quidem in Annal. Reg. Syriae Tabula XIV. n. 10. Nummus profertur, qui averſa in parte Arabice nomen profert *Houſamedini Timourtaſch*, filii *Ghazi*, filii *Ortoki*, atque *Regis Mundi Juſti*. Genere is Turcomannus fuit, e Dynaſtia *Ortokidarum* ad Caſpii Maris occaſum Sultanus II, qui regnum Hegirae anno 516, Aerae Chriſtianae 1122. auſpicatus annos 30. obtinuit, quo de Abulpharagius Hiſt. Dynaſt. p. 257, ac Benelathir apud De Guignesium Hiſt. gen. Hun. T. I. p. 250. In antica vero parte Regis Syriae effigies conſpicitur, qui Froelichio p. 109. *Seleucus* VI. *Nicator* videtur, rectius *Antiochus* VII. *Sidetes* Barthelemyo; cujus utpote vultus ſimilibus aliis in Regii Muſei Nummis comparet. Nec eſt ſane, cur miretur Froelichius ſimilem huicce fere ſemibarbaram, ſeu Arabicam legi inſcriptionem in Nummo alio *Conſtantini* M., ſive *Conſtantii* in Muſeo Piſano, ſive Corraro: Nummi ſiquidem in Cimeliarchio Regis Gall. extant plerique Barthelemyo inſpecti, in quibus cum Imperatorum effigie Sultanorum nomen inſcriptum legitur. Cujuſmodi ſunt Nummi *Nodgmaddino Albi* filio *Timourtaſchi*, quo de ſupra; hujuſce filio *Cothbeddino Ghazi* Hegirae anno 577, Aerae Chriſtianae 1181; & *Houſameddino Joulouc-Arslano* ipſius filio Hegirae anno 587, Chriſti 1191, juncto *Saledini Malel El-Naſer Selaheddini*, Bagdadi Kaliphae nomine, cum *Heraclii* Imper. effigie, inſcripti. Ex *Ortokidarum* Dynaſtia altera Khiphae, & Amidae in Syria imperante *Phakhreddino Cara Arslano* Sultano IV. duplex Hegirae anno 562, Aerae Chriſtianae 1166. inſcalptus eſt Nummus, De Guignesio p. 251. memoratus, cum epigraphe

Victoria Conſtantini Aug., ac *Vota* xxx. In altero vero Nummo ejuſdem legitur etiam IC XC Ἰησοῦς Χριστὸς, teſte, qui vidit, Barthelemyo. Ex Dynaſtia *Selgiucidarum* Iconii in Aſia Minore imperantium Nummus extat alter eodem in Regis Gall. Cimelio *Gajatheddino Kaichoſrou*, filio *Kaicobadi* Koniae, ideſt Jconii, ſcalptus Hegirae anno 640. circiter, Aerae Chriſtianae 1242; cujus in averſa parte cum Khaliphae *Eliman El-Monſtaſer Billah Emir El-Moumenin*, Leonis, Solis, ac trium Stellarum effigies expreſſa conſpicitur. Ex *Atabekidarum* Dynaſtia Moſuli regnantium Nummus in eodem Regio Muſeo *Azzedino Maſſoudo*, filio *Noureddini*, Sultano VII, Hegirae anno 608, Chriſti 1211. inſcriptus habetur, in quo cum *Alexandri Severi* capite, atque Khaliphae *Naſſereddini Emir El-Moumenin*, filii *Arslani Schachi*, nomine, epigraphe *Non eſt Deus, niſi Deus*, Arabica legitur. In Nummo altero *Atabekidarum* Aleppi regnantium *El-Malek Eſ-Saleh Iſmail* Sultani II. nomen, non ſecus atque Khaliphae *El-Monſtanſer Bamr Illah Emir El-Moumenin*, cum Imperatoris effigie, Aleppi Hegirae anno 571, Aerae Chriſtianae 1175. ſcalptum legitur. In hiſce porro Nummis omnibus Epocha eſt Hegira; in aliis tamen Muſei Regii, ac D. Du Vau Epocha Regni *Gehan-Ghir* Mogulis Imperatoris IV. ex *Babouridarum* Dynaſtia, qui Hegirae anno 1014, Chriſti 1605. imperare cepit, notata videtur. Obſervat porro Cl. Barthelemyus Arabes in veteribus Nummis Imperatorum ſuos deinde Khaliphas procudiſſe, ſive Nummos Imperatorum veteres ſuos tranſtuliſſe ad Emiros. Ante Hegirae annum 76. litteris Graecis, aut Perſicis inſcriptos Nummos apud Mohammedanos fuiſſe, poſtea litteris Arabicis. Cujuſmodi ſunt Nummi 17. Argentei Chriſti anno 1722. in Ora Baltici Maris reperti, editique a Georgio Jacobo Kehro in Monarch. Aſiatico-Sarac. ſtatu in 4. Lipſ. 1724, Hegirae Seculo II. ſcalpti ſub Khalipha *Aharon Raſchid* Bagdadi, Aſpahani, Samarcandae &c. Ejuſmodi ſunt Nummi etiam Arabici in Suecia reperti, Samarcandae, & Schaſchi in Tranxoſania ſcalpti, quorum 30. miſit Berchius Archiviſta Regis Sueciae ad D. De Boze, Khaliphis *Mota del Billak*, *Moktafi-Billak*, *Moktader-Billak* ab Hegirae anno 280.
ad

Digitized by Google

ad 306. inſcripti, in quibus epigraphe *Non eſt Deus*, *niſi Deus* Arabice legitur: in quibus tamen una Hegirae Epocha notata conſpicitur.

XVI. Ad Epochas itaque progrediendo alias, celebris *Arſacidarum*, ſive Parthorum ſe nobis offert Acra, qua de pro ut ordo in Articuli hujuſce fronte propoſitus dicendi poſtulat, nunc agendo, eo ipſo plane, quo ab *Artaxerſe* ſuperatis Parthis, & *Artabano* V. interfecto, nova cum Epocha Perſarum inſtauratum eſt Regnum, anno Parthorum in Aſia Regnum, poſtquam duraſſet annis 270, defeciſſe modo dicebamus, ſi fides adhibenda eſt Agathiae lib.2. p. 64. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T.III. p.46, ejuſque exſcriptoribus Georgio Syncello in Chron. p.359. edit. Pariſ., Ven. p. 286. ſq., ac Suidae Lex. T.I. edit. Kuſteri p.337; (namque locum in mendo cubare, legendumque 470. contendit poſt Baſnagium in Annal. Polit. Eccleſ. T I. p.291. §.1. Corſinius in Diſſert. de Miniſsari, aliorumque Armeniae Regum Nummis, & Arſacidarum Epocha p.22. ſqq.); contra vero Froelichius in Diſsert. de ſimili argumento Par. II. dubio 4. p. 47. ſq. veri putat ſimilius ab Agathia, ipſumque ſequutis Syncello, & Suida Parthicum ab eo incipi tempore, non quo ab *Arſace* fundatum eſt, ſed quo *Antiochus* XIII. *Aſiaticus* ultimus Syriae Rex vivere deſiit: vivere autem deſiit anno 20, poſtquam Syria a *Pompejo* Romanam in Provinciam redacta eſt, anno 64. ante Chriſti natalem; cui detracti anni 20, remanent 44, quibus 44. adjuncti 226, quot annis Parthorum Imperium duravit poſt Chriſti natalem uſque ad *Artabanum* V. Parthorum Regem ultimum ab *Artaxerſe* Perſa debellatum, efficiunt plane annos 270. Vice nunc verſa de Parthorum Regni principio dicendum modo, indeque, quae frequentata primitus Parthis Epocha fuerit, eruenda, elucidandaque. Qua de tamen antequam mihi agendum ſuſcipiam, pauca obiter de *Bactrianorum* Aera, quae eidem, quo *Parthica*, anno plane adfigenda eſt, attingenda ſunt. Atque principio quidem Parthos, Sogdianos, ac Bactrianos Scytharum eſſe ſobolem ignorat nemo in hiſtoria vel nec dum aere lavatus. Auctoribus namque Herodoto lib. 1. capp. 15, 103, & 106, ac lib. 4. capp. 1. & 12, Strabone

lib. 15, Arriano in *Indicis*, & Trogo apud Juſtinum liquido conſtat, Scythas duce *Madya* Indathyrſo Cimeriis loco fugatis in Mediam ingenti multitudine eo ipſo, quo Mediae *Cyaxares*, Judaeae *Joſias*, & Aegypto *Pſammetichus* imperabant, anno Mundi 3364, juxta Uſſerium p. 61. in Annal. Vet. Teſt., anno M. 3316, juxta Hornium de Origin. Gent. Americ. lib. 3. cap. 4. p. 146. ſq., irrupiſse, Bactrianum, ac Parthicum, aut Sogdianum fundaſse Imperium, integroque annorum octo ſupra viginti dumtaxat ſpatio illud tenuiſse, donec a *Cyaxare* ingenti qua internecione deleti, qua praecipitem in fugam ejecti fuere, partim in Patriam regreſſi, partim ad *Halyatem* Lydiae Regem recepti apud Herodotum lib. 1. cap. 73. ſq., & lib. 4. cap. 1. Quo a tempore non alteram ſane, quam quae Medis, Aſsyriiſque communis erat, *Nabonaſſari* Aera uſque ad *Alexandrum M.*, Bactrianis non ſecus, atque Parthis, ac Sogdianis uſu Aeram veniſse; ab *Alexandri M.* vero Regno eamdem deinde, quae Macedonum erat propria, fuiſse uſurpatam non dubium eſt. Atque ab eo, quo ſubinde tempore Parthis, Macedonum imperio quoque partaeſi Graeci, Bactrianam, ac Sogdianam incolentes, defectione ab *Antiocho* II. *Theo* Syriae Rege facta, proprioque ſibi Rege praefecto ſe ſe in libertatem adſeruere, ut eſt apud Strabonem lib. 11. p. 515, exque Trogo refert Juſtinus lib. 41. cap. 4, nova Bactrianis, atque Sogdianis inſtituta Epocha videri, aeſtimarique tam poteſt, quam ex Nummis debet. Ab eo namque tempore Sogdianis, & Bactrianis imperare, Regis etſi abſque titulo, cepit *Euthydemus* I, (a quo nova quidem ineunda Bactriani, atque Sogdiani Regni Epocha Vaillantio viſa eſt; contra a *Theodoto* hanc auſpicandam contendit Bayerus in Hiſt. Regni Graeci Bactrianorum); Graecus origine, cum Regis deinde adpellatione *Theodotus* I, & II, *Euthydemus* II, *Menander* I, a quo Bactrianum, ac Sogdianum imperium uſque ad Indos longe, lateque propagatum traditur a Strabone lib. 11. p. 516, & 519, a Plinio lib. 6. cap. 17, ac Juſtino loc. cit., *Demetrius Eucratides* I, & II, (quorum primo inſignis, Aerae *Bactrianae* anno PH. 108, U.C. 607, Chriſti ante natalem 147. obſignatus, Nummus inſcriptus Βασιλεως Μεγαλου Ευκρατιδου in Petropolitanae Academiae

miae Muſeo habetur); donec a *Mithradate* I. Parthiae Rege anno U. C. 609, aut ſq., ante Chriſti natalem 145, Seleucidarum Aerae 167, aut inſq. ſuperati, Reges habere proprios Bactriani, atque Sogdiani permiſſi quidem ſunt, ſub Parthorum imperio tamen. Quamquam a principio novi Regni Sogdianis, & Bactrianis, utpote origine Graecis, neque uſurpari *Graecorum* Aeram deſtitiſſe veri fiat ſimilius, uſque dum a *Mithradate* ſub jugum miſſi, pro more victorum, *Parthicam* & ipſi uſurpare Bactriani, atque Sogdiani Aeram compulſi ſunt.

XVII. Qua de *Parthica* modoloquendo Epocha, principio varia profecto variis ſub Regibus fata Parthiam ſubjiſſe ignorabit nemo, qui exoticam vel a primo limine ſalutaverit hiſtoriam, ideoque diverſas formas apud Parthos inductas, diverſas perinde uſu Parthis veniſſe Aeras inde conficiet. Atque principio quidem Parthiae, cujus Urbs Arſacidarum Regia *Hecatompylus*, a centum Portis ita dicta, eoque, quo nunc *Aſpahanum*, loco ſita, veluti multis videtur, Plinio lib. 6. cap. 25, & Ptolemaeo lib. 23. cap. 24. nuncupata, non a Graecis utique condita, velut Appiano in *Syriacis* p. 201, & Q. Curtio lib. 6. cap. 2. haud recte dicitur, utquae jam ante *Alexandrum M.* clara erat, Parthiae, inquam, nomine, unde & in *Parſas*, ſive *Perſas*; (ejuſdem namque *Perſiam*, atque *Parthiam* nominis, litterae ſiquidem ת *Thau*, ſive ט *Teth*, ac ס *Samech* inter ſe facile permutabiles ſint, eſſe putat Schickardus in Tharich Perſ. p. 102, cum ipſoque longe pridem Plinius, atque Solinus fecere, velut obſervat Reiskius in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap. 13. p. 553.); in *Parſas*, inquam, ſive *Perſas* in Hyrcania, Ariana, & Margiana, & *Parthenos* in Illyrico, & Macedonia nomen effluxit, teſtibus Strabone, Plinio, Stephano &c., Regio prorſus omnis heic nobis de Temporum rationibus agentibus venit, quae, poſt defectionem a Syro-Macedonibus, ac a Perſis, late, longeque Parthorum Imperium patuit, nempe prout ab Occaſu Atropatiam, ſeu Mediam Atropatenem, Meſopotamiam, Adiabenem, Mediam Rhagianem &c.; a Septentrione Hyrcaniam, Margianam, Derbicem, Sogdianam &c.; a Meridie Parüdem, Ariam Parataceuem, Apavarticenem, Carmaniam, Dran-

Drangianam, Arachoſiam &c.; ab Ortu Choarnem, Bactrianam, Aſtabenem, Mardienem, Paropamiſdam, Arianam, Bubacenem &c. uſque ad Indiam comprehendit. Auctor eſt enim Plinius Hiſt. Nat. lib. 6. cap. 13. Imperio Parthico Regna comprehenſa fuiſſe omnia Rubro Mari, ſive Perſico a Meridie, & Hyrcano, ſive Caſpio a Septentrione, a confiniis Armeniae, & Chaldaeae ab Occaſu, & ad Indum fluvium ab Ortu; atque lib. 6. cap. 25. Regna duo de viginti, quorum undecim ſuperiora, reliqua ſeptem inferiora dicta fuerint, Parthicum fuiſſe complexum Imperium refert. Quamvis octodecim dumtaxat in Parthia dinumeratas fuiſſe Provincias, eaſque Meſopotamiam, Babyloniam, Apolloniatem, Chalonitem, Cambadenem, Mediam ſuperiorem, Mediam Rhagianem, Choarnem, Camiſenem, Hyrcaniam, Aſtabenem, Parthyenem, Apavarticenem, Margianem, Ariam, Anavem, Drangianam, Sacaſenem, Arachoſiam tradit Regionis magis peritus Iſidorus Characenus in Parthicis *Stathmis*; adeundique Salmaſius in Solinum cap. 15, quique poſt veteres, novoſque Geographos de Parthici Imperii dimenſione fuſius agit, diſtinctiuſque Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 20. ſqq. p. 697. ſqq., atque Ludovicus du Four Longuerue in Annal. Arſacid. p. 9. ſq., & 15, ſqq. Antequam attamen proprii fierent juris Parthi, communem illis frequentatam Aeram fuiſſe, qua primo *Nabonaſſari*, priuſquam Aſſyriorum, Perſarumque veterum apud ipſos deficeret Imperium, uſque ad *Alexandrum M.*; qua *Graecorum* perinde, quamdiu ſub jugo Syro-Macedonum uſque ad *Antiochum* II. *Theum*, & *Seleucum* II. *Callinicum* manſere; qua Perſarum denique, poſtquam ideſt in *Saxanidarum* poteſtatem fuere ab *Artaxerſe* tranſplantati, omnem id prorſus extra dubitationis aleam poſitum videri omnino debet.

XVIII. Peculiari tum itaque Parthi uti primo Aera cepere ab eo, quo proprium in Jus ab *Arſace* induſtria, armiſque adſeiti ſunt, anno; de quo tamen non una, eademque opinio Eruditorum eſt. Et ut incipiamus a veteribus, Ammianus Marcellinus lib 23. cap. 6. auctor eſt ab *Arſace*, obſcure genito homine, ſed induſtrio, ſuperato *Nicatore Seleuco*, *Alexan-*

xandri M. ſucceſſore, praeſidiiſque Macedonum pulſis, Parthicum fuiſſe fundatum Imperium; juxta quem ideo cum *Seleucidarum* Aera cepiſſe *Parthicam* conſequens eſt. Oppido ſed enim fallitur Ammianus, nec in rebus antiquis, externiſque multum ipſi fidendum; Temporum namque rationes admodum turbat, Perſonaſque miſcet, dum cum *Seleuco* I. *Nicatore* inſcite confundit *Seleucum* II. *Callinicum* longe poſteriorem; quocum poſtremo res ſane fuit *Arſaci*, eoque praelio ſemel, ac bis deviƈto, Parthico Imperio, Aeraeque factum exordium eſt. Videndus Valeſius in Not. ad Ammianum loc. cit. p. 282. edit. Lugd. Batav. 1693, ubi argumentum hoc haud levi expendit brachio, atque duplicem Imperii *Parthici* Epocham diſtinguendam fore admonet; primam, quae a defeƈtione Parthorum ſub *Antiocho* II. *Theo* deducenda ipſi videtur; poſteriorem vero, ab inſigni viƈtoria, quam de *Seleuco* II. *Callinico*, reportavit *Arſaces*, repetendam vult: quae propria eſt Parthorum, qua de modo loquimur, veriorque Epocha reputanda. Contra Tacitus Hiſt. lib. 5. cap. 8. *Parthicam* Aeram nimio deprimere videtur, quantoque ab Ammiano retrotrahitur, tanto a Tacito retardatur: namque ſub *Antiocho IV. Epiphane* a Seleucidis *Arſacem* deſciviſſe, & a Parthis illum bello petitum ſcribit. Longe pejus lapſus eſt, atque procul abs veritate abfuit Noemus Jacob. Patriarcha Moſulenſis Seculi XV. Scriptor in Chron. Syro apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. II. p. 469. ſqq., a quo, inſigni temporum rationis ignoratione, ac perverſione, *Arſacidarum* in Parthia, ac Perſide Regni exordium in annum confertur *Graecorum* 1375, qui Chriſtiana in Aera cum anno 1064. coincidit, ducto videlicet, Chaldaeorum inſtar, Aerae *Graecae* initio ab anno 311. ante vulgarem Chriſti natalem, uti vice plus ſimplici obſervatum eſt. Tam vero turpis, ac in oculos inſiliens Noemi error iſte eſt, quam ei refellendo oleum, operamque ludam. Ad veritatem itaque propius ex Trogo Pompejo Juſtinus lib. 41. cap. 4. in fine, & cap. 5. ſub initio ſemel, ac bis cum *Seleuco* II. *Callinico* commiſſum ab *Arſace* praelium referens, *Arſacem*, inſigni primo, ac ſecundo viƈtoria de *Seleuco* reportata, Parthos in libertatem adſeruiſſe ſubjungit; neque multo poſt tempore Hyrcaniae quoque

Re-

Regnum occupaſſe; (quo fit perinde, ut & Hyrcanis eadem deinceps *Parthica* uſu frequentari Epocha ceperit, uſque ad annum ſaltem Aerae Chriſtianae 60, U. C. 813, Arſacidarum 315. ineunte, quo Hyrcaniae Reges a Parthis defeciſſe leguntur apud Joſephum de Bello Jud. lib. 7. cap. 27, ac Tacitum in Annal. lib. 14. cap. 23.); atque eam inde diem, veluti ſuae liberationis initium, Parthis ſolemniter obſervatam adfirmat.

XIX. Itaque ex Juſtino, cui paria habent Strabo lib. 11. p. 783, Appianus in *Syriacis* p. 130, & Athenaeus Dipnoſoph. lib. 4. cap. 14. ex Poſidonio lib. 16. p. 153, ex Juſtino, inquam, Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 259, eumque pone ſequuti Vaillantius in Hiſt. Reg. Syr. p. 48, & 62, atque Reiskius in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib. 5. cap. 15. p. 558. ſq., Aeram *Parthicam* incepiſſe anno U. C. 504, ante Chriſti natalem 250, Seleucidarum 63. deducere ſibi viſi ſunt; inde videlicet, quod eodem anno praelio commiſſo, profligatoque *Seleuco*, Parthicum ſibi Regnum *Arſacem* confirmaſſe non dubitant. Ex eodem Juſtino rurſus, a quo duplex cum *Seleuco* II. praelium ab *Arſace* commiſſum commemorari videtur, mutata Vaillantius ſententia, primam de *Seleuco* reportatam ab *Arſace* victoriam anno U. C. 519, Seleucidarum 76, ante Chriſti natalem 235. conſignat, ſecundam vero anno U. C. 525, aut 526, Seleucid. 82, aut 83, ante Chriſtum 229, aut 228; iterumque in Hiſt. Reg. Parthor. p. 2. ab anno U. C. 498, Seleucid. 57. ineunte, ante Chriſtianam Aeram 256. *Parthicam* inchoandam Aeram perſuaſum habuit. Cui pares hac in poſtrema ſententia perinde ſtare non dubitarunt, eodem ipſo freti Juſtini ex Trogo teſtimonio, junctis Arriano in *Parthicis* apud Photium Cod. 58. edit. Schotti p. 51. ſq., & Appiano in *Syriacis* p. 130, Ludovicus du Four Longuerue in Annal. Arſacidarum p. 2. ſq., atque Froelichius, de quo paullo poſt. Ex eodem Juſtino viciſſim cum Calviſius, tum Bayerus in Hiſtoria Regni Graecor. Bactriani Comment. Academ. Petropolitanae T. V., ubi arguit uno tantum praelio ab *Arſace* ſuperatum fuiſſe *Seleucum* II. *Callinicum* Seleucidarum anno 73, qui cum anno 1. Olymp. 135, U. C. 514, ante Chriſti natalem 240. concurrit, indeque *Parthicam*, quam ipſe tertiam adpellat, incepiſſe Aeram contendit.

dit. Bayero favet *Olympionicarum* collectionis Auctor apud Scaligerum, (qui non eſt alter, quam Sealiger ipſemet, a quo partim ex Euſebii, ac Syncelli, partim ex Hiſtoricorum aliorum laciniis conſuta fuit,) in Theſauro Temp. p. 336, a quo Olympiadis 135. initio, eodem ideſt Seleucidarum anno 73, *Parthica* conſignatur Epocha. Verum idem *Olympionicon* Catalogus aliud Aerae *Parthicae* adſignat initium, Olympiadis 133. annum 1, qui in annum Seleucid. 65, ante Chriſtum 248. incidit: quo fit, ut vel duplex ipſi, Scaligero nempe, diſtincta *Parthica* fuerit Aera, vel tanquam Scriptori inepto, ſecummet ipſo Andabatarum more pugnanti, nulla prorſus adhibenda ſit fides. Propius tamen ad Bayeri opinionem Froelichius accedens in Prolegom. ad Annal. Reg. Syriae Par. IV. cap. 5. p 66. ſq. ex Juſtino cenſet ab *Arſace* Seleucidarum anno 74. exeunte, vel ineunte 75, U. C. 515, vel 516, ante Chriſti natalem 239, vel 238, poſtquam *Seleucus* II. *Callinicus* primo ſuperatus praelio fuiſſet, novam cum jam tum firmato ſibi Principatu Aeram, quam ipſe Annal. Syr. p. 30. tertiam, maximeque ſolemnem vocat, fuiſſe inſtitutam. Quod ipſum confirmare magis in Diſſert. de *Minniſari*, aliorumque Armeniae Regum Nummis, & Arſacidarum Epocha Par. II. dubio 5. p. 55. ſqq. ſatagit, atque ſecundam in Parthos adornatam a *Seleuco* II. expeditionem, victoriamque de eo relatam ab *Arſace* in annum U. C. 519, aut inſeq., Seleucid. 76, aut ſeq., ante Chriſtum 235, aut ſuperiorem, a quo tamen *Parthicam* incepiſſe Aeram negat, conferre non ambigit. Qui rurſus in Annal. Syr. p. 26. ex Juſtino loc. cit. propius ad Vaillantii poſteriorem opinionem, *Parthicam*, quam ipſe primam nuncupat, Epocham cum Olympiadis 131. initio, Seleucid. anno 57, U. C. 498, ante Chriſtum 256. copulandam ſtatuit; atque praeterea ad priorem Vaillantii ſententiam appropinquans Annal. Syr. p. 26. ſq. cum Moyſe Choronenſi, & Mircondo Perſa ab altero *Parthicae*, quae ipſi ſecunda dicitur, Epochae cardine adſignando, defigendoque in anno Seleucid. 60, U. C. 501, ante Chriſti natalem 253, haud multum abhorret; quin poſtremo ceteris praeferendam Euſebii, & *Olympionicon* Auctoris Scaligeri nempe, quod ignoraſſe videtur, ſententiam, qua de modo, cum

in Annal. Syr. p.27, tum in Diſſert. cit. de Arſacid. Epocha p.20. ſqq. proculdubio exiſtimat. Poſteriorem Vaillantii, quae neque Froelichio diſplicuit, opinionem de *Parthicae* Aerae cardine ab U. C. anno 498, Chriſti ante natalem 256. repetendo ambabus amplexi ſunt ulnis Maſſonus apud Haymium, ipſeque Haymius Theſ. Britan. edit. Vindob. T.I. p.155. ſqq., & T.II. p.36. ſqq. Sed horum opinionem Epocha in Nummis Arſacidarum obſignata penitus everti infra patebit, velut etiam obſervatum eſt Khellio in Not. ad Haymium loco poſteriori citato.

XX. Euſebius itaque in Chronico S. Hieronymi Oper. T.VIII. edit. Vallarſii p.552, Arrianum pone ſequutus in *Parthicis* apud Photium Cod.58. edit. Schotti p.51. ſq., quos viciſſim ſequuntur Agathias Schol. de Imperio, & rebus geſt. Juſtiniani lib. 2. p.64. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T. III. p.46, ejuſque exſcriptores Syncellus in Chronog. p.284. edit. Pariſ., Ven. p.226, ac Suidas in Lex. edit. Kuſteri T.I. p.337, *Parthicam* Aeram in eumdem, quo ab *Arſace* Parthiae, Perſiaeque pars ſibi vindicata fuit, annum 2. Olymp.133, Seleucid.66, ante Chriſti natalem 247, U. C. 507. conferre videntur. Quae perinde, repudiata Scaligeri, Uſſerianae conformi, ſententia, probata temporis ſupputatio eſt Weſelingio in Not., eodemque loci Vallarſio. Parum & inde abfuere doctiſs. Soc. J. Virorum, par nobile, Petavius Rat. Temp. T. III. in Chron. edit. Ven. p.514, ubi Parthici Regni ab *Arſace* fundati principium anno uno poſterius facit, atque Periodi Jul. anno 4468, qui fuit ante Chriſtum 246, Seleucid.67, U. C. 508, ideoque *Parthicam* item Aeram conſignat; atque Froelichius iterum in cit. Diſſert. de *Minniſari* &c. Num., & Arſacid. Epocha Par. II. dubio 1. ſqq. p.22. ſqq., ubi Euſebii, veluti longe probabiliorem, amplexus opinionem, (cui fuiſſe conformes Agathiam, Syncellum, Suidam &c. contra Corſinium, qui ſuas eos in partes trahere conatus, pro Aerae *Parthicae* initio ſub *Seleuco* II, annoque U. C. 509, ante Chriſtum 245. eoſdem ſtetiſſe contendit, oſtendere pergit, ab eiſque *Parthicam* dubio procul Aeram ſub *Antiocho* II. fuiſſe conſignatam, ideoque eo ferme anno, in quem ab Euſebio conlata fuerat; quin & Euſebio conformem

formem fuiſſe *Olympionicarum* Collectorem (Scaligerum intellige), Olymp. 133. apud Scaligerum loc. cit. pugnat), *Parthicam* Aeram anno uno anteriorem, quam Euſebius, facit, eamdem in annum U. C. 506, Seleucid. 65, ante Chriſti natalem 248. conferens. E converſo Moyſes Choronenſis Armenus genere Seculi V. auctor in Epitome de Origine, & Regibus Armen., & Parthor. lib. 2. cap. 1. ſq. edito cum Stockolmiae anno 1723. cum Notis ab Henrico Brennero, tum Londini anno 1736. cum Verſione Latina a Wiſthonis Fratribus, eumque proxime ſequutus Kondemirus, ſive Mircondus Perſa Scriptor apud Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. ad Period. Julianae 4464. p. 259, Aerae *Parthicae* cardinem anno *Graecorum* 60, qui cum anno U. C. 501, ante Chriſti natalem 253. concurrit, abſque dubio conſtituendum duxere. Quorum opinio, ut jam ſuperius innui, neque omnino reprobanda Froelichio in Annal. Reg. Syr. p. 26, ac pro ſecunda Parthorum Epocha habenda, prout nempe praelium ſecundum cum *Seleuco* II. ab *Arſace* commiſſum hoc ipſo anno conſignatur, viſa eſt; a qua neque procul abfuit De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 7. p. 390, ubi ejuſdem Aerae initium in annum Chriſti ante natalem 254. conferre videtur. Verumtamen aut abs vero enormiter Moyſes, & cum eo Mircondus, aberrâvit, aut ſi commode interpretari utrumque velimus, ſtare utriuſque ſententia omnino nequit. Erravit nempe ab *Alexandri* M. obitu *Graecae* Aerae initium ducens, quod ab eo annis 12. certe diſtat, nec niſi ab anno 312. ante vulgarem Chriſti natalem injit: aut ſi pro *Graeca* uſurpatâ *Philippica* utrique Aera eſt, quae ab *Alexandri* M. obitu revera incepit, ante Chriſtum anno 324, ante Seleucidarum Aeram 12, tum *Graecorum* annus 60, ab *Alexandri* M. obitu 72, fuiſſet U. C. annus 489, ante Chriſti natalem 265: quo ſane *Parthico* nondum fieri locus Imperio potuit, quod nonniſi a defectione Parthorum ſub *Antiocho* II, qui Regnum injit Seleucidarum anno 51, ante Chriſtum 262, U. C. 492; aut potius a Victoria de *Seleuco* II, qui regnare cepit anno Seleucid. 66, U. C. 507, ante Chriſti natalem 247, a Parthis reportata initium ſumpſit. Toto abhinc oſtio abfuit Vir doctiſs. Corſinius in Diſſert. de Minniſari, alio-

 rum.

rumque Armeniae Regum Nummis, & Arſacidarum Epocha, ubi tum ex Minniſari, quem inter Armeniae Reges computat, Nummo numericis obſignato notis ΤΛΓ. anni 333, tum ex Juſtino, Arriano, Strabone, Appiano, Euſebio, Agathia, Syncello &c. Aerae *Parthicae* initium ad annum U. C. 525, ante Chriſti natalem 229, Seleucidarum 84. referendum intento pugnat nervo; propugnareque in Diſſert., qua de Minniſari Regis Nummo, & Arſacidarum Epocha dubiis a Froelichio motis reſpondit, Par. II. dubio 1. ſqq. p. 20. ſqq. pergit. Contra vero Froelichius cit. Diſſert. Par. I. dubio 1. ſqq. p. 5. ſqq. conatur oſtendere certum non eſſe, *Minniſari*, anne *Adinnigai* magis eo in Nummo legendum ſit nomen; etſi *Minniſari* revera ſit Nummus, an Rex is fuerit; etſi Rex, an Rex Armeniae; concluditque veri ſibi longe videri ſimilius Nummum ad Seleucidam potius Regem, quam ad Parthum, vel ad Armenium pertinere; & Par. II. Dubio 1. ſqq. p. 20. ſqq. Scriptores illos perperam a Corſinio partes in ſuas pertrahi oſtendere pergit, neutraque ideo ex parte quidpiam rati fixique Corſinio ſuppetere, ſuffragarique, quo novum ab ſe excogitatum *Parthicae* Aerae exordium proferret. Conferendus etiam Vir Cl. in Num. Reg. Vet. Anecd. p. 35. ſq., ubi Corſinii reſponſis haud ſe perſuaſum fuiſſe confirmat, quin in Nummo Aeneo Cimelii Baronis de Stoſch Florentiae ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ . . . *Adinnigai* revera legendum nomen ſit; etſi cuinam Regi Nummus hic adſcribendus ſit, ignorare ſe ingenue fateatur.

XXI. In tanta itaque, tamque immani Scriptorum de *Parthicae* Aerae cardine, qui aliis ſub *Antiocho* II. *Theo*, velut Arriano, Euſebio, Olympionicon Collectori, Scaligero ideſt, Agathiae, Syncello &c. conſtituendus viſus eſt; aliis ſub *Seleuco* II. *Callinico*, veluti Juſtino, Appiano, Straboni, Athenaeo &c., quos ita duas praecipuas in Claſſes diſtinguendos putamus, diſcordia, non adparet ſane, quo tuto pedem figere, utrique prae altera parti abſque erroris piaculo adſtipulari, quove certum *Parthicae* Aerae filum exordiri fas ſit. Quapropter ad Nummos confugere praeſtat, experirique, ſi inde forte lux adfulgeat aliqua, cujus ope *Parthicae* iſthocce caput Aerae, quod in obſcuro tandiu latuit, detegere, ſi Superis

ris placet, demum liceat. Ad quos tamen antequam ſermo ſe noſter accingat, cum Viris Cll. Vaillantio Hiſt. Reg. Parth., DeGuigneſio Hiſt. gen. Hun. T.I. lib. 7. p. 399. ſq., quammaxime vero ex Doctiſſ. Abbate Ludovico du Four Longuerue in Annal. Arſacidarum optimis ex Auctoribus contextis p. 3. ſqq., Parthorum Regum Catalogus, qui apud Petavium Rat. Temp. T.III. edit. Ven. p. 514. ſq. admodum imperfectus eſt, Hiſtorico-Chronologicus obiter indicandus eſt. Itaque Parthis *Arſaces* I. Regni conditor, primus imperavit, e quo *Arſacidarum* in ceteros Reges deinde nomen derivavit: cui anno 2. Regni, U. C. 500, Seleucid. 59, Arſacid. 3, ante Chriſti natalem 254. interfecto, ſucceſſit ipſius Frater *Tiridates*, dictus etiam *Arſaces*; contra quem anno U.C. 511, ante Chriſtum 243, Seleucid. 69, Arſacid. 15. a *Seleuco* II. *Callinico* primam adornatam fuiſſe expeditionem ex Strabone lib. 11. p. 513. ſqq. arguit Longuerue; ſecundam vero, in qua *Seleuco* devicto, captoque, *Tiridates* Parthicum tam confirmavit, quam in Syriam etiam ampliavit Imperium, anno U.C. 521, ante Chriſti natalem 233, Seleuc. 78, Arſacid. 23. ex Poſidonio lib. 16. apud Athenaeum Deipſ. lib. 4. cap. 14. p. 153. conſignat. *Tiridatem* vita functum anno U. C. 537, ante Chriſtum 217, Seleuc. 96, Arſacid. 39. ineunte excepit filius *Artabanus* I; huncce vero Chriſti anno 197. *Phriapatius*, cui ſucceſſit anno 182. *Phrabates* I, atque iſti Chriſti anno 174. *Mithradates* I, cognomento *Magnus*, a quo U. C. anno 600. circiter, ante Chriſtianam Aeram 154, Seleucid. 158, Arſacid. 102. Mediae, Elymaidis, Perſidis, Meſopotamiae, aliiſque duodecim, queis de ſupra dictum eſt, Regibus ſubactis, Bactrianae item, Sogdianae, Arianae, Drangianae, Syriae imo Regibus devictis, occupatiſque Provinciis, longe, lateque ad Indos uſque amplificatum Imperium fuiſſe referunt Juſtinus, ac Strabo loc. cit. Poſt ipſum Parthis imperavit *Phrabates* II. filius ab anno U. C. 615, ante Chriſtum 139, Seleuc. 173, Arſac. 117. ineunte, a quo perduelles Bactrianos, Perſas, Elymaeos, Characenos, Scythas, ac Syros inſuper perdomitos tradunt Poſidonius Hiſt. lib. 16. apud Athenaeum Deipnoſ. lib. 10. cap. 13, Strabo, & Juſtinus loc. cit. Eum excepit *Artabanus*

II.

II. Chriſti ante natalem anno 128, ſub quo *Eubemerus* tyrannidem in Babylonios, atque Seleucienſes cum Regis titulo uſurpaſſe legitur apud Poſidonium lib. 16. relatum Athenaeo lib. 11. p. 464, Juſtinum lib. 42, ac Diodorum in Excerptis Valeſian. p. 377. Vacuum hujuſce locum implevit ſubinde *Mithradates* II, cognomento & ipſe *Magnus*, ante Chriſti natalem anno 125, a quo Armeniae pars haud modica U. C. anno 659, ante Chriſtum 95, Seleuc. ineunte 217, Arſacid. 161. occupata traditur a Strabone lib. 11. p. 533, & Appiano in Syr. p. 118; quove defuncto anno poſt quinque Parthicum deficere Imperium cepit; adeo ut vix ullius audiant nominis *Mnaskires* ab anno 88, & poſt ipſum *Sinatrobes* ab anno 77. Chriſti ante natalem Luciano in Macrobiis memorati: hujuſce tamen *Sinatrochis* una cum *Arſacis* XI. cognomine, *Arſacidarum* Regum omnium proprio, Nummus in Regis Gall. Cimelio, teſte Viro Doctiſs. Barthelemyo, extat. Donec Parthico imperio priſtinum reſtituere decus receptis, quae diſtractae fuerant, Provinciis, viſus eſt *Phrahates* III, ideo cognominatus *Theos*, ante Chriſti natalem anno 70, Phlegonte teſte in Olympicorum, & Chronicorum Collectione apud Photium Cod. 97. edit. Schotti p. 266. ſq., a quo annis 12. illud retentum eſt, uſque ideſt ad annum U. C. 693, ante Chriſti natalem 61, Seleuc. 251, Arſacid. 195. ineuntem; quo *Mithradates* III. in Regno ſucceſſit, iſti vero Chriſti ante natalem anno 54. *Horodes*, a quo Romano cum Exercitu *Craſſus* inſignem accepit cladem anno U. C. 701, ante Chriſtum 53, Seleuc. 259, Arſac. 203. ineunte, qua de Juſtinus lib. 42, Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 8, Appianus in Syr. p. 120, Plinius lib. 6. cap. 16, Dio lib. 40, Plutarchus in *Craſſo* &c. Huic in Parthico ſuffectus eſt Regno Chriſti ante natalem anno 37. *Phrahates* IV, ſub quo *Moneſe* Parthici Exercitus duce anno U. C. 718, ante Chriſtum 36, Seleuc. 276, Arſacid. 220. inchoante ingenti altera Romanum ſub *M. Antonio* Triumviro Exercitum clade adfectum legere praeſtat apud Dionem lib. 49. p. 406. ſq., Juſtinum loc. cit., Plutarchum in *M. Antonio*, & Horatium Carm. lib. 3. Ode 6.

XXII. Subingreſſi ſubinde ſunt Aerae Chriſtianae anno 4. *Phrahatraces*, anno 5. *Orodes* II, & occupare deinde tentavit

tavit *Tiridates* II, eoque pulſo, *Vonones* I, iſtoque viciſſim ejecto, anno U. C. 768, Aerae Chriſtianae 15, Arſacid. ineunte 270, *Artabanus* III, a quo *Arſacidarum* Dynaſtia II. fundaeſt, ſub eoque *Tiridates* III, ab *Artabano* dein in fugam conjectus, *Cinnamus* etiam *Artabani* loco electus in ordinem ab eodem redactus eſt. Cujus deinde Chriſti anno 43. vacantem occupavit ſedem *Vardanes*, eoque expulſo eodem anno *Gotarzes* ipſius frater, qui altero perraro Numophylacii Gall. Regis in Nummo a Cl. Barthelemyo adquiſito *Arſacis* XX. cognomine inſignitus legitur; quo viciſſim ejecto, *Vardanes* iterum, eoque mortuo, rurſus *Gotarzes*, queis de viciſſitudinibus Tacitus Annal. lib. 11. cap. 8. ſqq., ac Dio lib. 60. p. 670. ſucceſſit *Vonones* II. anno Chriſti 50, ſed eo brevi, ingloriroque perfuncto imperio, ejus filius *Vologeſes* I. eodem anno U. C. 803, Chriſti 50, Arſac. 305. inchoante ſuffectus eſt, cui cum Romanis frequentia fuiſſe, qua praelia, qua foedera patet ex Tacito Annal lib. 13. cap. 6. ſqq., cap. 34. ſqq., lib. 14. cap. 23, lib. 15. cap. 23. ſqq., Hiſt. lib. 2. cap. 82, & lib. 4. cap. 51, ex Svetonio lib. 6. in fin., lib. 8. cap. 6. &c., uſque ad annum U.C. 830. circiter, Chriſtianae Aerae 77, Arſac. ineunte 332. Qui hujus in locum irrepſit, *Artabanus* IV. Imperium obtinuit ab anno Chriſti 90, U. C. 843, Arſacid. 345; poſt quem *Pacborus* anno eodem 90, atque poſt ipſum *Hoſroes* anno 107. in Imperium ſuffectus eſt, contra quem anno U. C. 865, Aerae Chriſtianae 112, Arſac. 367, Parthicam a *Trajano* adornatam expeditionem referunt Dio lib. 68. p. 778, Euſebius in Chron. verſ. S. Hieronymi T. VIII. p. 693 ſqq., & Johannes Malela in Chronog. lib. 11. de Trajani tempor. Hiſt. Byzant. edit. Ven. T. XXIII. p. 114. ſqq. ſua ex Domnino Chronographo mutuatus. *Hoſroe* expulſo, *Partamaſpates* a *Trajano* ſubrogatus eſt, quo viciſſim ejecto *Hoſroes* iterum locum recuperavit. Poſt hunc Parthis imperare cepit ab anno Chriſti 134, U. C. 887, Arſac. 389. circiter *Vologeſes* II, a quo ſub *M. Aurelio*, & *L. Vero* Romanus Exercitus una cum *Severiano* Duce tertio confectus traditur Dioni lib. 71. p. 802, Capitolino in *M. Aurelio* cap. 8, & Callimorpho apud Lucianum de Modo conſcrib. Hiſtoriae p. 356. ſq., viciſſimque a *Lucio Vero* idem victus

ctus memoratur Jamblico de Rebus Rhodanis, & Sinonidis apud Photium Cod. 94. edit. Schotti p. 242, Callimorpho apud Lucianum loc. cit., Dioni lib. 71. p. 802. ſqq., & Capitolino in *L. Vero* cap. 7. ſq. Adverſa ſub *Vologeſis* II. fortuna, ipſius occupavit locum anno Chriſti 165. *Monneſes* filius *Hoſrois*, ſive *Choſrois*, quo anno ſequenti expulſo, regnum *Vologeſes* II. recuperavit. Eum vero excepit filius *Vologeſes* III. Aerae Chriſtianae anno 188, juxta De Guigneſium Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib. 7. p. 400, juxta Longuerue vero in Annal. Arſacid. anno Aerae Chriſtianae 192, U. C. 945, Arſacid. 447. circiter, qui anno Chriſti 201, U. C. 954, Arſac. 456. a *Severo* inſigni adfectus eſt clade, Dione teſte lib. 75. p. 854. Qui poſtremus in Parthia regnavit *Vologeſis* III. filius, *Artabanus* V. ab U. C. anno 967, Aerae Chriſtianae 214, Arſacid. 469, is tandem anno U. C. 979, Chriſti 226, Seleucid. 537. inchoante, Arſac. 481, juxta Agathiam, Syncellum &c.; aut Chriſti 225, Graecor. 542, juxta Abulpharagium; aut U. C. 966, Aerae Chriſtianae 213, Seleuc. 525, ut ex S. Marutha contendit Joſephus Simonius Aſſemanus; aut verius Chriſti anno 223, U. C. 976, Seleuc. 534, velut ex Scriptoribus aliis Syris arguit Stephanus Evodius Aſſemanus, quo de argumento ſuperius affatim, opinor, diſputatum jam eſt, ab *Artaxerſe* Perſa interfectus, Parthis regnandi finem fecit, Regno in Perſas translato.

XXIII. Chronologia Parthorum Regum hacce brevi praemiſſa, Nummariam ad rem inde gradu facto, Nummos profecto Parthorum nomine, Aeraque *Parthica* obſignatos, praeter *Vologeſis*, & *Arſacis*, (*Monneſis*, & *Pharnacis* addidere Nummos Harduinus, & Corſinius), alios extare prorſus ignoro. In Nummis atqui tam *Vologeſis*, quam *Arſacis* nomine inſcriptis Epocham non aliam plane, quam *Graecam* eſſe legendam opinatus Harduinus Num. illuſt. p. 131, quam unam *Seleucidarum* Aeram in Parthiae Nummis, & Arabiae obſervatam confirmare pergit in Chronolog. Vet. Teſt. p. 576, & 613, ex hactenus diſputatis abunde refellitur, quin opus ſit errori apertiſſimo refellendo alia plura congerere, reique manifeſtiſſime per ſe loquenti confirmandae. Jam vero in Nummis

mis *Vologeſis* nomine inſignitis, ac *Parthica* dubio procul Epocha inſcriptis apud Patinum in Svetonium p.202, Haymium in Theſ. Britan. T.I. edit. Vindob. p.155. ſqq., & T. II. p.33. ſqq., Spanhemium p.449, Vaillantium, & Harduinum loc. cit., Longuerue in Annal. Arſacid. p. 50, Corſinium cit. Diſſert. p.31, Froelichium in ſimili diſſert. p. 56, &c. Numericae hae notae conſpiciuntur HMY. 448, ANY. 451, ΔNY. 454, ΞY. 460, AΞY. 461. Quibus profecto notis ſuam de *Parthicae* Aerae cardine in annum U. C. 525, Chriſti ante natalem 229. conferendo everti ſententiam non ſentire nequivit Corſinius, ſi ad *Vologeſem* III, ut communis fert opinio, Nummi referantur. Etenim, ut ex Tabula Chronologica modo probatis ex Scriptoribus contexta liquido patet, *Vologeſis* III. Regnum ultra annum U.C. 967, Chriſtianae Aerae 214, Arſacidarum 469, extendi nequit. Aſt vero in *Vologeſis* Nummis obſignati anni 460, & 461. ducti ab anno U. C. 525, ante vulgarem Chriſti natalem 229, incidunt in annum U.C. 985, aut 986, Aerae Chriſtianae 232, aut 233: quo jamdiu in vivis degere *Vologeſes* III. deſierat. Quamobrem *Vologeſem* IV. proprio de ingenio commentus eſt Vir doctiſſ. cit. diſſert. p.31. ſqq., qui *Artabani* V. frater fuerit, cum ipſoque Parthici Regni partem tenuerit quamdam, ſive potius de Parthico Regno aliquando contenderit: quamvis id potius divinando, conjecturiſque indulgendo Corſinius totum agere videri voluit, ut quod argumentis ſe certo conficere non poſſe non videre Vir acutus non poterat. Verum praeter *Vologeſem* III. Patrem *Artabani* V. Parthorum Regis poſtremi, praeter *Vologeſem* Armeniae Regem *Vologeſi* III. Regi Parthiae aetate ſupparem, qui ab anno U. C. 953, Chriſti 200, Arſacid. 455. Armeniae Regno praefuit uſque ad U.C. annum 969, Chriſti 216, Arſac. 471, quo ei ſuffectus eſt *Tiridates*; huic vero ab *Artabano* V. frater *Arſaces*, atque praeter *Arſacem* hunc Armeniae Regno admotum U. C. anno 975, Chriſti 222, Arſacid. 477, nullibi ſane gentium *Vologeſis* IV, fratris *Artabani* V. occurrit mentio, uti rite Tillemontio Hiſt. Imp. T.III. p.213, & in Chronolog. p.546, Vaillantio in Arſacid. hiſt. p.290. ſq., Longuerue in Annal. Arſacid. p.51. ſqq., Froelichio cit. diſ-

ſert. p. 67. ſqq. obſervatum eſt. Ad haec neque huic *Vologeſi* IV, ſi fuiſſet, adſcribi rite Nummi queunt, ut qui *Artabani* V. frater, ipſique aetate ſuppar annum U. C. 986, Chriſti 233, in opinione Corſinii, attingere nullo potuit modo. Neque vero referri ad *Vologeſem* III. Armeniae Regem Nummos illos poſſe inde liquido patet, quod hujuſce longe brevior vita fuerit, Regnique duratio, quam *Vologeſis* III. Parthiae Regis. Neque demum adſcribi, quò tandem ſe ſe Corſinius recipit, *Arſaci* fratri *Artabani* V, ab iſto Armeniae Regi conſtituto, poſſe mox aliis ex Nummis palam fiet uno *Arſacis* nomine inſcriptis, quos huic Armeniae Regi vindicandos infra ſuſcipio, quorum cum Epocha vix, ac ne vix quidem obſignata in *Vologeſis* Nummis Aera componi poteſt. Reſtat ergo, ut *Vologeſi* III. Parthiae Regi Nummi hi reſtituantur, in quibus Epocha notata optime, modo praejudicata Corſinii opinio faceſſat, cum *Vologeſis* III. aetate, regnoque concordat.

XXIV. De Nummis differendo nunc pro coronide, qui *Arſacis* nomine, tituloque *Regis Regum* inſigniti, numericaque annorum AqY, Φ, & Φn. 491, 500, & 508. nota inſcripti extant apud Vaillantium in Hiſt. Arſac. p. 391. ſqq., Longuerue in Annal. Arſacid. p. 54, Haymium in Theſ. Britan. loc. cit., Corſinium cit. differt. p. 35, Froelichium in ſimilis argum. diſsert. cit. p. 74. &c., quin illi referri percommode queant ad *Artaxerſem* Perſam, nihil prohibere cenſet Froelichius in Diſſert. de *Minniſſari*, aliorumque Arm. Reg. Num. Par. III. Dubio 2. p. 74. ſqq. Ab *Artaxerſe* namque vetus *Arſacis* apud Parthos adeo venerabile, acceptumque nomen fuiſſe retentum, in Nummis ſaltem in Parthia cuſis, perſuaſum habet, argumento ducto e Symmacho, & Sidonio Apollinari, Corſinio etiam laudatis p. 35. ſq., ex Ammiano Marcel. lib. 23. cap. 6, e Mauro Servio ad Aeneid. lib. 12. p. 690. edit. Rob. Stephani, e Suida V. *Arſaces* T. I. edit. Kuſt. p. 337, & S. Iſidoro Origin. lib. 9. cap. 2. apud Perſas Reges *Arſacidarum* pronomine adpellari tam conſuevisse, quam maxime delectatos adfirmantibus; indeque conficit Aeram in Nummis illi obſignatam procul dubio fuiſſe *Parthicam*. Contra vero Corſinius in cit. Diſſert. de Minniſari &c. Num., & Arſacid. Epocha Nummos illos *Arſacis* nomi-

nomine inſcriptos *Parthica* notatos Aera nec *Artaxerſi* Perſae, nec alii cuipiam Perſarum Regi tribui recte poſſe contendit, tum quod Parthorum nomen Perſis odio, exſecrationique quammaxime fuerit, ut proinde ab eo uſurpando Perſae Reges ſummopere abhorruerint; tum quammaxime quod cum *Artabano* V, non IV, uti perpetuo eum vocat Froelichius, ac etiam Fabricius in Bibliogr. Antiq. cap. 7. p. 206, Parthorum Regnum ante annos 491, 500, & 508. defeciſſe ex Scriptoribus ſuo ſupra loco laudatis liquido conſtet, ut proinde ea obſignari *Parthica* Aera Nummi ſive apud Perſas, qui Regnum illud in ſe tranſtulerant, ſive apud Parthos, qui regnandi finem fecerant, nullo quiverint modo. Ad Armeniae Reges itaque, qui *Arſacidas* quoque adpellari delectati ſunt, Nummos illos *Parthica* cum Aera cuſos referendos Corſinius haud dubitat; quumque duorum dumtaxat Armeniae Regum certos, ac ſinceros agnoſcere ſe Nummos *Tigranis*, & *Xerſis* profiteatur, *Tigrani* profecto, qui *Regis Regum* titulo ſuperbiiſſe legitur apud Plutarchum in *Lucullo*, & Appianum in *Syriacis* edit. Henr. Stephani p. 118, Nummos illos adſcribendos, inclinat ut credat. Corſinio quidem in ſententia praeiverat Vir doctiſs. Ludovicus du Four Longuerue in Annal. Arſacid. p. 52. ſqq., Nummos illos ad Regem Armeniae ſpectare & ipſe ratus, ab eo tamen diſſentiens, quod ad *Tigranem* non utique, ſed ad *Arſacem* II. hujuſce nominis Armeniae Regem referendos fore non ambigit. Nempe locuples auctor eſt, liquiduſque Procopius de Aedif. Juſtiniani lib. 3. cap. 1. Hiſt. Byzant. edit. Ven. T. II. p. 427. ſq., *Tiridate* vita functo anno U. C. 975, Aerae Chriſtianae 222, Arſacid. 477. ineunte, ab *Artabano* V. Parthorum Rege *Arſacem* ejus fratrem Armeniae Regno fuiſſe praefectum; ad quem perinde *Artabano* V. interfecto confugiſſe ipſius filios refert Dio lib. 80. p. 918. Ex quo factum, ut poſtquam *Arſacidarum* ita progenies omnis in Armenios translata eſt, *Arſacidarum* titulo Armeniae Reges adhuc ſe nuncupare gloriari pergerent, geſtireque apud laud. Procopium de Bello Perſico lib. 2. cap. 3. Byzant. T. I. p. 285. Itaque *Arſaci* iſthuice Nummos illos fore adſcribendos non dubitat Vir doctiſs.; Ammiano vero Marcellino apud Perſas *Arſacidas* ſo-

los ad Regnum advocari ſolitos ſcribenti, (quod ipſum fere de Servio, Symmacho, Sidonio &c. ferendum judicium); fidem detrahendam prorſus omnem ſubjungit; certum quum ſit, conſtanſque *Arſacidas* in Parthia ſolum, & in Armenia rerum fuiſse potitos; ideoque *Perſarum* nomine Parthos ipſos Scriptoribus illis probe fuiſse intellectos pronum eſt putare.

XXV. Ego vero Longuerue eò libentius adſentior, Froelichio autem p. 83. ſqq. id inficias levi admodum momento eunti refragor, quod ita in *Arſace* II. iſto Armeniae Rege omnia rite quadrant. *Arſacis* namque ſolitarium nomen in Nummis expreſsum, quo uno ſane is potitus legitur; *Regis Regum* praenomen, quod Armenis quoque Regibus proprium fuiſse liquet; Aera *Parthica*, quam ab *Arſace* iſto genere Partho, & *Artabani* V. Parthorum Regis fratre uſurpatam fuiſse, atque in Armeniam tranſductam non dubium eſt; Tempus tandem, quod *Arſaci* probe congruit, quem ad annum Arſacid. 508, Chriſti 252, U. C. 1005. vitam protraxiſse, tenuiſseque Regnum per annos 30. ideſt, quominus potuiſse credamus, nihil prohibet, id totum, inquam, ut *Arſaci* II. iſti Armeniae Regi Nummi tribuantur illi, ſuadet, & adigit. Quod grave tamen opinionis utriuſque patronis faceſsere videtur negotium, duo ſunt Nummi alii, in Regis Gall. Cimelio alter e Cl. Barthelemyo memoratus Corſinio in Diſsert. ad Dubia Froelichii Par. III. dubio I. p. 60. ſq., in quo haec Epigraphe habetur Βασιλεως Βασιλεων Αρσακου Βολαγασου Επιφανους Φιλελληνος, in Area ΔΞΥ. anno 464, ac in imo Απελλαιου Menſis *Apellaei* mentio. Alter vero e Muſeo Vindobonienſi a Khevenhullero, ſive ipſo Froelichio in Reg. Vet. Num. Anecd. p. 65. Tab. II. n. 9. exhibitus in Area Epocham ΚΦ, ideſt anni 520. praefert. Atque hoſce profecto Nummos ad Perſarum Reges *Artaxerſem* I, & *Saporem* I. referendos fore opinatus Froelichius eſt: cum Longuerue vero, atque Corſinio ad Reges Armeniae, quibus *Arſacis* non modo, ſed *Vologeſis* etiam qua retentum, qua uſurpatum fuiſſe nomen auguror, fore reſtituendos ut opiner, dicta ſuperius me ſane movent. *Monneſis* denique nomine, Corſinio memorati, inſcriptos quod attinet Nummos, praeter unum, qui ſub *Phrabate* IV. Parthico Exercitui praefectus,

nuſ-

nuſpiam attamen apud Parthos Rex, inſignem de *M. Antonio*, Romanoque Exercitu anno U.C. 718, ante Chriſti natalem 36, Arſac. 220. victoriam retulit, nullus, ut ſciam, in Parthorum Regum ſerie occurrit alter Regio apud Parthos *Monneſis* titulo inſignitus; a quo idcirco, non ſecus atque a *Pharnace* Harduino in Chron Vet. Teſt. p. 613. inter Parthiae Adiabenicae Reges, quorum uno ſub *Horode* Parthico Exercitui praefectus anno U.C. 705, ante Chriſti natalem 49. *Pharnaces* legitur, perperam computato, ſed Ponti Regibus reſtituendo, atque Numerica ZMΣ. anni 247. nota *Graecorum* Aeram ejus in Nummo obſignatam exiſtimanti, *Pharnacis* utpote nullus hoc nomine Parthos inter Reges hactenus locum habuerit, ſuperſedendum, de *Parthica* ſiquidem Aera diſputatum abunde jam ſit, duco, ad Armenioſque transferendam orationem, ut me jam tempus urget, ſollicitatque.

XXVI. Ad Armenios itaque quod jam attinet, eamdem apud ipſos *Parthicam* uſurpatam fuiſſe Aeram ab ea ſaltem aetate, anno ſcilicet U. C. 975, Chriſtianae Aerae 222, Arſacid. 477, quo ab *Artabano* V. Parthiae Rege frater ipſius *Arſaces* II, hoc Reges inter Armeniae nomine notus, Armeniae Regno praefectus fuerat, ex Nummis, quos probabilius ad *Arſacem* huncce referendos paullo ſuperius dicebamus, *Parthica* obſignatis Aera ſit evidens. Ut jam vero prius in anteriorem aetate, qua uſi Armenii videri potuerint, Epocham, velut ordo poſtulat, inquiſitio rite fiat, obſervare praeſtat in Armenia, quo heic nomine utramque, *Majorem* videlicet, ac *Minorem*, iſtam, quae *Majori* ab Occaſu, & Euphrate adſita eſt, illam, quae a Meridie Tauro, & a Septentrione Caucaſo abſciſſa in Ortum, & ad Caſpium Mare verſus recedit, velut eſt apud Strabonem lib. 11. p. 359. ſqq., Plinium lib. 6. cap. 8. ſqq., Ptolemaeum Geogr. lib. 5. cap. 13, & poſt ipſos Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap. 16. p. 566. ſq., ac Cellarium Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 11. p. 316. ſqq., comprehendi volumus, non aliam ab initio, ac deinceps, quam veterem Aegyptiacam obtinuiſſe linguam, primaevaque ideo origine Aegyptiorum propaginem Armenios fuiſſe, contra Ludovicum Picquetium Doct. Sorbonicum, Armenios prima origine Perſas,

ſas, aut Scythas fuiſſe putantem, contendit Andreas Acoluthus in Epiſt. ad Tenzelium, & ad Picqueſium ipſum apud Longuerue in Adpend. ad Var. Epochas Veter. p. 298. Quare ſi veri ſpeciem haberent conjecturae hae, inde veri fieret etiam ſimile, non alteram olim Armeniis, quam *Aegyptiacam* quoque temporis ſupputandis Aeram fuiſſe uſurpatam. Sed enim ſibi coram ab Acolutho ſententiae, qua cum Aegyptiaca communem habere fundum Armeniam linguam credebat, rationes aliquando Berolini explicitas parum ſatisfeciſſe perhibet Leibnitius in Deſignatione Meditationum de Origine Gentium ex indicio Linguarum ductis Miſcellan. Berolin. T. III. Par. I. p. 4. Et certe nullam, aut nonniſi multo diſtantem Armeniae lingue affinitatem ineſſe cum alterutra ex triplici Linguae Aegyptiacae dialecto, nempe *Sahidica*, quae & Thebaica, *Baharica*, quae & Maritima, & *Bashmurica*, quae & Saithica, quae tres Dialecti hodie dum Coptis uſurpari in Thebaide, ſive parte Aegypti Superiore, in Provincia Maritima, atque Incolis prope oſtium Nili Orientale Bubaſticum, ſive Peluſiacum, hodie Provinciae circa Damiatam, queis de reciprocis Epiſtolis Thomas Eduardus Anglus, & Ludov. Picqueſius Gallus apud Longuerue in Adpend. ad Var. Epochas Veter. p. 286. ſqq., Viri in Linguis hiſce periti jamdiu viderunt. Quamvis vero, quae olim vetus Armeniis uſurpata fuerit lingua, ipſis *Haicana* dicta ab *Hai Arami* filio, a quo progenitos ſe Armenii putant, in obſcuro plane lateat; quae perinde a Movſe Choronenſi Hiſt. Arm. lib. 3. cap. 52. ſq. referuntur, a *Miesrobo* nempe Monacho ſub *Theodoſio Jun.* novos, queis deinceps uti Armenii ceperint, inventos fuiſſe Characteres, fidem haud indubiam faciant, ut qui vera perſaepe falſis permiſcere dignoſcitur; longe denique pejus a Chardino Itiner. T. I. p. 153, a Thevenoto Itin. lib. 2. p. 394, & a Taverniero Itin. T. I. lib. 4. p. 419. peccatum fuerit, velut obſervat Maturinus Veyſſiere la Croze in Hiſt. Chriſt. Arm. lib. 4. p. 329. ſqq., Armeniam linguam annis 700, quin imo litteras Armenias annis 400 antiquiores non eſſe adfirmantibus; quippe quum ab anno Aerae Chriſtianae 412. inſignem Bibliorum Armeniam Verſionem jam extitiſſe conſtet, ad Picqueſii tamen opinionem propius accedens idem

idem Crouzaeus veteris Armeniae linguae veſtigia in lingua veteri Medorum, atque Perſarum, unde parum a Perſica, ſive Meda Armeniam olim diſtaſſe linguam arguit, reperiri Vir linguarum Orientalium, Armeniaeque quammaxime peritiſſimus animadvertit. Ita nempe *Dejocis* Medi Regni conditoris nomen reſpondere voci Armeniae *Dajeak*, qua *Tutor*, ſive *Nutritius* ſignificatur. Ita *Cyaxaris* ultimi Medorum Regis vocabulum, Armeniis dicti *Aſtyagis*, Armene *Deam* indicari, efferrique Armeniis *Aſt-Vades*, ubi loco V. olim *Gamma* Graecum Γ. legi ſolebat. Medis autem, Perſiſque Reges olim *Deorum* loco haberi ſolitos fidem indubiam faciunt Iſocrates in Panegyr., Aeſchylus in Tragoed. Perſar. edit. Stanley p. 236, ejuſdem Scholiaſtes ibid., Ariſtophanes in *Acharnanienſibus*, ubi ad finem verſus vox *Satra* legitur, qua *Magnus Rex* ſignificatur, unde *Satrapae* vocem hactenus Eruditis ignoratam dimanaſſe, eaque *Magni Regis famulum* ſignificari tum etiam ex Ariſtotele lib. de Mundo Vir doctiſs. adnotat. Quò demum patet non alteram olim Armeniis, quam quae affinibus Perſis, atque Medis propria erat, uſu Aeram, una cum litteris, atque lingua veniſſe.

XXVII. Non repugnabo tamen admodum invitus, ſi cui Regum veterum Armeniae Catalogo, (non ei quidem, quem *Valarſacis* I, a fratre *Arſace* Parthorum Rege Armeniae Regis titulo praefecti, juſſu e Chaldaico libro MS. Bibliothecae Ninives Graece reddiſſe fertur *Mariba Catina* genere Aſſyrius, in quo Armeniae Regum Dynaſtia I. a *Schruvano* Titane, & *Apetuſtho* fundata jactatur, fabulaeque ſexcentae permixtae leguntur), bene vero Catalogo illi, qui a Moyſe Choronenſi genere Armenio conſcriptus habetur apud Schroederum in Theſauro Ling. Arm. lib. 1. cap. 4. p. 19, Fourmontium in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 14. p. 282. ſqq., ac De Guigneſium Hiſt. gen. Hun. T. I. lib. 7. in Tab. Chron. p. 428. ſq. adquieſcere adlibeat, ideoque alteram olim Armeniis uſurpatam putandis annis, eamque ſibi propriam, Aeram augurari placeat. Tergeminas nempe in Dynaſtias Armeniae Reges ita diſpeſcuit Auctor hic, ut Dynaſtia I. *Haikanienſium*, ſuo de nomine adpellata, ab *Haiko* filio *Thogormae*, filii *Thirae*,

rae, filii *Gomeri*, filii *Japheti* fundata fuerit, in eaque uſque ad *Arſacem* I. Reges LIII. in Armenia imperaverint. Et imperare certe poſt *Alexandri M.* aetatem perrexiſſe inde liquet, quod anno Chriſti ante natalem 323, aut 322. a *Perdicca* interfecto *Ariarathe* II. Cappadociae Rege, ipſius filius *Ariarathes* III. in Armeniam profugus ab *Ardoato* Rege anno Chriſtianam ante Aeram 301. ſuo reſtitutus eſt Regno. An vero Dynaſtia ſub hacce ſingularis Armeniis adhibita Aera fuerit, definire haud facile eſt; eo vel maxime, quod eodem Moyſe Choronenſi teſte, ab initio ad eam uſque aetatem inhabitata Armenia fuerit a *Chananaeis*, ipſi *Genthuniis* adpellatis; ab *Ardzerunianis*, & *Genumianis*, quos a duobus *Sennacheribi* filiis in Armeniam profugis II. Reg. XIX. 37. fuiſſe proſatos refert; a *Bagratidis*, origine Hebraeis, a *Bagrato*, alio *Sebamba* nomine, in Armeniam a *Nabuchodonozore* ablegato, progenitis; & a *Medis* ſub aetate *Cyri* eò profectis. Quò poſtea inhabitatum adveniſſe *Parthos* ſub Arſacidis; *Amatunienſes* e ſtirpe *Manue* patris *Sampſonis*, genere Hebraeos, ſub *Arſace Magno*; perinde *Arkaviellenſes*, origine Alanos, ſub *Artavaſde* II; quin etiam *Mamcunienſes* genere Sinenſes, e *Mam-com* Sinenſi Principe in Armeniam profugo, genitos perhibet. Dynaſtia Regum II. ab *Artaxia*, & *Zadriade*; Dynaſtia III. vero ab *Arſace* fundata perinde fuit, qua de utraque paullo infra: queis antequam origo fieret, Dynaſtia I. a *Seleuco* I. exterminata, Seleucidis obtemperare deinde Armenii compulſi fuere.

XXVIII. Ex quo itaque Armenii Syro-Macedonum jugum ſubire coacti ſunt, eamdem Syromacedonum Armeniis etiam uſu tandiu Aeram veniſſe, quoadusque proprii juris facti proprios habere Reges incepere, non dubium eſt. Tum vero primum ab *Antiocho* III. *Magno* Armeniae praefectos *Artaxiam*, & *Zadriadem* Aerae Seleucidarum anno 123, ante Chriſti natalem 190, U. C. 564. deficientes, Regio deinceps nomine in Armenia imperare cepiſſe ex Diodoro in Excerpt. Valeſ. p. 290. ſqq., Polybio Legat. 55, Strabone lib. 11. p. 528. ſqq., & Plutarcho in *Lucullo* p. 513. augurari fas eſt. Fama nempe apud hoſce ferebat *Hannibalem*, devicto a Romanis *Antiocho*, contuliſſe ſe ad Armeniae Regem *Artaxiam*, eique

Urbis

Urbis aedificandae, ſuoque de nomine *Artaxatae* nuncupandae auctorem ſe dediſſe: quam utique ab *Artaxia* Urbem, tacito *Hannibalis* nomine, revera conditam teſtimonio confirmat ſuo Stephanus de Urb. edit. Holſt. p.49. *Artaxiae* poſtinde, anno Seleucid. 133, ante Chriſtum 180, U. C. 574, pace in Aſiatico Ponto, & Armenia concluſa, *Majoris* Armeniae Regnum a Romanis confirmatum fuiſſe perhibent loco ſupracit. Polybius, ac Diodorus. *Zadriadi* vero Auſtrina pars Armeniae, quaeque magis ad occaſum vergit, *Minor* videlicet, ſpectaverat, e quo progenitus aeſtimari tam rite poteſt, quam debet *Xerſes* Armoſatae Urbis in Armenia Tigrim inter, & Euphratem mediae Regulus memoratus Polybio in Excerptis Conſtantinianis de Virtut., & Vitiis ex lib.8. p.1380, qui ex Diodoro in Frag. lib.31. p.704, & Appiano in Syr. p. 117, & 131. is videtur Froelichio, qui ab *Artaxia* in Armeniae parte altera, ſive *Majori*, imperante in belli ſocietatem contra *Antiochum* IV. *Epiphanem* adductus, belloque ab *Antiocho* devictus, *Artaxia* capto, Syriae Regi ſe ſe ultro dediderit, ab eoque regnare, ſub Syriae Regum imperio tamen, in Armenia permiſſus fuerit. Verum ab *Antiocho M.*, cujus imo filiam in Uxorem acceperit, regnare Minori in Armenia *Xerſem* hunc fuiſſe permiſſum, verius eiſdem Diodoro, ac Polybio adhibitis teſtibus, oſtendere conatus eſt Corſinius in diſſert. ad Dubia Froelichii de Nummo Minniſſari Regis, & Arſacid. Epocha Par. III. dubio 4. p. 65. ſqq. *Xerſis* porro iſtius Nummum protulit e Regia Gall. Reg. Gaza Dominicus de Boze, apud Froelichium in Diſſert. de Arm. Reg. Num. &c. Par. III. dubio 4. p.91. ſq., & ad Num. Reg. Veter. Anecd. Acceſſione p.64. ſq., in quo *Xerſes* tiara conica, Armeniae Regum inſigni, ut ex Nummis aliis liquet apud Anton. Auguſtinum Dialogo 3. de Num. edit. Rom. p.101, ſive Mitra ornatus inſpicitur, in parte vero adverſa *Victoria* cum littera H; qua ſi annum 8. notatum intelligi quis velit, is plane ab anno Seleucid. 123, quo a Syris *Artaxiam*, & *Zadriadem* defeciſſe modo dicebamus, ductus in Seleucidarum annum 130. incidet, quo forte *Xerſes* Regnum auſpicatus fuerat. Quo plane fiet, tum ut altera a Syro-Macedonica Aera tum adhuc temporis Arme-

niis haud fuiſſe uſurpata videatur; tum ut ſub *Antiocho* IV. *Epiphane*, uti Froelichii fert opinio, regnum *Xerſes* Armoſatae inierit. Quamquam eò feror ego, ut potius credam ea littera haud annum deſignari; ut pote quae, ſi Graecarum Urbium Nummos ſolis perſaepe numericis inſigniri ſolitos litteris excipias, in Nummis Regum alterutra ex litteris, ſive Siglis E, vel Λ adſociata ſemper adparet. Extat & in Muſeo Mediceo rarus Holſtenio, ac Spanhemio viſus Nummus *M. Aurelii* caput laureatum in antica parte referens, in poſtica vero Epigraphem ΑΡΜΟϹΑΤ ΤΗΝΩΝ *Armoſattenorum*: quod argumento eſt *Armoſatam* tum adhuc liberam, & *Autonomam* fuiſſe Urbem, aut proprio Rege, jure, legibuſque adhuc utentem, Romaniſque foedere junctam. Ex eodem *Zadriade* prognatus *Artanes* Sophenes Rex Regni tandem parte faceſsere, totamque relinquere *Tigrani* I. Regi, qui ab *Artaxia* originem trahebat, atque filius *Artavaſdis* I. filii *Artaxiae* I. fuiſſe legitur apud Vaillantium in Hiſt. Arſacid. ſub fin., ac De Guigneſium Hiſt. gen. Hun. T.I. lib.7. p.429, ab iſto vi oppreſsus, Strabone lib.11. p.532. ſqq., & Appiano in Syr. p.118. teſtibus, coactus eſt. *Artaxiae* filium quin imo *Tigranem* hunc facit Moyſes Choronenſis Scriptor Armenius in Origin. Reg. Armen., & Parth. lib.2. cap.13, cui jungendi Joſephus Antiq. lib.13. cap.16, & de Bello Jud. lib. 1. cap.5, Appianus in Mithrad. p.363, Juſtinus lib.40. cap.1., & Plutarchus in *Lucullo* p. 500. ſqq.

XXIX. Quibus auctoribus diſcimus a *Tigrane* I. ſuo de nomine vocatam *Tigranocertam* Urbem, Parthorum lingua *Tigranopolim*, ac demum *Martyropolim* dictam, fuiſse conditam. Diſcimus ab hujus filio homonymo *Tigrane* II. Armeniae Regnum mire amplificatum fuiſse anno circiter U.C. 665, ante Chriſti natalem 89, Seleucid. 223, Arſacid. 167. ineunte, a Parthis ereptas Provincias Armeniae fuiſse adjectas, Mediam, Adiabenem, ac Meſopotamiam vi, armiſque occupatas, quin etiam *Ariobarzanem* a Romanis Cappadociae Regem impoſitum Regno ab ipſo expulſum, atque Euphrate tranſmiſſo in Syriam, ac Phoenicem cum terrore imperium extenſum, donec à *Lucullo* anno U. C. 685, ante Chriſtum 69, Seleuc.

Seleuc. 243, Arſacid. 187. devictus *Tigranes* Syria excedere coactus eſt, atque *Pompejo* faſces perinde tres poſt annos ſubmittere, ab ipſo regnare permiſſus utique, ſub Romanorum poteſtate tamen: qua de re Dio lib. 36. p.25. ſqq., Appianus de Bello Civ. p.251, & Plutarchus in *Pompejo* p.636. ſqq. *Tigranis* hujuſce porro extant Nummi apud Vaillantium, Haymium in Theſ. Britan. T. I. p. 108. ſq., Liebeum, & Froelichium in Num. Antiq. cap.9. p.181. ſq., & in Annal. Reg. Syr. p.115. cum titulo *Regis Regum*, nulla tamen Aera notati; quam tum adhuc haud alteram a Syro-Macedonum Armeniis frequentatam fuiſse ſuſpicari fas eſt. *Tigranem* II. filius excepit *Artavaſdes* II, qui dolo captus a *M. Antonio*, Chriſti ante natalem anno 32, Regno exſpoliatus eſt, eodem in ſuum ex *Cleopatra* filium regno translato; qua de re Dio lib.59. p.415, Livius lib.131, Strabo lib.11. p.524, & 532, Vellejus lib. 2. cap.82, Tacitus Annal. lib.2. cap.3, aliique. Aliis de Regibus Armeniae Majori perinde qua a Parthis Regibus, qua Romanis ab Imperatoribus, prout viribus alternatim praevalerent, admotis dicam infra. Interea Armeniae quoque Minori a *M. Antonio* Regis titulo *Polemon* I. Ponti, ac Boſphori Cimmerii Rex praefectus eſt, cujus extant, cum *M. Antonii* capite, ac nomine inſcalpti Nummi apud Froelichium in Num. Antiq. cap. 10. p.204. ſqq., quo de Rege alibi. A *Julio* Caeſare poſtea, *Pharnace* anno 47. Chriſti ante natalem expulſo, *Ariobarzani* II. Cappadociae Regi contributa Armenia Minor eſt, excluſo *Dejotaro* Galatiae Tetrarcha, cui a Senatu Romano decreta fuerat. *Archelao* deinde, *Ariobarzane* mortuo, Cappadociae ante Regi, Armeniae pars adjudicata fuit.

XXX. Paullo retro nunc flectendo veſtigia, Nummum profecto ſingularem alterum e Cimelio Regis Gall. Dominicus de Boze, & e Muſeo Vindobonienſi Froelichius cit. diſſert. p. 97. ſq. produxit, non *Arſamis* utique nomine inſcriptum, uti quondam eidem Froelichio in Regum Veter. Num. Anecdotis p.13. ſqq. falſo perſuaſum fuerat, ſed *Sami*, ut re diligenter perpenſa, Viro doctiſſ. utrique demum perſpectum fuit, probatumque, cum Numerali nota ΛΓ. anni 33. Atque *Samum* hunc ſane, ſicuti *Xerſem*, de quo ſupra, Armoſatae

Regulum fuiſſe ex ſimili, qua capite tectus conſpicitur tiara ſuſpicatus eſt Bozius. *Arſamem* Regem Armeniae falſo & ipſe credidit cit. Diſſert. p.60. Corſinius. Fuit attamen veteres inter Perſas *Arſames* Rex *Darii* Pater, a quo Urbs condita in Perſide *Arſamopolis* Graecis, Syris *Beth-Arſam*, hoc eſt *Domus*, ſive *Urbs Arſamae* dicta, nomen accepit. E contra Froelichio de Arm. Reg. Num. &c. p.98. ſqq., in Num. Antiq. cap.9. p. 181, & in Acceſſione ad Nummos Vet. Reg. Anecd. p. 63. ſqq. ea inſedit conjectura, ut exiſtimet *Samum* huncce filium *Chryſogoni* fuiſſe Copiarum Ducis *Antiochi* III. *Magni* in Graecia, quo de filio, patreque Polybius Hiſt. lib.5. p.499, 508, & 609, ac in Excerptis Conſtat. de Virtut., & Vit. ex lib.7. p.1371; cui *Samo*, veluti Ducis acceptiſſimi filio, Dynaſtia quaedam ad Euphratem ab *Antiocho* III. *Magno*, vel ab ejuſdem filiorum alterutro *Seleuco* IV. *Philopatore*, vel *Antiocho* IV. *Epiphane* conceſſa fuerit: niſi eam *Samus* ipſe ſibi cum Regis titulo armis, ac vi arrogaverit. A *Samo* vero conditam Urbem *Samoſatam*, ſuoque de nomine ita dictam ſuſpicatur; cujus ideo ab Urbis jactis fundamentis anni 33. totidem Regni Samoſatae initi denotent annos; qui alioquin anni ab eo ducti, quo ab *Artaxia*, & *Zadriade* Armeniae pars utrinque occupata eſt, anno cum his, quae habet Polybius, approbe quadrant. In hanc ipſam a Froelichio raptus pedibus, manibuſque opinionem abiit Vir Cl. Belleyus in Obſervat. gemina ad Nummos Regis Sami Monum. Acad. Pariſ. Inſcrip. T.XXVI. p.355. ſq., & p.380. ſqq. Quo loci praeter binos Muſei Regis Gall. unum, alterumque Cimelii Vindobonienſis, ubi non *Arſamis*, ut olim Froelichio viſum, bene vero *Sami* legendum eſſe nomen & ipſe vidit, tertio e D. Pellerinii Muſeo producto Nummo, cum Epigraphe Βασιλεως Σαμου Θεοσεβους, Και Δικαιου *Regis Sami Deum Colentis*, ſive *Religioſi*, *& Juſti*, Aera ΓΛ anni 33. notato, inde conjecturam & ipſe facit *Samum* hunc in Syriae utique Regione ad Euphratem, ſive in Commagene, ad confinia Armeniae, & Cappadociae regnaſſe, *Samoſatae* nempe, quae de *Samo* ideo dicta fuerit Urbs; non ſecus atque pridem ab *Artaxia* denominata *Artaxiata* fuerat, Strabone teſte lib.11. p.528. *Samum* hunc ita-

itaque Chriſti ante natalem anno 188. circiter vixiſſe cenſet, quo *Antiochus* M. objit, adeout annus 33. Aerae *Samoſatae* fuerit ante Chriſtianam Aeram 155. Caput vero *Sami* radiatum *Solis*, cui dicata Urbs erat, ſymbolum fuiſſe putat.

XXXI. Verum praeter quam quod haec a Froelichio, ac Belleyo divinando potius, quam ullo gravi Veterum documento ſuffultis, dicta ſuapte concidunt, quominus his aſſenſum praebeam, id efficit, tum primo quod Froelichio ipſo fatente, perduellionis ingenti non abſque flagitio, ab *Antiocho* III. *Magno* Armeniae praefecti DuumViri illi *Artaxias*, & *Zadriades*, defectione facta, Armeniam ab ejus obedientia ferme integram abſtraxerunt; ideoque fieri quidem potuit, ut eo ipſo, quo nedum Armenii, ſed Elymaei, Medi, Perſae, finitimique Populi alii paſſim a Syro-Macedonibus deficientes, eorumque excuſſo jugo, proprios ſibi Reges conſtituere certatim adgreſſi ſunt, & idipſum *Samus* auſus fuerit; non etiam, ut Regni partem ipſi *Samo* Syro-Macedones ipſi Reges ſponte facere voluerint. Tum praeterea, quod, velut obſervat Corſinius in Diſſert. ad Froelichii dubia de Minniſari Reg. Nummo, & Arſacid. Epocha Par. III. dubio 4. p. 74. ſqq., (ubi demum & ipſe non *Arſamem*, bene vero *Samum* in Nummis illis eſſe legendum agnovit), *Samus* ille, quo de loquitur Polybius in Excerptis de Virt., & Vit. p. 1331, unus ferme teſtis a Froelichio productus, non in Syria cum *Antiocho* M., ſed magis in Macedonia cum *Philippo* Rege egiſſe, iſque haud Regulus, ſed Poeta magis factus a Polybio videatur. Accedit & illud, quod longe ante *Sami* hujuſce, ſive *Antiochi* M. tempora, aedificata *Samoſata* fuit Urbs, cujus utpote mentio fit ab Artemidoro, ſive ab Eratoſthene, qui Olympiade 126, Chriſti ante natalem anno 276. circiter hominem induit, apud Strabonem, ac Polybium. *Samoſatanae* adhaec Urbis Epocha non alia ſane hactenus Eruditis comperta eſt praeter eam, tum quae ſub Regibus Syriae adhiberi conſuevit; tum quae poſtea Romano adjectis Imperio Samoſatenis ab anno U. C. 823, ut Harduino Num. illuſt. p. 148. viſum eſt, aut verius anno 825, veluti Norilius vult de Epochis Syro-Maced. diſsert. 2. cap. 4. p. 145. ſq.,

uſur-

uſurpari cepit; qua de ſuo fuſius infra loco. *Samoſata* videlicet Regia Urbs Commagenes fuit, ut id obiter dicam, Strabone lib.16. p.749, Joſepho de Bello Jud. lib.7. cap. 28, Plinio lib.5. cap.24, & Stephano de Urbibus edit. Holſt. p.281. ſq. referentibus, ex quo ampliſſimum olim Seleucidarum Imperium ad anguſtum iſtud Commagenes Regnum coarctatum fuit, redactumque anno U. C. 690, ante Chriſtum 64: quo *Antiocho* XIII. Commagenes a *Pompejo* conceſsa eſt, Dione teſte in Frag. lib.35. Quae *Antiochi* Succeſsoribus, *Mithradati* I, qui *M. Antonio* foedere conjunctus fuit; *Antiocho* II, qui perinde *Auguſti* juſſu Romae Chriſti anno 29. interemptus eſt; *Mithradati* II, cui Regnum ab *Auguſto* in Syria demoranti, Chriſti anno 20. confirmatum eſt; de quibus Dio lib.49, 52, & 54; *Antiocho* III, quo defuncto Chriſti anno 17, Commagenes in Provinciam a *Tiberio* redacta eſt, teſtibus Tacito Annal. lib.2. cap.42, ac Strabone lib.16. p.749, integra perinde manſit. Suis deinde poſt *Tiberium* Regibus denuo permiſſa eſt; atque a *Cajo Caligula* quidem *Antiocho* IV, tertii filio, confirmata eſt, Tacito Annal. lib.12. cap. 55, anno U. C. 790, Chriſti 37, Dione teſte lib. 59, adjecta Ciliciae parte ad Mare; quae paullo poſt ab eodem *Caligula* eidem adempta, rurſus a *Claudio* anno U. C. 794, Chriſti 41. reſtituta eſt, Dione lib. 60. referente; a *Nerone* vero anno U. C. 813, Chriſti 60. eidem *Antiocho* IV. confirmata, Armeniae quin etiam parte Commagene finitimae adaucta, teſtibus Joſepho Antiq. lib.18. cap.7, lib.19. cap.4., & Tacito Annal. lib.14. cap.26; donec tandem in Provinciam iterum a *Veſpaſiano* anno U. C. 825, Chriſti 72, quo ipſi a Legionibus in Oriente delatum Imperium fuerat, anno quarto, redacta eſt, Joſepho de Bello Jud. lib.7. cap.27, Tacito Hiſt. lib.2., Svetonio in *Veſpaſiano* cap.4., Eutropio lib.7, & Victore in Epitome teſtibus. Nummi porro Regibus hiſce Commagenes *Antiocho*, ac *Mithradati* ſcalpti extant apud Harduinum, Vaillantium Imp. Graec., Spanhemium Tab. I. fol.582, Seguinum in Select. Num. p.402, Froelichium in Num. Antiq. cap.10. p.215. ſq., Haymium Theſ. Britan. T. I. p.113. ſqq., ibique Maſsonum Animad. in Nummos Reg. Commag.

mag. p.116. ſqq., ſed ulla abſque Numerali Aerae nota. Quibus omnibus; aut ego valdequam fallor, *Samoſatae*, non ſecus ac *Commagene*, non alios ſane ante Reges, quam Seleucidas regnaſse docemur, deinque Romanos, ideoque non aliam, quam quae Syris prius, atque Romanis poſtea fuit propria, Epocham ibidem adhiberi conſueviſse.

XXXII. Nummi ſane extant *Samoſatae* cuſi apud Ligonium, Erizum, Sirmondum, Holſtenium, Cellarium, Harduinum, Noriſium &c. cum *Deae Syriae* capite turrito, atque Roman. Imperatorum Epigraphe inſculpti, ſed de his ſuo infra opportuniori loco. Accedit & illud, quo haud leviter Froelichii, ac Belleyi opinio labefactatur, quod *Artaxiae* Regni pridem occupati pars a Romanis deinde confirmata legitur quidem apud Diodorum, ac Polybium, non etiam *Samo* alicubi, cui ſane aliquando, cum Seleucidis, aut cum Parthis, aut cum Romanis alioqui negotium fuiſſe neceſſe fuiſſet, ſi prope Euphratem Regnum is occupaſſet. Junge illud, quod Polybio in utriuſque Armeniae partibus Reguli memorati leguntur, non etiam ad partes Euphratis aliquis; Joſepho etiam Antiq. lib.20. cap.1. cum *Antiocho* Commagene, ac *Polemone* Rege Ponti commemorati leguntur *Sampſiceramus* Emeſae, & *Cotys* Armeniae *Minoris* Phylarchi, non alter quoque ad Euphratem; ut proinde *Samus* iſte, Tacito, Joſepho, Polybio &c. ignoratus, longius ab Euphrate regnaſſe putari debeat, utpote cui neque cum Parthis, neque cum Syro-Macedonibus, neque cum Romanis rem aliquando fuiſſe ullibi adpareat. Quid vero, quod ſi conjecturis indulgere liceat, ut de *Samo Mercurii* filio, de quo Scholiaſtes Apollonii Argonaut. lib.1, & Dionyſius Halic. cap.1, nihil huc ingeram, unde *Samothraciae* nomen adhaeſiſſe tradit Ariſtoteles apud Scholiaſtem Apollonii lib.1.cit. verſ.916, quo de videndi Suidas etiam in Lex. T.III. p.280, & Stephanus de Urbib. p.280. ſq.; neque de *Samo* vetuſtiſſimo *Ancaei*, & *Samiae* filio, Pauſaniae in *Achaicis*, ſive lib.7. cap.4.edit.Lipſ. Kuhnii p.530. memorato nihil ingeram; nihil de *Samo* Lacedaemonum Claſſi olim praefecto, tempore *Cyri* Perſarum Regis, de quo Diodorus lib. 14. p.349. ſq.; nihil de *Samo*; vel *Sambo* Indorum Rege apud Q. Curtium lib.9. cap.8;

cap.8.; nihil de *Samo* Pugili, cui poſitam in Elide ſtatuam refert Pauſanias in *Eliacis*, ſive lib.6. cap.2. p.456; nihil de *Same Chabadis* Regis Perſarum filio, & *Choſrois* fratre, de quo Procopius de Bello Perſ. lib.1. cap.23. p.66. edit. Pariſ., Ven. p.267; ſi conjecturis indulgere fas eſt, ad *Samum* Tyrannum olim Agrigenti in Sicilia referri commode Nummus ille poſſet. Fuit *Samus* hic porro in Agrigenti Tyrannorum ſerie e *Cadmi* ſtirpe octavus, *Theraſii*, qui e Lacedaemone anno poſt excidium Trojanum 155, ante Chriſti natalem 1129. in *Calliſthem* Inſulam ſecedens, eòque Colonia ducta Phoenicum, uti ſcribit Herodotus lib. 4. cap. 147, Inſulae ſuo de nomine *Therae* deinceps nuncupationem indidit, *Theraſii*, inquam, filius: qui *Samus*, juxta computum ex Pindari Scholiaſte Olymp.2. p.22. ſqq., ex Pauſania in *Laconicis*, ſive lib.3. cap.15. p.245. ſq., & in *Achaicis*, ſive lib.7. cap.2. p.524, ac Strabone lib.8. p.333. initum a Viro doctiſs. Frereto Defenſ. Vet. Chron. adv. Newtonum Par.I. ſect.3, p.77. ſqq., anno circiter ante Chriſtum 1100. regnare cepiſſe videtur. Huic itaque tribui *Samo* Nummus ille poſſet, ita ut nota anni 33. ſit aut Regni ab eodem initi, aut a *Theraſii* Patris adventu in *Theram* Inſulam. Cui tamen conjecturae id obeſt, tum quod Nummi fabrica recentior longe ſit, quam ut ad tantam referri temporis antiquitatem queat; tum quod & capitis tiara, ſive pileo gemmato tecti effigies, & Epigraphe *Regis Deum Colentis*, *ac Juſti*, ſub Seleucidis uſurpari dumtaxat cepta, prohibent, quominus ad Siculum hicce Tyrannum referri Nummus poſſit.

XXXIII. In ea itaque opinione verſatur D. de Boze in Conjecturis de eodem Graeco *Sami* Regis Nummo eodem Monum. Acad. Inſcrip. T.XXVI. p.365. ſqq., ut putet *Samum* hunc alium non eſſe, quam *Soemum*, ſive *Soaimum*, ſive *Saimum* Emeſae Regem, Joſepho de Bello Jud. lib.7. cap.7. memoratum, ac Dioni ſub *Neronis* regno. Ita etiam *Julia Soemias* mater *Elagabali* nata Emeſae cum filio in Nummis *Soemia*, *Soamia*, Σαιμια, & Σαμια dicta legitur: queis in Nummis *Elagabalo* ſcalptis Emeſae *Solis* etiam caput, ut in *Sami* Nummo, radiatum viſitur. *Soemi* porro, ſive *Sami* familiam

in

in Ituraea primum regnare cepiſſe ex Dione lib. 59. p.649. obſervat, ubi *Soemo* Arabicae Ituraeae Regnum a *Caligula* ex Senatuſconſulto fuiſſe conlatum refert. *Soemo* I. filius *Soemus* II. ſucceſſit, filius alter *Tbolomaeus* Tetrarcha fuit Libani, Joſepho teſte de Vita ſua: qui *Soemus* II. obiit Aerae Chriſtianae anno 38; eique *Soemus* III. ſucceſſit, Joſepho Antiq. lib. 20. cap.4. memoratus. Duos is reliquit filios *Aziſum*, atque *Soemum*; priori Uxorem dediſſe ſororem *Druſillam* Junior *Agrippa* fertur apud Joſephum Antiq.lib.20.cap.5; eidemque *Nero*, (Ituritide Romanam in Provinciam redacta), Regnum dedit Emeſae, poſt *Sampſiecerami* II. obitum, adjecta Sophene Armeniae; mortuo vero *Aziſo*, idem Regnum ab eodem *Nerone* datum *Soemo* IV. fratri eſt. Igitur anno 33, in *Sami* Nummo deſignari novam Emeſae initam Aeram Bozius exiſtimat, ubi Chriſti anno 49, U. C. 802. regnare *Aziſus* cepit, ideoque ad *Soemum* IV. referendum Nummum eſſe. Ut ut haec veri quammaximam praeferant ſpeciem, attamen, ut de *Soemo* adhuc altero, cui ab *Herode* partis cujuſdam Judaeae dominium conferri procuraſſe *Mariamnes* ipſius Uxor legitur apud Joſephum Antiq.lib.15. cap.11, nihil heic regeram; neque de *Soaemo*, filio *Achaemenidis*, poſt obitum patris, Armeniae Rege Chriſti anno 161. facto; quem a *Vologeſe* II. Parthiae Rege regno deturbatum a *Lucio Vero* Chriſti anno 164. reſtitutum tradit Jamblicus in Dramatico apud Photium Cod.94. p.242; cuique ſane commode is referri Nummus poſſet; neque de *Sobemo*, cujus ac *Ptolemaei* filii in Libano Reguli, qui ab Emeſae Regulis, queis de modo dictum, haud diverſi fuere, non ſecus atque *Jamblici* filii *Sampſicerami* in Antilibano Phylarchi mentio fit a Joſepho Antiq. lib. 14. cap.13. ſq., Dione lib.50, & 54, ac Cicerone Famil. lib. 15.epiſt. 1, & ad Atticum lib. 2. epiſt. 16, verba faciam; ſicuti *Soaemiae*, aut *Somajae* nomine Syris *Urania*, ſive *Venus* ſignificatur, ſic *Sames* Hebraeis, Syris, Phoenicibus, & Arabibus *Solis* eſt nomen; unde ad Sinas etiam *Cames*, ad Aitanos *Zemes* a Phoenicum Idolo *Chemos*, ideſt *Sole* forte derivatum, putare facile, ac pronum eſt, unde primitus Hebraice שֶׁמֶשׁ *Schaemaeſch*, & שִׁמְשָׁא *Schamſcha*, Arabice *Samſa*, Perſice *Schid*, ideſt *Sol*, indeque *Beth-Sames*,

hoc eſt *Domus Solis*, ac Βαισαμψα *Baeſampſa* in Arabia *Solis Urbs* dicta Stephano de Urbib. p.62, *Bel-Sames*, id eſt *Caeli Dominus*, *Sol* Phyloni Byblio, & *Beli-Sama*, videlicet *Caeli Domina*, *Luna*, ſeu *Urania* in veteri Saxo apud Conſeranos in Novempopulania reperto, qua de *Solis* nomenclatione Bochartus Geogr. Sacr. lib.1. cap.42. Par. I. T. II. p.663. Hinc à Σάμψη, ac Σάμψα efformati Σαμψῖται apud SS. Epiphanium Haer.53, & Joh. Damaſcenum Oper. T. I. edit. Lequien. p.88; ubi de *Sampſaeis* a cultu *Solis* ita dictis, in Peraea domicilium habentibus. Ideo fieri potuit, ut *Sol* ipſe Rex, ſive Urbis cujuſpiam *Genius*, cujuſmodi moris erat in Urbium Nummis *Genios*, ſive *Tutelares* inſculpi, aut Urbs ipſa quaepiam *Soli* mancipata, ſive in loco ſublimi collocata, Graecis enim veteribus Σάμον *Sublimis locus* vocabatur teſte Porphyrogeneta de Themat. lib.1. Them.16. Byzant. edit. Ven. T. XXII. p.14, in Nummo illo exhibeatur. Eo vel maxime, quod ut Froelichius ipſemet vidit a D. de Boze monitus, in Nummo *Sami* Regis Cimeliarchii Regii Pariſ., *Apollinis*, ſive *Phoebi* caput in parte antica coronatum, in poſtica vero *Victoriae* figura conſpicitur; quum in Vindobonienſi in parte anteriori caput mitra, ſive tiara ornatum adpareat, in poſteriori vero tres colligatae *Sagittae* conſpiciantur. Tres extant tandem Urbes *Zamae*, ſive *Samae* nomine, a *Samo* Rege forte derivato, nuncupatae, una in Africa Numidarum Regum olim Regia, Polybio lib.15. cap.5, Livio lib.30. cap.29, Salluſtio cap.57, Hirtio Afric. Bell. cap.91, Plinio lib.5. cap.4, & S. Auguſtino lib.7. cap.17. memorata, cujus etiam cum titulo *Coloniae Aeliae Hadrianae Aug. Zamae Regiae* extat inſcriptio apud Gruterum p.364; altera in Cappadocia Ptolemaeo lib.5. cap.6, & Straboni lib.12. p.370. recenſita; tertia denique in Arabia, de qua Plinius lib.6. cap.28, quarum in alterutra Urbium regnaſſe *Samum*, indeque Urbi nomen inditum fuiſſe, veri ſit ſimile.

XXXIV. Ut ut ſit denique, hocce ex *Sami* Nummo nullo erui modo poteſt Armeniis praeter unam Seleucidarum, alteram uſu olim Aeram veniſſe, quae nullis in aliis Regum Armeniae Nummis adparet. Quod ut adpareat magis, ac magis, Armeniae Regum texenda ceterorum eſt Chronologia.

Ira-

Itaque qui in Regno Armeniae *Tigranem* II. proxime excepit anno circiter U. C. 694, ante Chriſtianam Aeram 60, Seleucid. 252, Arſacid. 196, ipſius filius *Artabaſdes* I, poſt anno U. C. 720, ante Chriſtum 34, Seleuc. 278, Arſac. 222. a *M. Antonio* captus, Regnoque ſpoliatus eſt, Dione lib. 49, & Joſepho Antiq. lib. 15. cap. 5. teſtibus; eidemque in Regno ſuffectus *Alexander* ſui, & *Cleopatrae* filius cum *Regis Regum* veteri Armeniorum ambitioſo titulo, adjectaque Media, ac Parthia, quam ſubigere *M. Antonius* meditabatur, uti liquet etiam ex Nummis *M. Antonii*, & *Cleopatrae* in Aegypto cuſis cum Epigraphe *Armenia Capta*, ſuperboque *Cleopatrae Reginae Regum* titulo apud Harduinum p. 697, & Vaillantium in Hiſt. Lagidar., & Aegypto Numiſm. Parthorum ope tamen paternum Armeniae Regnum paullo poſt, anno videlicet U. C. 723, ante Chriſti natalem 31. *Artabaſdis* filius, *Artaxias* II, cum Mediae Regno, Rege Medo *Artavaſde* devicto, captoque, recuperavit. *Artaxia* interfecto, Armeniis Rex ab *Auguſto* datus ejus frater *Tigranes* III, anno U. C. 734, ante Chriſtum 20. a *Tiberio* in Regnum immiſſus eſt, Dione lib. 54, & Tacito lib. 2. teſtibus. Cui dein exauctorato *Artaxiae* filius *Artabaſdes* II. ab eodem *Auguſto* ſubrogatus eſt, veluti tradunt Tacitus, & Vellejus lib. 2. cap. 94. Verum *Artabaſde* II. regno exacto, a Parthis *Tigranis* III. filius *Tigranes* IV. ante Chriſti natalem anno 3, U. C. 751, Seleucid. 310, Arſacid. 254. in Regnum Armeniae reſtitutus eſt, Tacito lib. 2. ſub initio teſte. A *Cajo* Caeſare *Auguſti* filio deinde U. C. anno 755, Aerae Chriſtianae 2. *Ariobarzanes* Medus Armeniae Rex creatus eſt; quo paullo poſt fortuita morte abſumpto, atque *Vonone* Partho, ideſt *Phrabatis* IV. Parthorum olim Regis filio, ab Armenia occupanda prohibito cum a Romanis, tum ab *Artabano* III, ab hoc *Horodes* filius Armeniae impoſitus eſt anno Chriſti 17, U. C. 770, qua de re Joſephus Antiq. lib. 18. cap. 3. Verum a *Germanico* anno ſequenti *Horode* expulſo, in Urbe Artaxata Rex Armeniae conſtitutus eſt *Zeno Polemonis* Regis Ponti filius, quo de Svetonius lib. 4. cap. 1, & Tacitus lib. 2. capp. 56, & 58; viciſſimque, *Germanico* morte praerepto, vitaque functo *Zenone*, ab *Artabano* Regno Armeniae filius *Arſaces* I.

 U.C.

U. C. anno 787, Chriſtianae Aerae 34. admotus eſt. Sed enim *Artabano* e Parthia expulſo, Rex Armeniis a *Tiberio* anno Chriſti 35, U. C. 788. datus eſt *Mithradates* I, filius *Mithradatis* Iberiae Regis, & *Pharaſmanis* Regis frater, Dione referente lib. 58. p. 638; cui ſubinde confirmatum a *Claudio* Regnum eſt, eodem Dione teſte lib. 60. p. 670. A *Vologeſe* I. deinde anno Chriſti 51, U. C. 804. tam frater *Pacorus* Mediae, quam *Tiridates* I. filius Armeniae Reges creati ſunt, Joſepho referente Antiq. lib. 20. cap. 2; fruſtra tamen *Tiridatem* in Regnum deducere tentavit *Vologeſes*, Tacito lib. 12. cap. 50. teſte: namque tum bellum a Romanis *Vologeſi* imminebat; tum *Rhadamiſtus*, *Pharaſmanis* Iberi filius, Patruo *Mithradate* interfecto, Regnum invadere nitebatur: qua de re plura Baſnagius Annal. Polit. Eccleſ. T. I. p. 620. ſq. Verum *Tiridate*, & *Rhadamiſto* repulſis, a *Corbulone* Romani Exercitus in Oriente duce Armeniae Rex anno Chriſti 60, U. C. 813. datus eſt *Tigranes* V, nobili *Herodiadarum* ſanguine procreatus, quo de Tacitus lib. 14. cap. 23. Paullo inde poſt attamen a *Nerone* *Tiridates* anno U. C. 819, Chriſtianae Aerae 66. Armeniae Regnum recepit, ut habent Plinius lib. 6. cap. 8, Dio lib. 63. p. 718, Tacitus lib. 15. cap. 23. ſqq., ac Svetonius lib. 6. cap. 13. *Tiridatem* excepit filius *Exedares*, qui anno Chriſti 112, U. C. 865. a *Choſroe*, ſive *Hoſrhoe* Parthiae Rege Armeniae Regno excedere, cedereque illud *Parthamaſiri*, *Pacori* fratris ſui Parthiae olim Regis filio, compulſus eſt. Aſt enim a *Trajano* Parthis anno U. C. 867, Chriſti 114. domitis, ac ſubactis, expulſoque *Parthamaſire*, Romanam in Provinciam Armenia erecta eſt, uti refert Dio in Fragm. lib. 68. p. 779. ſqq., ex ipſoque Xiphilinus in Epitome. Armeniis tamen ſubinde Regem habere permiſit *Hadrianus* anno U. C. 871, Chriſti 118, Spartiano teſte in Hadriano cap. 4. ſq., deditque *Parthamaſpatem*, genere Arſacidam Regis Armeniae, (*Exedaris* opinor), filium, uti refert Joh. Malela in Chronog. lib. 11. edit. Ven. p. 115. ſq.; ubi fallitur oppido *Parthemaſpatem*, ut ipſe nuncupat *Oſdrois* filium, iſthunc Armeniae Regem, qui fuit Parthiae, faciens, atque a *Trajano* Armeniae Regno admotum, qui fuit ab *Hadriano*, fuiſſe adfirmans. Hujuſce vacuum ſubinde locum implevit

plevit filius *Achaemenes* Chriſtianae Aerae anno 139, U. C. 892. teſte Jamblico in Dramatico de Rhodane, & Sinonide apud Photium Cod. 94 edit. Schotti p. 242; eoque defuncto filius *Sobaemus* anno Chriſti 161, U. C. 914, Armeniae Regno deturbatus a *Vologeſe* II. Parthiae Rege, ſed a *Lucio Vero* Regno, *Vologeſe* victo, anno U. C. 917, Chriſti 164. reſtitutus eſt, teſte Jamblico loc. cit., teſtaturque Nummus apud Harduinum in Hiſt. Auguſta p. 780. Oper. Select., in quo *L. Vero Coſ. II. Rex Armenis datus* legitur. Succeſſit filius *Sanatrucus*, ut ex Suida in Lex. edit. Kuſt. T. II. p. 281. colligitur: quo defuncto, *Tiridates* II. anno Aerae Chriſtianae 216, U. C. 969. ab Armeniis electus Rex eſt, eique, diademate miſſo, confirmatum anno ſequenti a *Macrino* Regnum eſt, de quo Dio lib. 78. p. 887, & Capitolinus in vita Macrini. *Tiridate* mortuo, ab *Artabano* V. Parthorum Rege poſtremo anno Chriſti 222, U. C. 975. Armeniae Rex ipſius frater *Arſaces* II. impoſitus eſt, quo de Procopius de Aedif. Juſtin. lib. 3. cap. 1; ſub quo Arſacidarum progeniem omnem e Parthia ab *Artaxerſe* Perſa ſubacta in Armeniam fuiſſe translatam jam palam fecimus, liquetque plane ex Alloqutione Legatorum Armeniorum ad *Choſroem* Perſarum Regem apud Procopium de Bello Perſico lib. 2. cap. 3. Hiſt. Byzant. edit. Pariſ. T. I. p. 93. ſq., Ven. p. 285. ſq.

XXXV. Jam vero *Arſaci* ſucceſſit anno Chriſti 252 circiter, U. C. 1005. *Artabaſdes* III; iſtique *Arſaces* III. filius; quem poſt excepit *Tiridates* III, iſque uterque tam Romanis arcte foedere junctus fuit, quam Chriſtiana fide imbutus; cui amplificandae totum incubuiſſe ab anno Chriſti 300. circiter, U. C. 1054, auctores ſunt liquidi Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 9. cap. 8. de Armenia Chriſtianam ad fidem eo regnante fere tota converſa, ac Sozomenus lib. 2. cap. 8. de propagata *Tiridatis* opera per Armeniam Religione Chriſtiana; quos pone ſequuntur Galanus in Conciliat. Eccleſ. Arm. cum Rom., Lequiennius Orient. Chriſt. T. I. p. 419, ac 1356, Le Brun Hiſt. Eccl. Arm. T. III. Liturg. p. 6. ſqq., Aſſemanus in Diſſert. de Syris Neſtor. cap. 1. Bibl. Orient. T. IV. p. 365. ſq., Hottingerus etiam Hiſt. Eccl. Par. I. p. 163, Joh. Joachimus Schroederus in Diſſert.

ſert. Theſauro Ling. Armeñ. praemiſſa p.21, 149. ſq., & Moſhemius Hiſt. Eccl. Inſt. Antiq. Seculo IV. Par. I. cap. 1. §. 19. p. 150. *Tiridatem* proxime filius ſequutus eſt *Arſaces* IV. circa annum Chriſti 360, U. C. 1113, atque *Conſtantio* Imp., quoad vixit, ſocietate, amicitiaque conjunctiſſimus manſit. Quo a *Sapore* Perſarum Rege anno Chriſti 368, U. C. 1121. aut interfecto, uti refert Ammianus Marcel. lib. 27. cap. 12, aut in captivitate uſque ad obitum detento, veluti tradit Procopius de Bello Perſ. lib. 1. cap. 5. edit. Pariſ. p. 15. ſqq., Ven. p. 232. ſqq., Armenia ſub Perſarum jugum poſita eſt. A *Valente* deinde adjutus tamen Arſacis filius *Paras*, turbas inter varias, & tempeſtates etſi jactatus, anno Chriſti 370. circiter, U. C. 1123. patrium, avitumque Regnum auſpicatus eſt. Poſt annos 3. *Para* interfecto, Regnum occupavit ipſius frater *Arſaces* V, uti refert Procopius de Aedif. Juſtin. lib. 3. cap. 1. p. 52. edit. Pariſ., Ven. p. 427; qui prope moriturus geminos filios *Tigranem* VI, & *Arſacem* VI. Regni ſucceſſores, heredeſque teſtamento ſcripſit. Quia vero Regnum utrique haud partitus aequaliter fuiſſet; ſed *Tigrani* portionem addixiſſet quadruplo majorem, de injuria *Theodoſium* II. Imperatorem poſtulavit *Arſaces*. A *Theodoſio* autem ſibi metuens *Tigranes* ſe Perſis, (*Jezdegerde* I. e Dynaſtia *Saxanidarum* tum imperante), una cum Regno dedidit. A Fratre viciſſim, ac Perſis vim, inſidiaſque ſibi timens *Arſaces*, *Theodoſio* Regno ceſſit; qua de re Procopius de Bello Perſ. lib. 2. cap. 3. p. 93. edit. Pariſ., Ven. p. 285, ac de Aedif. Juſtin. lib. 3. cap. 1. p. 52. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 427. ſq. Contigit id anno Chriſti 412. circiter, U. C. 1165, Arſac. 676: quo a tempore Armeniae parti, qua Graecis Imp. parebat, gubernandae *Comes* a *Theodoſio* II. conſtitutus eſt; poſt a *Juſtiniano* Armeniae *Majori* Militiae *Magiſter* datus eſt; *Minori* regundae *Satrapae* Armenii ſeptem praefecti, veluti refert Procopius loc. cit., videnduſque Spanhemius ad Orat. I. Juliani p. 160. Extant in Cod. Theod. lib. 8. Tit. I. de *Re Militari* Lex 15. anno 396, & Tit. V. de *Curſu Publico* Lex 57. anno 397. ab *Arcadio*, & *Honorio* datae ad *Remiſtheum* Armeniae *Ducem*; queis in Armenia cum Milites privatorum obſequiis vacare, tum Curſum publicum uſurpari per Armeniam vetitum eſt, ſolis Legatis Gentium Armeniae finitima-

timarum ad Imperatores proficiſcentibus exceptis. Videndus Gothofredus in Comment. ad haſce Leges Cod. Theod. edit. Lipſ. T.II. p.283. ſq., & 585.ſq. Patet inde partem Armeniae, quae Romano obnoxia erat Imperio, a *Ducibus* eo tempore adminiſtrari conſueviſſe: quorum loco deinde ex Armeniis ipſis delecti a *Juſtiniano* in Armenia *Majori* quidem *Magiſter* Militum, *Satrapae* in *Minori* ſuffecti ſunt. Ab eodem *Juſtiniano* etiam Armenias quatuor diviſas fuiſſe, ſinguliſque Epiſcopatus attributos ſuos ex Novella 31, ac ex Notitiis Antiquis notum eſt, qua de re Cujacius Obſerv. lib. 15. cap. 29, & Fabricius Salut. Luc. Evang. cap.38. p.643. Seculo VII. vero ineunte pactis a *Mauritio* Imp. cum *Choſrhoe* Perſarum Rege conventis, Armenia partita, qui ex Armeniis Graeco Imp. obnoxii facti ſunt, tum primo in Armenia *Minori* Patriarcham *Siſi*, quae Ciliciae Urbs eſt, ſibi conſtituiſſe leguntur in Narratione de Rebus Armen. apud Combefiſium Auct. Bibl. PP.T.II.p.282. ſqq., Lequiennium Orien. Chriſt. T.I. p.419, Schroederum in Theſ. Ling. Arm. p.149.ſq., Simonium Hiſt. Crit. Chriſt. Orient. p.217. ſq. &c. Seculo XII. ſq. denique a Graecis Armeniae Superioris parte Sarracenis erepta, *Gagiko* nobili Armenio Provincia donata fuit, a quo *Siſum* Armeniae *Minoris* facta Metropolis eſt. Hunc excepit filius *Robinus*, hunc frater *Leo* I; cui ſucceſſit gener *Hayto* I, iſtique filius *Leo* II, qui anno Chriſti 1243. a Rom. Pontifice *Innocentio* IV. Regio inſignitus diademate eſt. Hujuſce *Leonis* Armeniae Regis Nummus extat inſignis apud Triſtanum p. 588. ſq., Cuperum in Not. ad Lactantium de Mort. Perſecut., & Crozaeum in Praefat. Dict. Armen., & Hiſt. Chriſt. Armen. p.340. in antica parte Armene inſcriptus: *Thagavor Thagavoratz Hajotz*, ideſt *Leo Rex Regum Armeniae*; in poſtica vero Arabice ſcalptus: *Doreb Niſcb in Mobr Aſſ'Oltam Alazàn Gajatz Addonia Vaddin Caichos Rou Ben Caickobad*, hoc eſt *Percuſſum eſt Signum Sigilli Regis Maximi Auxilii Mundi, & Religionis Caichoſrhoes filii Caickobad*: qui *Caichoſrhoes* II. hujuſce nominis fuit, in ſerie Sultanorum X. Dynaſtiae III. *Selgiucidarum Roum*, ideſt *Graecorum*, qui nempe in Graecia, ſive Natolia, ſeu Aſia *Minori* regnare cepere ab Hegirae anno 480. uſque

ex *Arſacidis* praefectus eſt ipſius filius cum primum *Horodes*, tum perinde *Arſaces* I. hoc inter Reges Armeniae nomine, per annos 395, ideſt ab anno Chriſtianae Aerae 17. uſque ad annum 412, quo *Arſacidarum* ſtirps in Armenia regnare deſiit, unam Parthis communem *Arſacidarum* Epocham apud Armenios integram manſiſſe inde conſequitur: quam imo tam Medis, quam Iberis, quoadusque regnandi in Armenia Romanos per Imperatores fas & ipſis fuit, uſu pro temporis, locique ratione veniſſe aeſtimandum eſt, Iberes eadem ſub aetate ſuos habuiſſe Reges, quales *Arthoces* Floro lib. 3. cap. 5. memoratus; *Gurgenes* Procopio de Bello Perſ. lib. 1. cap. 12. edit. Pariſ. p. 33, Ven. p. 244, atque Photio Cod. 63. p. 70; *Baccurius* Ruffino lib. 10. cap. 10, Socrati lib. 1. cap. 20, ac Theophani in Chron. p. 19. edit. Pariſ., Ven. p. 15; *Spandiates*, atque *Symbatius*, aliique recenſiti Conſtantino Porphyrogenetae de Adminiſt. Imperio Par. II. cap. 45. ſq. apud Bandurium Imp. Orient. T. I. Byzant. T. XXII. edit. Ven. p. 98. ſqq., haud dubium eſt: qui primo Armeniis, poſtinde Graecis, poſtremo Regibus Ponti obnoxii, quae iis accepta erat, Epocham viciſſim & ipſi uſurpaſſe mihi videntur. 3.° In Armenia qua parte demum Perſae dominari cepere, *Perſicam* inductam deinceps Aeram fuiſſe, qua *Melicaeam* a *Gelaleddino* inſtitutam, de qua dictum; qua *Mogolenſem* ab *Hulacho*; qua *Tartaricam* ab *Haſano*; qua *Hegirae* ab anno 1515, quo Armenia a *Selimo* Turca ſubacta eſt, de queis dicendum infra, indubium mihi eſt. Qua vero parte Chriſtianis Imperatoribus Armenia obnoxia facta eſt, & qua ad Chriſtianae fidei cultores in Armenia pertinet, Aeram primum Armeniis uſurpatam fuiſſe, quae Graecis, & quammaxime Cappadocibus erat communis, inde erui videtur, quod quum primus Eccleſiae Armeniae Epiſcopus *S. Gregorius Illuminator* datus fuerit a *Leontio* Caeſareenſi Metropolita, tum etiam alii ab eodem *Leontio* in Armenia Epiſcopi fuerint conſtituti, ſubque Caeſareenſi Exarchatu Armenia manſerit, veluti ex S. Baſilii Epiſt. 183, & 187, arguere licet, quinimo liquido conſtat ex S. Nicone Armenio contra Errores Armen. apud Beveregium in Not. ad Can. 56. Trullan., Baronium ad annum 863. n. 45, Balſamonem Pandect. Can. T. II. p. 158, & Coteleri um

lerium in Not. ad Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 23, videndique Tillemontius in Not. ad S. Baſilium edit. Bruxell. T. IX. Par. I. p. 180, Blondellus de Primatu p. 656. ſq., & Le Brun differt. in Liturg. Arm. T. III. edit. Ven. p. 6. ſq. Poſtquam vero Monophyſitarum haereſi a *Nierſe* Armeniae Patriarcha in hacce ſerie poſt *S. Gregorium Illuminatorem* vigeſimo primo infectis Armeniis, tum a Caeſareenſi, tum a Catholica Eccleſia ſeceſſione facta, eaque Haereſis tam in Pſeudo Synodo decem Epiſcoporum in Urbe *Thevin* anno 535. ab eodem *Nierſe* Aſcdarachenſi habita, velut ex Epiſtola Photii ad Zachariam Armen. Patriarcham, de qua Pagius etiam ad an. 535. n. 13, arguere fas eſt, quam in Pſeudo-Synodo altera in eadem *Thevin* Urbe anno 551. celebrata, ut ex Chronico Armenio conſtat apud Galanum in Concil. Eccl. Arm. cum. Rom. lib. 1. capp. 10, & 17, confirmata eſt, peculiaris tum primum Armeniis uſu Aera venire cepit, ducto initio ab eodem ipſo, quo ſecunda Pſeudo-Synodus illa habita eſt, anno Chriſtianae videlicet Aerae 551, Feria 3, die 9. Julii, *Nabonaſſaraeae* inſtar, etſi deinde annum a die 1. Januarii inchoare Armeniis ſolemne evaſerit: qua de *Armenia* Aera videndi Viri doctiſſ. Alſtedius in Theſ. Chron. p. 40, Calviſius Iſag. Chron. p. 105, etſi duumviris hiſce Aerae hujus *Armeniae* cardo in annum ſq. 552. conferre allibuerit, Petrus Le Brun loc. cit. p. 7. ſq., qui ad ſuper. annum 551. Aeram retrahendam verius exiſtimat, Aſſemanus, de quo mox, aliique. Conſtat id vero, ut de Monumentis aliis multis non loquar apud Auctorem Perpetuit. Fidei, ex Liturgia Armenia, Armenioque Breviario Conſtantinopoli Typis expreſſis: iſtud enim impreſſum legitur anno Chriſti 1702, *Armeniorum* 1151, illa vero edita Chriſti anno 1706, *Armeniorum* 1155. Namque annis 1151. additi 551. efficiunt 1702, ac 1155. adjectis 551. fient 1706. Videndi Petrus Le Brun Liturg. Arm. T. III. p. 24, & Aſſemanus Bibl. Orient. T. III. p. 645. ſqq., ubi praeter Liturgiam, ac Breviarium, ab Armeniis Conſtantinopoli Typis evulgatos exhibet Libros tres alios *Sciaragnus*, hoc eſt *Cantus*, & *Antiphonas* per totum annum Conſtantinopoli anno Chriſti 1710, *Armeniorum* 1159; *Giamachirch*, ideſt *Horologium* per totum annum Conſtantinopoli anno Chri-
ſti

ſti 1712, *Armeniorum* 1161; & *Donazuiz*, hoc eſt *Ordo* perpetuus indicans Officium, Lectiones, & Feſta per totum annum Conſtantinopoli anno Chriſti 1706, *Armeniorum* 1155. Jam vero *Armeniorum* annis 1159, aut 1161, aut 1155. adjecti anni 551. efficiunt annos Chriſti 1710, aut 1712, aut 1706. Atque de his hactenus.

Partis I. Tomus IV.

EXPLICIT.

Digitized by Google

I N D E X
RERUM MEMORABILIUM.

A

AEgypti Reges *Alexandri* M. Succeſſores, qui fuerint, quo ab anno regnare in Aegypto ceperint, quot ſinguli regnaverint annos, quove demum anno ipſorum Regno in Aegypto finis impoſitus a Romais fuerit: quibus profecto de Aegypti Epochis non una quidem Eruditorum opinio eſt, quae tamen veteribus e Monumentis probabilior fieri videtur, nobis deligitur, operoſeque exponitur p. 165. ſqq., & 167. ſqq. Itaque ab *Alexandro* M. uſque ad *Auguſti* Imperii annum I. ab Aera *Aegyptiaca*, Chriſti ante natalem 29. anni 294, aut 296. nobis effluxiſſe videntur p. 168. ſq. Vide-ſis VV. *Graeci*, & *Perſae Reges*.

Aera in Chronico Samaritano Annorum 2794. a *Diluvio* notata ita diſpoſita eſt, ut per 7. diviſa annos *Sabbathicos* det, atque diviſa per 49. *Jubilaeos* det annos, veluti ſcite obſervatum eſt Vendelino, ac DeVignolio. Eo in Chronico tamen *Joſue* annus I, & ab Aegypto *Exitus* annis 28. anticipantur, ut eidem DeVignolio animadverſum eſt p. 73. Veteri apud Judaeos viciſſim a Creatione *Mundi* ad vulgarem Chriſti D. natalem annorum 3760. facta Aera poſt abrogata, nova in *Herodis* gratiam, capto ab Aerae *Judaicae* anno 3724. exordio, vulgarem ante *Chriſtianam* Epocham anno 36, inſtituta a Judaeis Aera legitur: quae ſane *Dionyſiano*, ſive *Victorino* ex Cycto annorum 532. per 7. multiplicato efformata DeVignolio videtur. p. 79.

Aera Seleucidarum ab *Alexandri M.* obitu anno 12, Periodi Julianae 4402, Chriſti ante natalem 312. incipit: quo ipſo *Seleucus* I. *Nicator*, unde Aerae nomen inditum eſt, anno ſcilicet Imperium in Aſſyria Babylone auſpicatus eſt. Quae ſane Aera Hebraeis, Parthis, Edeſſenis, Syris, Arabibus, dicta *Contractuum* Aera, ſive *TariK DhilKarnaim*, hoc eſt *Aera Cornigeri gemini*, Antiochenis, Damaſcenis, Apamenſibus, Emiſenis, Laodicenis, Tyriis, Sidoniis, Tripolitis &c. uſu perinde veniſſe legitur, ejuſdem auſpicio a *Thiſri*, ſive Septembri, ſicuti Scriptori lib. 2. Macchab., a *Nizan* vero, ſive Martio lib. 1. Macchab. Scriptore eamdem auſpicante, deducto p. 157. ſq. Hancce vero Aeram haud recte Syncellus annis 12. anticipaſſe legitur, a Goaro ideo juſte reprehenſus p. 159. Aera nova tamen ab *Autonomia* Judaeis ſub *Simone* Pontifice ſubinde a *De-*

metrio

metrio II. Syriae Rege conceſſa, & a Romanis deinde confirmata, in Syngraphis, atque Nummis apud Judaeos ſcalptis, ab Aerae Seleucidarum anno 170., U. C. 611., Chriſti ante natalem 143, *Simonis* Pontificis I. adhiberi cepit p.161. Alteram perinde Judaeis Aeram ſub *Herode*, ab anno Mundi 3724. exordio ducto, prioris loco Aerae 3760. ſufficere adlibuit p.202.

Aera ab *Orbe* condito ad vulgarem Chriſti *Natalem* apud Graecos admiſſa, tergemina diſtingui ſolet, ut alia ſcilicet *Antiochena* ſit, *Panodoro* Monacho auctore, quae annis 5493. conſtat; *Alexandrina* alia, *Aethiopica* etiam, aut *Aegyptiaca* dicta, quae annos 5501. complectitur; alia *Conſtantinopolitana*, dicta etiam *Romana*, quae ex annis 5508. coaleſcit p.219. ſqq. Ex prima, & ſecunda poſtea a Graecis una, eademque dumtaxat effecta Aera eſt p.223. ſqq. Sed & *Dionyſiana* ipſa a Graecis annis 8, aut 7. decurtata fuiſſe a Pagio demonſtratur p.226. ſqq. Ex *Antiochena* porro Aera, junctis annis 15. *Indictionis*, Aera efformata *Conſtantinopolitana* eſt: ex qua perinde annis 16. abjectis, *Antiochena* rurſus eſt reficta p.229. ſqq. Atque tergeminis ex hiſce demum Aeris una *Graeco-Romana* Pagio efformata Aera eſt p.231. ſqq.

Aera nec una, nec eadem ſemper uſu Hebraeis venit, alia ſed aliis, & una modo, modo altera p.297. ſq. Namque frequentata jamdiu, hodieque dum Aera *Mundana* ipſis eſt, eaque duplex, *Major*, in qua Millenarii exprimuntur numeri, ac *Minor*, in qua numeri reticentur Millenarii: qui ſubintelligi tamen debent; in eaque a *Mundi* exordio ad vulgarem Chriſti *Natalem* anni 3760. computantur p.300. ſqq. Praeter hanc autem, Aerae in Kalendariis aliae frequentari Judaeis ſolent, queis de tamen haud probe inter Verpos ipſos convenit p.302. ſqq. Sed & inter Verpos annorum de Computis aliis diſpares admodum opiniones vigent p.305. ſqq. Nova altera poſtea ſub *Herode* eo, quo ab ipſo capta *Hieroſolyma* eſt, anno inſtituta a Judaeis Aera eſt annorum 3724.; cujuſce duplex inſtitutionis adducitur ratio p.307. Duplex adhaec Judaeis, & utraque illuſtris adhibita Aera legitur alia, ab *Autonomia* una nempe, altera ab Urbis *Hieroſolimae* reaedificatione. Quo vero ab anno prior illa *Autonomiae* repeti Epocha debeat, multis inquiritur p. 308. ſqq., & 311. ſqq.

Aera ſane apud Hebraeos ab *Autonomia* olim ipſis a Syriae Rege *Demetrio* II. *Nicatore* indulta ſub *Simone* Macchabeo legitur: quo tamen ab anno inita fuerit, queiſve publicis in Actis, Nummiſque expreſſa fuerit litteris, non adeo liquet p.341. ſqq. Aerae longe plures aliae putandis annis Palaeſtinae, Galilaeae, ac Samariae Incolis uſu perinde veniſſe leguntur p. 344. ſqq. Atque novas inter haſce profecto Aeras inſtitutas fuiſſe conſtat *Aeliae Capitolinae*, ita de *Hadriani* reſtauratoris praenomine dictae *Hieroſolimae* (perperam cum Urbe *Capitoliade* ab Harduino, & a Froe-

Froelichio confuſae, atque perperam ab *Aelia* diſtinctae a Carolo a S. Paulo); ab eaque ſane, quo illò Colonia inlata fuit, anno U. C. 889, Chriſti 136. nova inducta Aera iſta videtur p.346. ſq. *Capitoliadis* ab U. C. anno 846. p. 348. ſqq. *Hieroſolymae* altera ab *Auguſtorum* Imperii anno *Novo Sacro*, non vero a *Novi Templi* aedificio ab *Herode* inſtaurati deducta p.351. ſq. Cujuſmodi Epochas a novi *Auguſti* Imperii anno *Novo*, & *Sacro* ducendi morem apud Syros, & Aegyptios viguiſſe conſtat p.352. Altera *Hieroſolymae* ab eo, quo Urbs ab *Herode* capta eſt, anno *Judaico* 3724., Chriſti ante natalem 36, Epocha, qua de ſupra, obtinuit p.352. ſq.

Aera perinde nova ab *Eleutheria*, vel *Autonomia* ipſis indulta vel a *Gabinio*, aut a *Pompejo*, inſignes Palaeſtinae Urbes aliae fuiſſe leguntur in hiſque *Eleutheropolis*, vetus *Gerara*, (ubi altera dein Aera ab U. C. anno 954. obtinuit), *Gadara*, *Hippus*, *Scythopolis*, *Pella*, *Gaba* &c., atque in Samaria *Gaza*, *Joppe*, *Raphia*, *Dora*, *Caeſarea* &c. p.353. ſqq. *Nicopolis*, *Hiericus*, *Ramatha* &c. p.355. ſq. Eodem *Autonomiae*, ſeu *Eleutheriae* honore a *Julio* Caeſare, vel ab *Auguſto* illuſtratae Urbes in Galilaea aliae novam adhibere inde Aeram cepiſſe leguntur; velut *Acco*, deinde *Ptolemais* adpellata: cujuſmodi Aera eadem quoque fuit *Laodiceae* ad Mare, *Botrys*, *Raphaneae*, in Paphlagonia *Sinopis*, ac in Phoenice *Tripolis* p.356. ſq. *Gaba* item in *Galilaea*, de *Claudii* nomine deinde *Claudia* dicta p.358. ſq. *Tiberias* ab anno 3. *Tiberii* novam in ejus honorem uſurpaſſe Aeram videtur p.359. ſq. *Diocaeſaraeae* vero triplex ſub *Herode*, ſub *Domitiano*, & ſub *Hadriano* obtinuiſſe Aera in Nummis adparet p. 360. ſq. *Paneade* adhaec, ac *Juliade* nova ſub *Tiberio*, alteraque ſub *Claudio*, tertiaque ſub *Nerone* inducta Aera videtur p.363. ſqq.

Aera multigeni Samaritanis generis ad putandos annos uſurpata legitur p.368. ſqq. Praecipuae vero, quae uſu Samaritanis venerint, Epochae ipſorum Chronico inſertae ſunt. Cujuſce de Chronici Scriptore, Aetate, auctoritateque multis abunde diſputatur p. 387. ſqq. Epochae quoque eo in Chronico conſignatae exhibentur, atque notis illuſtrantur, & caſtigantur p.391. ſqq. Ex his praecipua *Ridhat*, ac *Rodovan* una eſt, ideſt *Gratiae*, ac *Dei Protectionis* adpellata, qua in Palaeſtinam *Ingreſſus* anno Mundi 2794, hoc eſt annis 308. tardius, quam ab Hebraeis, conſignatus legitur; altera, qua *Mundi* a Creatione ad vulgarem *Chriſti* natalem anni 4425. computantur: etſi Samaritanis aliis computatos annos 4440. fuiſſe conſtet p.389, 393. ſq., & 399. ſqq. Aera porro *Gratiae* ipſis finiit anno Mundi 3054, Chriſti ante natalem 1371, quo Schiſma inter ipſos, ac Judaeos factum eſt: a quo nova deinceps ipſis uſu Epocha venit p.394. ſq.; ubi de aliis perinde apud ipſos Aeris fit ſermo. Inter Urbes jam vero Samariae Aera inſignitas prima occurrit ipſa *Samaria*, poſt-

poſtinde *Sebaſte* dicta, ubi ab *Urbe* condita, ab *Autonomia* Urbi indulta, ab *Urbe* ipſa reaedificata, ac Urbi rurſus *Autonomia* reſtituta Aera uſurpata videtur p.401. ſqq.

Aera pariter illuſtres fuere in Samaria Urbes aliae, inter quas *Sichar*, ſive *Sichem*, Urbs olim *Refugii*, cujuſve de nomine varia refertur etymologia, variaque, quae varia ſub aetate ſubiit, fata exponuntur, dictaque *Neapolis* deinde, triplici uſa legitur Epocha, ab *Urbe* reſtituta ſub *Veſpaſiano*, a Jure *Civitatis* Urbi a *Caracalla* redintegrato, & a *Neocoria* eidem Urbi a *Philippo* indulta p.406. ſqq. *Turris* etiam *Stratonis*, deinde *Caeſarea* dicta, nova, nec una celebris Epocha evaſit, ab eo ducta anno, quo ab *Heróde* condita eſt: quo loci haud unus Joſephi error Chronologicus emendatur p.409 ſqq.; altera ab eo, quo ad *Actium* victoria ab *Auguſto* relata de *M. Antonino* eſt; tertia ab eo, quo una cum aliis Palaeſtinae Urbibus *Autonomia* donata a *Pompejo* fuit; quarta ab eo, quo a *Veſpaſiano* facta Colonia eſt, anno p.411. ſqq. *Caeſareae* porro nomine Urbes aliae pleraeque, eaedemque peculiari etiam inſignitae Epocha leguntur p.416. ſq.

Aera quoque nova, nec una *Scythopoli* in Palaeſtina, cujus etiam Urbis etymologia obiter explicatur, *Bethſan* olim adpellata, cum ab *Autonomia* obtenta a *Pompejo* ducta, tum deinde *Caeſariana* adhibita eſt p. 4 7. ſqq. *Dorae* itidem, cujuſce de fatis ibidem agitur, Epocha, ab *Autonomia*, quam & ipſi *Pompejus* indulſit, dudum inducta eſt p.419. ſq. *Dioſpoli* etiam, (quo plures alibi nomine Urbes celebratae ſunt, a *Jove* ſic adpellatae), Aera ab eo, quo vel a *Domitiano* reſtaurata Urbs fuit, anno, vel ab eo verius, quo *Septimius Severus* Imperium adiit, cardine ducta, obſervari cepit p.420. ſqq. Ita & *Ramathae* nova obtinuit Aera ab eo, quo *Autonomia* donata fuit, anno U.C. 650, 691, & 707. auſpicata p. 422. ſq. Qua ſane ab *Autonomia* novam Urbes aliae pleraeque alibi Epocham inſtituiſſe leguntur p. 423. ſq. Vide-ſis V. V. *Autonomia*, *Eleuteria*, & *Ateleja*.

Aera *Chaldaica*, a Babylone ideſt condita, diverſimode a diverſis, majori, minorique definita temporis ſpatio, inita, ſtatutaque legitur p. 425. ſqq. Juxta diverſa vero, quae Babylonicum Imperium ſubiit, fata diverſae ſane figendae Epochae videntur: nempe ab Urbe fundata a *Nimbrodo*, ab Imperio a *Nino* amplificato, a *Sardanapali* obitu ſub quo in Medos, Babylonios, & Aſſyrios diſpertitum Imperium eſt p. 432. ſqq. Quarta ab eo, quo ab *Aſſarhadone* capta Babylone, Aſſyrium inſtauratum fuit Imperium, anno deducenda Aera eſt; alteraque ab eo, quo a *Cyro* Babylonicum, & Aſſyrium ad Perſas tranſlatum fuit Imperium p. 434. ſqq. Prae hiſce tamen longe celebrior fuit *Nabonaſſari* Aera, Chaldaeis, Aegyptiis, *Syris* &c. diu obſervata, de qua, ejuſdemque Auctore *Nabonaſſaro*, ac initio fuſe, ut oportet, agitur: ubi quoque num in *Theonis* Canone Regio Aſtronomico duplex Aera diſtinguenda ſit,

Na-

Nabonaſſaraea una, alteraque *Aegyptiaca*, diſquiritur p. 437. ſq. Annos porro *Julianae* Periodi, Aeraeque *Chriſtianae* reperiendi in Aera *Nabonaſſari*, viceque verſa hos in illis methodus denique traditur p. 439. ſqq.

Aera Babyloniis, Chaldaeis, Aſſyriis, Medis, Aramaeis &c. uſu poſt *Nabonaſſaraeam* altera venit *Nabuchodonozoraea*, qua de agitur p. 443. ſq. Altera ſubinde *Nabollaſſaraea* inducta eſt p. 444. ſq. *Alexandraea* perinde, atque *Seleucida* poſtea, ab eo nempe incepta anno, tum quo primo ab *Alexandro M.*, tum quo poſt a *Seleuco* initum Babylone Imperium eſt p. 445. ſq. *Seleucida* tamen iſta poſterior Aera a Chaldaeis anno uno diminuta adhibita eſt, exordio ideſt capto, non ab anno Chriſti ante natalem 312, veluti Graecis, ac Aegyptiis uſu fuit, ſed ab anno 311, unde *Chaldaica* dici conſuevit: quae *Chaldaica* Aera ſane uſurpari ſequiorem uſque ad aetatem Syris pleriſque a Scriptoribus perrexiſſe multis oppido, luculenterque oſtenditur p. 446. ſqq., 448. ſqq., & 450. ſqq. *Arſacidarum* denique Aera uſi aliquando Babylonii, Chaldaei, Aſſyrii, Medi &c. ſunt, uſque dum ad Mogulos eorum transfuſum Imperium eſt. In Aſſyriae Urbibus adhaec nonnullis *Graeca* adhiberi Aera non deſtitit p. 452. ſq.

Aera ſingulari, nec una dumtaxat inſignitae leguntur Urbes in Aramaea pleraeque, quarum de conditu, variaque de nomenclatione pleraque tanguntur haud injucunda p. 458. ſqq. In pleriſque deinde Aramaeae Urbibus a Graecis aedificatis *Graecam* uſu Aeram viguiſſe liquet: quibus deinde Urbibus ſub Romanorum Imperio Aera, qua *Caeſariana*, qua *Auguſtaea*, qua *Hadrianaea*, qua peculiaris deinde propriis ſub Phylarchis adhibita fuit p. 460. ſqq. Inter has *Edeſſae*, multo alio nomine celebris Urbis, multiplex uſurpata legitur Aera, *Graeca* a *Seleuci* I. tempore, *Propria* ſub *Antiocho* VII, ac *Romana* ſub *Hadriano*, queis de, ipſarumque initio copioſe diſputatur p. 463. ſqq. *Graeca* tamen, non Graecorum inſtar ab anno ante Chriſtum 312, ſed Chaldaeorum more ab anno 311. adhiberi conſuevit p. 466. ſqq. De peculiari vero *Edeſſae* propriis ſub Regulis adhiberi cepta agitur p. 470. ſqq.; atque de *Romana* demum, ejuſque initio diſquiritur p. 474. ſqq. Nova etiam *Charrae* inducta Aera innoteſcit, cujuſce de exordio ſermo fit p. 476. ſqq. *Rheſaenae* quoque, Urbi multo celebratae nomine, de Conditore, Reſtauratore, Dominatore &c., ſingularis uſu frequentata legitur Epocha, cujus exordium ab *Autonomia* captum ſtatuitur p. 478. ſqq.

Aera Perſidis Urbibus aliquibus uſu tum primum *Alexandraea*, tum perinde *Seleucida*, tum etiam *Arabica* veniſſe videtur p. 483. ſq. Nova ſub *Gemſcide* Dynaſtiae I. Rege IV. apud Perſas inducta Aera aeſtimari debet p. 488. Prae hiſce vero celebriores Perſis uſurpatae tergeminae ſunt Aerae, ducto ab *Artaxerſe* 1.a, a *Jezdegerde* 2.a, a *Gelaleddino* 3.a cardine, queis de ſin-

ſingillatim, operoſeque agitur p. 488. ſqq., 495. ſqq., & 500. ſqq. Duplex alia, Tartaris, Mogolis, & Chaldaeis facta communis, apud Perſas inducta videtur Aera eo ab anno, quo a Khaliphis *Abbaſſidis* ad Mogolos Chriſti anno 1258. translatum Imperium eſt; quove nova Tartarorum Dynaſtia Chriſti anno 1336. fundata eſt p. 502. ſq. Epocharum porro loco haberi poſſe videntur Dynaſtiae, quae in Perſide ab Arabibus, ac Moslemis varia ſequiori ſub aetate fundatae ſunt, queis de agitur p. 503. ſqq.

Aera in Parthia inter alias celebris *Arſacidarum* olim obtinuit, ab *Arſace* nempe, a quo, defectione a Syro-Macedonibus facta, Parthicum fundatum Imperium fuit, ita denominata: qua de multis oppido diſputatur, diverſae, & adverſae, quae ejus de cardine feruntur opiniones, ad incudem revocantur, quaeque veri haberi debeat ſimilior, exponitur p. 453. ſqq. *Arſacis* nomen praeferentes Nummi plerique cui tribuendi profecto ſint, non una Eruditorum opinio eſt p. 454. ſqq. Neque magis inter Eruditos convenit de anno, a quo auſpicari Aera iſthaec *Arſacida* debeat: qua de opinionum diverſitate, ſicut & de *Arſacidarum* Regni duratione multa congeruntur p. 489. ſqq., 510. ſqq., 516. ſqq., & 520. ſqq.

Aera Bactrianis, ac Sogdianis olim primo *Nabonaſſaraea*, poſt uſu *Alexandraea* veniſſe videtur. Propriis ſub Regibus deinde nova in Bactriana, & Sogdiana inſtituta Aera eſt, quae demum in *Parthicam* coaluit p. 507. ſqq. Quae *Parthica* uſu Armeniis perinde frequentata dignoſcitur p. 525. Poſtea uſurpata Syromacedonum ipſis eſt Epocha. Propria demum, ex quo a Seleucidarum Imperio defecere, uti Armenii Aera cepere p. 528. ſqq. Singularis etiam ſub *Soemo* Emeſae inſtituta Aera videtur p. 537. Vide-ſis V. *Samus*. In Armenia denique, poſtquam *Monophyſitarum* haereſi infecti Armenii fuere, nova ab Aerae Chriſtianae anno 551. ducta Epocha inducta eſt p. 545. ſqq.

Annus *Solaris* olim Ennio dierum 366. habitus eſt p. 4; *Lunaris* apud Graecos dierum 347. primo factus eſt, poſtea dierum 354; *Solaris* vero dierum 360. p. 5. ſqq. Annus Magnus *Cadmi*, ac *Minois* adpellata *Octaeteris* Homero legitur p. 7. Anno 4. quolibet dies 45, collectos ideſt ex horis 6, quæ ſingulis annis ſuperabundabant, intercalari a Graecis, Siculis, Cephaleditanis, Aegyptiis &c. conſueviſſe traduntur *ibidem*. Annus *Sabbathicus* apud Hebraeos cujuſmodi eſſet, quo inceperit ab anno, quove deſierit p. 30. ſqq. Vide-ſis V. *Sabbathicus*.

Annus Mohammedanis *Lunaris* adhiberi ſolet, diebus 354. horis 8. minutis 48. conſtans. Quibus ex horis 8, ac minutis 48. ſiquidem annorum 30. ſpatio dies 11. fiant, ſingulis ideo annis 11. dies 1. adjungi ſolet, iſque Annus dierum 355. evadit p. 52. Vide-ſis V. *Cyclus*.

clus. Annos porro *Sinenſes* 1140. breviores totidem *Indicis* annis 1140. eſſe Menſibus 2. obſervatum Caſſino eſt p. 64. Anni denique ab *Adamo* uſque ad *Seleucum*, & ab *Orbe* condito uſque ad vulgarem *Chriſti* natalem quot ex variis Syrorum computis, Abulpharagio referente, interceſſerint p. 450.

Armenia quas in ſe Regiones complecteretur, queiſve ipſa definienda Regionibus fuerit p. 525. ſq. Cujates Armenii fuerint, cujus originis, antiquitatiſque: unde Armenia derivata ſit lingua, queis cum aliis adfinitatem linguis habeat, quotve ejuſdem Dialecti ſint linguae p. 526. ſq. Veterum Armeniae Regum Dynaſtiae, ſeries, aetaſque e Scriptoribus expromuntur, diverſaeque in Armeniam diverſis ſub aetatibus inlatae Coloniae indicantur p. 527. ſq. Recentioris adhaec aetatis ad finem uſq; Regum Armeniae contexta ſeries exhibetur p. 538. ſqq. Qui primi Armeniae Reges Chriſtianae Religioni nomen dederint p. 541, ſq. Qua Perſis deinde, qua Graecis ex parte Armenia ceſſit: cui perinde ſuae parti a Graecis Imperatoribus qua Militiae *Duces*, qua *Satrapae* praefici conſuevere p. 542. ſq. Proprios denuo ſequiori ſub aetate Reges habere Armenia viſa eſt, in Moslemos translato demum Imperio p. 543. ſq.

Armoſata, & *Samoſata* haud ignobiles in Armenia, & Syria Urbes nova Regnorum ſedes factae ſunt, ex quo ſcilicet defectione a Seleucidis facta, utramque *Artaxias*, ac *Zadriades*, olim Militiae ſub Seleucidis Duces, Urbem occuparunt, novique ibi Regni fundamenta poſuere: ubi alii poſt ipſos Regnum obtinuiſſe leguntur p. 528. ſq. An hoc in cenſu *Xerſes*, ac *Samus*, quorum rari extant Nummi aliqui, habendi ſint p. 530. ſqq. An inde nova cum *Samoſatae*, tum *Armoſatae* inducta Aera ſit admittenda p. 533. ſqq. Vide-ſis V. *Samus*.

Ateleja ab A privativo, atque Graeco a Τελῶν, quod eſt *Cenſus*, dicta, Immunitas erat ab Oneribus: quae aliquando Urbibus ſingulari beneficio indulta legitur, veluti *Delphiis*, aliiſque Peloponneſi Civitatibus, *Ideacis*, *Colophoniis*, *Cumanis*, *Laziis*, *Melaſiis* &c., aliiſque Populum erga Romanum optime adfectis: *Syracuſiis*, *Selinuntiis*, *Magneſiis*, *Apameis*, *Apolloniis*, *Byzantinis*, *Leptiniis*, *Atrebatenſibus*, *Tarſenſibus*, *Trojanis*, aliiſque, qui Romano de Populo optime promeriti fuerant p. 276. ſq. Vide-ſis V. *Eleutheria*.

Autonomia Urbium, Populorumque frequens in Nummis nihil erat aliud, quam poteſtas Urbibus, Populiſque facta proprios habendi *Magiſtratus*, propriis agendi *Legibus*, atque vivendi moribus &c. p. 270. ſqq. Ab *Eleutheria* differebat *Autonomia*, in quo differret tamen, haud inter Doctos convenit *ibidem*. Vide-ſis V. *Eleutheria*. Non unius autem modi erat *Autonomia*, ſed alia major, minor alia indulgeri ſolebat: nam aliquando Populis victis proprii

Digitized by Google

prii linquebantur *Reges*, aliquando *Praeſides* a Victoribus accipere cogebantur. *Legibus* agere propriis aliquando Populis facultas fiebat, aliquando denegabatur. *Tributa* aliquando relaxabantur, aliquando exigebantur. Judiciorum *Jus* apud ipſos aliquando integrum permittebatur, aliquando *Judices* dabantur. *Civitatis* item Jus his concedebatur, denegabatur illis &c. p. 272. ſqq.

Autonomia porro donati Populi multi, Urbeſque pleraeque leguntur paſſim: *Judaei*, *Syri*, *Arabes*, *Colchi*, *Armenii*, *Thraces*, *Cappadoces*, *Galli*, *Hiſpani*, *Germani*, *Siculi* &c., *Aegyptii*, *Graeci*, *Macedones*, *Aſiani*, *Pontici* &c. p. 273. ſq. Eodem beneficio cumulatae ſimiliter Urbes inter alias Romano de Populo optime meritae leguntur *Epheſus*, *Philippis*, *Athenae*, *Hieroſolyma*, *Rhodus* &c. p. 273. ſq. *Autonomia* pariter illuſtratae vice plus ſimplici in Palaeſtina, Galilaea, & Samaria referuntur Urbes *Hieroſolyma*, *Gadara*, *Amathunta*, *Hiericho*, & *Sephora*: in quibus *Juridici* olim quinque conſtituti fuerant Conventus, ad quos convenire quemquam oportebat: item *Gaza*, *Joppe*, *Dora*, *Caeſarea*, *Aſcalon*, *Capitolias*, *Aretuza*, *Jamnia*, *Azotus*, *Hippus*, *Scythopolis*, *Pella*, *Raphia*, *Philadelphia*, *Dion*, *Gaba* &c., quas ideo nova in Urbes Epocha inducta legitur p. 278. ſq. Vide-ſis V. *Aera*.

Autonomia etiam inſigniti memorantur apud Scriptores paſſim *Aethiopes*, *Aſſyrii*, *Meſopotameni*, *Armenii*, *Poeni*, *Cyrenaei*, *Saraceni* ad ſinum Arabicum Incolae, Africae item Urbes pleraeque, atque Thraciae, in Colchide vero *Lazii*, *Tzani*, *Abaſgi* &c. p. 279. ſqq. Aſiae, Syriae, Phoeniciae, & Graeciae eodem cumulatae honore, ac beneficio adauctae occurrunt Urbes *Niſibis*, *Antiochia*, *Seleucia*, *Laodicea*, *Apamea*, *Samoſata*, *Tyrus*, *Tripolis* &c. p. 281. ſqq. In Macedonia itidem Urbes aliquae, inque Theſſalia & Illyrico. Cyclades Inſulae quaedam item; atque tum in Jonio, quam in Aegeo Mari aliae; Aeoliae quoque Civitates aliquae, Epiri, Phocidis &c. p. 283. ſqq. Achajae Urbes adhaec eodem *Autonomiae* Jure adfectae leguntur: in Boeotia *Theſpia*, & *Tanagra*; in Attica Urbs Metropolia *Athenae*; in Laconica *Sparta*; in Myſia *Lampſacus*; in Aetolia vero univerſae fere Urbes p. 285. ſqq.

Autonomia inſuper donati in Aſia Populi longe plures erga Romanos animo bene comparati leguntur: *Apolloniatae*, *Colophonii*, *Mileſii*, *Cumaei* &c. Jungendi vero his *Ilienſes*, *Chii*, *Troezenii*, *Rhodii*, *Lycii*, *Magneſii* &c. Item *Mytileni*, *Tralles*, *Pergameni*, *Cyziceni*, *Troades*, aliique. In Caria adhaec Urbes pleraeque, in Lycia quoque, Pamphylia, Lydia, Phrygia, Piſidia, Galatia, Cappadocia quaedam p. 289. ſqq. In Aſia Proconſulari, ſive Cilicia rurſus Urbes olim omnes, deinde aliquae dumtaxat *Seleucia*, *Sebaſte*, *Anazarbus*, *Corycus*, *Adanc*, *Mopſveſtia*, *Aegeae*, *Tarſus* &c. eo-

dem *Autonomiae* Jure celebratae ſunt. In Bithynia vero *Chalcedon*, *Pruſa*, *Apamea* &c.; in Ponto *Sinopis*, *Amiſus*, *Amaſia* &c. p. 293. ſqq. In Hiſpania, Gallia, Germania, Italia, Sicilia &c. Urbes paſſim *Autonomiae* privilegio frui permiſſae leguntur p. 295. ſq.

B

Babylon a quo, quove Mundi anno condita fuerit, atque quot exinde Babylonicum annis duraverit Imperium, non una Veterum, atque Recentiorum Scriptorum eſt ſententia p.425. ſqq. Ea tamen ad veri magis accedere ſimilitudinem videtur ſententia, qua Urbs haec a *Nimbrodo* aedificata dicitur: Cujuſce Monarchia primo *Babylonica* ab Urbe ipſa, *Aſſyria* deinde, de ſcilicet *Aſſure*, (quo haud Regio ſane, velut aliquibus viſum eſt, bene vero *Semi* filius nomine deſignatus in S. Scriptura eſt, a quo *Ninives* aedificata certe fuit), denominata eſt p. 429. ſqq. Quae ſane Monarchia primo a *Nimbrodo* fundata, poſt a *Nino* magis amplificata eſt: quo pacto diverſae Veterum de Babylonici, & Aſſyrii Imperii fundatione ſententiae facile componuntur p.431. ſqq. Vide-ſis V. *Aera Chaldaica*.

Babylonis itaque fundatum a *Nimbrodo* Imperium, longe deinde, lateque a *Nino* propagatum eſt: donec *Sardanapalo* interfecto, diſpertitum in Medos a *Dejoce*, in Babylonios a *Belocho*, in Aſſyrios a *Nino* II. occupatum eſt p.432. ſqq. Qui vero Babylonico, & Aſſyrio ſucceſſerint in Imperio, nec una eſt Doctorum opinio. Ad Perſas deinde translatum a *Cyro* duravit apud ipſos uſque ad *Alexandrum* M., a quo ad Graecos transfuſum fuit p.434. ſqq. De Regum vero numero, ſerie, aetate, regnorumque duratione, velut a Theone in Canone Regio Aſtronomico deſcripti fuere, multis oppido diſquiritur p.436. ſqq.

Babyloniae, quae deinde de *Cheſed* filii *Naboris* nomine *Chaldaea* denominata eſt, *Aſſyriae* quoque, *Mediae*, atque *Meſopotamiae*, veteri *Aramaeae* nomine adpellatae, tam confinia adſignantur, quam Urbes recenſentur illuſtriores: quae item uſu ipſis frequentatae olim fuerint Epochae, operoſe indicantur p.442. ſqq. Vide-ſis V. *Aera Chaldaica*.

Bactriani, Sogdiani, & Parthi antiqua, primaque *Scythas* origine fuiſſe putandi facile ſunt: a quibus Bactrianum, Sogdianum, & Parthicum utique fundatum Imperium fuit p. 507. ſq. Ab ea itaque aetate Bactrianis, Sogdianis, & Parthis *Nabonaſſari* uſu Aera venit, deinde *Alexandraea* ſub Graecis adhibita eſt; donec propriis ſub Regibus nova eſt inducta. Qui Reges primi fuerint, quove primo regnare ii tempore ceperint, quando defecerint, & Parthis obnoxii facti horum ſe ſe attemperare Aerae coacti fuerint p.508. ſq. Quae ſane *Parthica* Hyrcanis perinde frequentata Aera videtur p.511. ſq.

Bagdadum a *Bag* celebri Perſarum Idolo, & *Don*, ſive *Dad*, quo Perſice nomine *Hortus* ſignificatur, a loco ſcilicet Idolo dedicato, ubi aedi-

aedificata Urbs fuit, nomen tuliſſe fertur. Quae ſane Urbs diverſis ſub temporibus diverſa ab Abaſſidis, a Mogulis, a Turcomannis, a Perſis, a Turcis fata ſubiit p.453.

C

CAlippus Periodum celebrem ſuam annorum 76. ab Olympiadis 112. anno 3, U. Romae conditae 424, Periodi Julianae 4384, ante Chriſtianam Aeram 330, auſpicatus fuiſſe ex Claudii Ptolemaei obſervationibus eadem obſignatis Periodo rite arguitur p.148.

Cenſorini de Die Natali cap.18, alias 13, celebris de *Luſtro* primo Romae a *Servio Tullio* inſtituto locus perperam a Taffino Soc. J. interpretatus eſt; atque pro annis paullo minus 630. a *Servio Tullio* tranſactos uſque ad *Veſpaſianum*, ac *Titum* haud recte ponendos annos 620. opinatus eſt p.24.

Chriſti Domini in Carne Natalis, Baptiſmus, & Obitus quo Mundi anno conſignatus a Syris pleriſque Scriptoribus fuerit p.449. ſq., & 451.

Coloniae praeter morem pleraeque novam ſuis in Nummis obſignaſſe, aliquandoque geminam imo leguntur Epocham: quomodo Colonias inter alias *Sinopis* in Paphlagonia, *Viminiacum* in Moeſia, *Ptolemais* in Galilaea, *Caeſarea* in Palaeſtina Aera Nummos inſcalpſiſſe ſuos conſpiciuntur p.349. ſq. *Ptolemais* iterum in Galilaea, olim *Acco* dicta p.357. ſq.; *Caeſarea* denuo in Palaeſtina, de qua p.412. ſq.

Coloniae porro aliae fuere *Italicae*, aliae *Provinciales*: atque priore quidem *Immunes* a Tributis fuiſſe, ideoque Jure etiam *Italico* fuiſſe donatas, alii negant; *Provinciales* etiam aliquando fuiſſe *Immunes*, etſi Jure *Italico* minime decoratas opinati, adfirmant alii, Jure *Italico* praeſtitam *Immunitatem* fuiſſe pugnantes. Coloniae *Provinciales* adhaec Jure *Latii* donatae, etſi a Tributis eſſent *Immunes*, non tamen a Tributo ex *Formula*. In eo vero a *Municipiis* diſtinguebantur *Coloniae*, quod illa Civitate *Romana* donata erant, non etiam iſtae: etſi his etiam Jus *Latii* ſaepe collatum eſſet p.413. ſq. Vide-ſis V. *Jus Italicum*.

Cyclus Annorum 2, *Ennianus* dictus, ab ejuſdem auctore *Ennio*, Romanis olim uſurpatus fuit: in quo ex alterna dierum 22, & 23. intercalatione *Lunaris* annus dierum 355. fiebat alternatim dierum 377, & 378; adeo ut *Biennium* alternatim fieret dierum 732, & 733. Ex hiſce vero bis ſenis Bienniis celebris effecta eſt Periodus *Romana* annorum 24.: quibus expletis *Solem*, atque *Lunam* ad idem prorſus, unde digreſſi fuerant, regredi punctum, Romanis olim perſuaſum erat p.4. ſq. Idem diu ante Graecis etiam uſu Cyclus veniſſe, a *Thaletis* aetate nempe, aliquibus traditur p.5. ſq. Vide-ſis V. *Dieteris*. Cyclus adhaec annorum 4. Graecis nedum, ſed Aegyptiis etiam olim adhibitus legitur; ex eoque per dies 360. repetito confectus fuiſſe Cyclus annorum 1460. traditur p.7. ſq. Comperto vero deinde ab Aegyptiis annum *Solarem* ex diebus 365. $\frac{1}{4}$

coale-

coaleſcere, quadruplex ab ipſis Cyclus effictus creditur, *Minimus* ex annis 4, *Minor* ex annis 69, & 70, *Major* ex annis 480, & *Maximus* ex annis 1460. confectus p.8.

Cyclus Annorum 5. apud Chaldaeos uſu fuiſſe creditur, de quo multis alibi diſputatum jam eſt. Cyclus alter Hebraeis annorum 7, Dei juſſu, uſurpatus eſt, *Sabbathicus* adpellatus p.30. ſqq. Vide-ſis V. *Sabbathicus*. Ex Cyclo jam vero iſto annorum 7. geminato Cyclus alter Hebraeis annorum 14. indicendo *Paſchati* effictus eſt; ex iſtoque ſexies repetito Cyclus annorum 84. elucubratus eſt p.33. ſq. Cyclum alium Judaeis annorum 8. fuiſſe uſurpatum autumat Petitus: Cyclum item *Calippi* annorum 76. cenſent Scaliger, & Bucherius, inficias vero eunt Petavius, ac Baſnagius: nullum e contra Judaeis ante *Caracallam* uſu Cyclum veniſſe contendit Dodvvellus: verius Cyclum annorum cum 14, tum 84. a Judaeis adhibitum fuiſſe poſt S. Epiphanium pugnant Keplerus, & Petavius: a quibus diverſis idem Cyclus exponitur modis p.34. ſqq. Cyclus adhaec triplex alter uſu apud Judaeos veniſſe fertur, *Solaris*, dictus *Magnus*, annor. 28, ex Cyclo *Minori* annorum 4. ſepties repetito; *Lunaris* annorum 21, ex Cyclo *Minori* annorum 3. ſepties item multiplicato; & Cyclus annorum 19, ex Cyclis *Minoribus* 3, & 2. ſepties invicem ductis. Ii porro Cycli a R. *Eliezere* primum inducti, poſt a R. *Samuele* illuſtrati, & a R. *Adda* meliorem in formam redacti, a R. *Hillele* poſtremo emendati feruntur p.37. ſq.

Cyclus Annorum 8, *Octaeteris* vulgo denominatus, ab *Endymione* primum excogitatus, poſtmodum a *Cleoſtrato*, ac perinde ab *Eudoxio*, ejus de nomine *Eudoxius* aliquando dictus, ab *Harpalo* emendatus eſt p. 38. ſq. Eadem porro *Octaeteris* uſu apud Elidenſes ad *Olympicos* agendos ludos veniſſe Scaligero, ac Dodvvello viſa eſt: quod inficias tamen ivere Petavius, & Corſinius, *Enneadecaeteride* uſos Elidenſes fuiſſe in *Olympicis* agendis perſuaſum habentes p.39. ſq. *Octaeteris* etiam *Lunae* componendis cum *Solis* rationibus uſurpata *Numae* fuiſſe refertur, diverſo tamen a Graecanico modo, ita nempe ut primum biennio quolibet dies alternatim 22, & 23. intercalarentur; poſtea vero Octennio 1, & 2. dies 90, Octennio 3, vero dies 66. dumtaxat intercalandi viſi ſint: unde celebris *Romana* Periodus annorum 24. emerſit. Eadem Siculis *Octaeteris* uſu pridem veniſſe fertur, ab ipſiſque accepta Romanis a *Julio* Caeſare tradita fuiſſe; indeque ab *Herode* Judaeis communicata refertur, ita tamen ut inter ſe *Octaeterides* iſtae *Sicula*, *Romana*, & *Judaica* differrent p.41. ſq. Inde vero confecta *Romana* Periodus annis non 20, uti Petito, neque 22, veluti Scaligero viſum eſt, ſed annis 24. conſtabat, uti ſupra dictum p.42. ſqq. *Octaeteride* perinde celebrando *Paſchati* uſus S. *Dionyſius* Alex. fertur, ex ipſaque geminata effecta, non ab *Harpalo*, uti perperam ſcripſit Dodvvellus, *Enneadecaeteris* annorum 16. *Paſchati* celebrando adhibita S. *Hippolyto* legitur p.45. ſq.

Ex

Ex hocce Cyclo annorum 16. vicibus 14. in ſe ducto Cyclus *Minor* annorum 112, ex iſtoCyclo an. 112. ſepties multiplicato Cyclus *Major* annorum 784, ex illoque Cyclo 784. quater repetito, junctoque Cyclo an. 112, Cyclus *Maximus* an. 3248. effictus a Cl. Blanchio oſtenditur p. 46. Primus ex his in Eccleſia *Paſchati* celebrando a S. *Hippolyto* inductus videtur, qui poſt erroribus laborare deprehenſus ab Eccleſia dimiſſus eſt: diu tamen in Eccleſia *Africana* obtinuiſſe videtur p. 47. ſqq. An tamen a S. *Cypriano* Paſchati celebrando computus ad Cyclum 16. elcubratus fuerit, dubium eſt p. 48. ſq.

Cyclus Annorum 9. uſurpari Boeotis olim ſolebat: quo evoluto Cyclo ſolemni *Apollinis* in honorem, *Solis*, ideſt, ac *Lunae*, Feſta *Daphnephoria* celebrari pompa conſuebant p. 39. ſq. Cyclus annorum 12, *Dodecaeteris* adpellatus, Perſis veteri fuiſſe uſu legitur: qui veluti Menſis unus Cycli *Magni*, Perſice *Salchodai*, annis 1440. conſtantis, habebatur, Menſis alter *Magnus* apud Perſas annis 120. conſtabat; atque ex Menſibus hiſce 12. Annus *Magnus*, Perſice *Dourat*, Cyclus ideſt annorum 1440. efficiebatur. Annis 120. elapſis Menſis integer dierum 30., ex horis ideſt annorum 120. ſpatio neglectis collectus, intercalari Perſis ſolebat. Itaque poſt annos 120. eadem *Feſta* ad priſtinam regredi ſedem, & poſt annos 1440. eumdem *Menſem* in ordinem reſtitui Perſis erat perſuaſum. Sub *Gemſcide* Cyclus hic *Magnus* inſtitutus demum ſub *Geladedino* in deſuetudinem abiit p. 50. ſq. Cyclus porro annorum 12. uſu item Arabibus, Turcis, Indis, Tartaris, Sinenſibus, Japoniis &c. diverſis Animalium nominibus inditis, venit, *Mamangan* Indis dictus: iſque quinquies repetitus Cyclum alium, *Aandù* dictum, efficit annor. 60. p. 51. ſq. Adhaec Americanis Cyclus annorum 13, *Hebdomadicus*, adhiberi ſolebat, ex quo quater in ſe ducto *Seculum* annorum 52. fiebat. Thibetanis uſu Cyclus annorum 14. frequentatus eſt; in quo poſtremus Sacer ipſis eſt, ac Feſtus. Chaldaeis olim Cyclus annor. 18. uſurpatus legitur, ex quo geminato Cyclus an. 36. factus eſt. Celebris apud Graecos, ac Latinos eſt, hodiedum adhibitus, Cyclus annor. 15., vulgo *Indictionum* adpellatus p. 52. Vide-ſis V. *Indictiones*.

Cyclus Annorum 30. Mohammedanis uſurpari, ab Arabibus acceptus, ita ſolet, ut eo in Cyclo tamen *Intercalares* ſint anni 2. 7. 10. 13. 15. 18. 24. 26. 29. Nempe iis annus *Lunaris* eſt dierum 354. hor. 8. minut. 48: e quibus horis, ac minutis annorum 30. ſpatio dies 11. fiunt; ideoque annis ſingulis 11. dies 1. adjungi ſolet: qui annus ideo dierum 355. evadit. Quo fit, ut *Lunaris* apud ipſos annus *Solari* diebus 11. brevior fit, ideoque diebus 11. tardius incipiat, quam anterior, neque niſi poſt annos 538. ad eamdem diem, ac feriam anni regrediatur ex ordium p. 62. Apud Siamenſes Cyclum annorum 19, noſtro *Aureo Numero* longe perfectiorem, obtinere, *Liliana* item perfectiorem adhiberi *Epactam* oſten-

oſtenſum dedit Caſſinus p.62. ſqq. Atque ex *Indico* ſane Cyclo XIX. iſto Cyclus annorum 11. alter, & alter annorum 61., ex iſtiſque Cyclus alius annorum 1181. apud Siamenſes efformatus eidem Caſſino videtur; adeo ut Cyclo annorum 1181. expleto, *Novilunia* ad eamdem regredi diem, abſoluto vero Cyclo alio annor. 13357. ad eamdem horam etiam regredi *Novilunia* Indi perſuaſum habeant p. 63. ſq. Vitio tamen Cyclos hos *Indicos* haud carere, atque Cyclis aliis emendari indigere idem Caſſinus obſervat p.64.

Cyclus Annorum 40. ex *Tetraeteridibus* 10. ideſt confectus, uſu pridem Graecis, pariandis *Solis*, atque *Lunae* rationibus veniſſe, atque Cycli hujus annus primus ab Olympiadis 1. *Novilunio*, quod ipſo *Solſtitii* Aeſtivi die, Julii 8. obtigerit, incepiſſe Petito viſus eſt. Quia vero *Lunares* anni 40, cum *Embolimaeis* Menſibus 6, *Solares* totidem diebus 14. ſuperabant, idcirco, ut paria fierent, Cyclus alter annorum 80., ex *Tetraeteridibus* 20, ideſt conflatus, cujuſce tamen in parte ſecunda *Embolimaei* Menſes 5. dumtaxat ineſſent, a Graecis excogitatus Petito fingitur p.65. ſq. Denique *Lunaribus* annis dierum 354. cum *Solaribus* dierum 360. aequandis, Cyclum a Graecis annorum 120., ex *Tetraeteridibus* 30. nempe confectum, inductum fuiſſe Petitus autumat, ita tamen ut poſtinde dierum 5. inſuper ſupra *Solaris* anni dierum 360. exceſſus a Graecis Menſis integri dierum 30. ad finem Cycli, ſeu anni 120, aggregatione ſupple- tus fuerit; annique caput ab Aeſtivo *Solſtitio* traductum fuerit ad *Aequinoctium* Autumnale. Qui tamen Cycli ex arbitrio ſane a Petito conficti videntur p. 66. Celebris jam vero apud Judaeos ad putandos annos Cyclus annorum 49, aut 50, *Jubilaei* nomine, Divina inductus inſtitutione, diu viguit p.67. ſqq. Vide-ſis V. *Jubilaeus*. Annorum 59. Cyclus tam *Philolao*, quam *Oenopidi* uſurpatus fuiſſe fertur, diverſa tamen ab utroque Anni ſive *Lunaris*, ſive *Solaris* inita ratio eſt p.78. ſq. Ex Cyclo XIX. per Cyclum XXVIII. ductus effictus eſt Cyclus 532. *Victorinus*, ſive *Dionyſianus*: ex hocce Cyclo 532. vero per 7. multiplicato factus eſt Cyclus 3724. *Judaicus*, quo nova velut Aera ſub *Herode* Chriſti ante natalem 36. uti Judaei cepere, uti De Vignolio obſervatum eſt p.79.

Cyclus XIX. jam vero Tartaris, ac Sinenſibus itidem uſu ab an. 1900. veniſſe legitur, uti Gaubilius teſtatur, adeo ut eodem ex Cyclo XIX. vicibus 81. repetito Cyclus *Tong* an. 1539, ex repetito vicibus 243. Cyclus *Jven* an. 4617, ex iſtoque vicibus 31. multiplicato Cyclus an. 143127. effictus fuerit: quibus expletis ad idem, e quo digreſſi fuerant, punctum regredi *Planetas* omnes perſuaſum Sinenſibus erat p.79. ſq. Ab anno Chriſti ante natalem 85. *Calippi* Cyclus 76, Sinice *Poü*, obtinere in Sinis occepit; ex quo vicibus 20. in ſe ducto conflatus eſt Cyclus *Ki* an. 1520; quo expleto *Sol*, ac *Luna* ad eumdem regredi cardinem, ac Cy-

Cyclus dierum 60. ad eamdem redire diem aeſtimantur. Ex Cyclo *Ki* ter repetito effictus eſt Cyclus *Jven* alter annor.4560; quo elapſo *Sol*, & *Luna* ad idem *Zodiaci* punctum redire, & ad eumdem reſtitui annum Cyclus an.60. cenſentur. Anno denique Chriſti 530. apud Sinenſes ex Cyclo XIX. vicibus 26. multiplicato, additiſque annis 11; Cyclus an.505, ex eodemque vicibus 29. reproducto, anniſque 11. adjectis, Cyclus an.562. conflatus eſt. Qui tamen omnes, aliique exinde Seculis VI, & VII. confecti *Noviluniis*, ac *Pleniluniis* deſignandis adhibiti, parum exacti, & ad rem accommodi oſtenduntur p.80. ſq.

Cyclus hodie Sinenſibus uſurpatus *Simplex* alter, alterque *Compoſitus*, ac uterque multiplex diſtingui ſolet: I. *Simplex*, *Sun* dictus, Characteribus X. conſtat, cujuſce dimidio, ideſt 5, multiplicato per 12, Cyclus dierum 60. *Compoſitus* efficitur, *Sun-fa* dictus. II. Cyclus *Simplex* e Characteribus XII. conflatur, totidemque Horis, Diebus, Menſibus, Lunis, Zodiaci ſignis, & Annis indicandis inſervit. Quo ex Cyclo XII. per 5. multiplicato fit *Compoſitus* annor. 60, *Ki-fa* denominatus. III. Cyclus *Simplex* ex Characteribus XXVIII. conficitur, quibus totidem Conſtellationes indicantur, harumque cuilibet totidem adſcribuntur dies, hiſque quatuor Characteribus ſinguli deſignantur *Planetae*. Ex Cyclo XII. porro cum *Elementis* X. varie conjugato apud Thibetanos Cyclus annor.252. efficitur p.81. Ex Cyclo annor.60. rurſus per 3. multiplicato Cyclus alter fit an.180., atque ita Sinenſibus numerari ſolet, ut I. *Schanee-Ven*, 2. *Junee-Ven*, 3. *Cha-ven* adpelletur. Cui porro ante Chriſti natalem anno adſigi Cycli an.60. annus 1. ſoleat, non una Eruditorum opinio eſt; etſi modica ſit differentia p.81. ſq. Ex Cyclo annor. 180. denique per 56. ducto Cyclus an.10000. efficitur, Sinice *Vennus* adpellatus; cujus annus in Aera Chriſtiana cum primus, tum hodie decurrens indicatur p.82. ſq.

Cyclus *Eclipſibus* quammaxime deſignandis adhiberi triplex olim Babyloniis, Aſſyriis, & Chaldaeis ſolebat, *Sarus*, *Nerus*, & *Soſſus* dictus. An vero Annis, aut Menſibus, aut Diebus, aut Horis hi conſtarent Cycli, varia eſt Chronologorum opinio p.83. ſq. Ex Cyclo porro *Minori* an.18. geminato Cyclus alter *Major* an.36. apud Chaldaeos effici ſolebat p.84. Graecis Cyclus an.60, quo expleto, *Dedales*, celebres feſti dies, recurrebant, uſu alicubi fuit *ibidem*. Videſis V. *Dedales*. Cyclus an.82. effictus a *Democrito* legitur: in quo *Intercalares* Menſes 28. erant. Exinde vero conficta a Scaligero *Lunaris* anni, *Syzygiae*, anniquo *Solaris* quantitas a Petavio exſufflata eſt p.85. Cyclus an.84, Paſchali *Novilunio* deſignando, uſu olim Eccleſiae venit Alexandrinae, a Latina deinde mutuatus. Quo ab anni die Cyclus hic inceperit, quot *Communes*, & quot anuos *Embolimaeos* complecteretur. In Cyclos ſex *Minores* an.14. a Noriſio ita diſtributus eſt, ut in quolibet *Minori* Cyclo anni *Communes* 9, *Emboli-*

maei 5. ineſſent, ac in fine ultimi *Epactae* 5. ſupercreſcerent. Paſchali tamen *Novilunio* indicando is impar fuit; ut quo abſoluto, ideſt poſt annos 84, *Novilunia* die 1, horis 17. fere tardius contingant p.85. ſq. Diu tamen in Eccleſia Britannica, Scotica, Gallicana, & Latina Cyclus hic an.84. obtinuit p.86. ſq. Quando, a quo, & qua emendatus ratione Cyclus an.84. iſte fuerit, in quove ab Alexandrina diſcreparit Eccleſia Latina p.88. ſq. Cyclus an.95. alter a S. *Cyrillo* Alex. elaboratus vitio laborare inſigni a Latinis deprehenſus eſt p.89. ſq. Cyclus hic 95. a *Theophilo* Alex. deinde emendatus falſo dicitur Scaligero; ab ipſo Cyclus an.100. item elucubratus fuiſſe, ut qui Laterculum annorum 100. dumtaxat adornavit: quamquam ab ipſo *Theophilo* Cyclus revera *Paſchalis* an. non 100., uti Scaligero, nec an.437., veluti Queſnello viſum, ſed an.418. elaboratus fuerit p.90, ſq. S. *Cyrilli* Cyclum an.95. ab anno perinde Chriſti 532, quo prior ille deſierat, inceperatque octiduo poſt Chriſti D. vulgarem natalem, digeſſit *Dionyſius Exiguus*, non vero Cyclum an.532. ipſe elucubravit, ut falſo pleriſque creditur: cujuſce Cycli 532. promus condus *fuit Victor Aquitanus*, ſeu ipſe a Graecis primus accepit. Triplici vero, inſignique laborare vitio *Cyrillianus* deprehenſus poſtea Cyclus eſt: quae tamen vitia emendare tum S. *Cyrillus* ipſe, tum item *Dionyſius Exiguus*, tum deinde S. *Iſidorus* Hiſpal., tum etiam S. *Felix* Abbas Gillitanus, tum demum *Anonymus* Ravennas allaborarunt p.91. ſqq.

Cyclus Annor.100., aut 110. pro *Seculo* apud Romanos pridem obtinuiſſe aliquibus videtur p.93. ſqq. Videſis V. *Seculum*. Cyclum *Minorem* an. 30, *Majorem* an.210., & *Maximum* an.228. apud Arabes obtinuiſſe commentus eſt Scaliger, ideo a Petavio refutatus p.98. ſq. Erroribus, quibus Cycli tam *Metonis*, quam *Calippi* laborabant, ut obviam iret *Hipparchus*, Cyclum an.304. ſuffecit; qui & ipſe gemino haud vacare deprehenſus eſt vitio p.99. Aegyptiis duplex olim Cyclus uſu fuit, prior, *Magnus* Annus *Canicularis* dictus, tot annis conſtabat, quot diebus Annus, ideſt 365.; poſterior, *Maximus* Annus *Heliacus* adpellatus, ex Cyclo 365. quater in ſe ducto compoſitus ex annis 1460. coaleſcebat. Atque Cyclus hicce quidem *Cynicus* alius *Minor* erat an.70., alter *Major* an.487., alter *Maximus* an.1183. Rurſus *Minor* alius an.480., aliuſque *Major* an. 960, ex duplicato nempe *Minori* 480. conflatus p.100. Cyclo an. 400, Kalendario reformando, feliciter uſus eſt *Gregorius* XIII, ita nempe ut Seculis tribus *Intercalatione* neglecta, & Seculo 4. abſoluto eodem, quo prius, ordine *Feriae* in orbem reſtitutae ſint *ibidem* ſq. Cyclus an.448. pro *Noviluniis* in orbem reſtituendis a Thoma Pio Maphaeo inductus vitio & ipſe haud vacare cognitus eſt p.101. De Cyclo an.490. *Danielis* IX. 24. ſq. memorato, ac celeberrimo Vide-ſis V. *Hebdomades*.

Cyclus adhaec *Victorinus* Annorum 532, *Cyrilliano* an.95. ſubrogatus, in Eccleſia Latina diu ubique obtinuit: cujuſce tamen in Cycli in-

ventione, uſque *Victorio* Aquitano ſane praeiviſſe *Metrodorus*, *Panadorus*, & *Anianus*, Aegyptii genere omnes, leguntur p.198. ſqq. Cyclum iſtum porro *Victorinum* continuaſſe deinde leguntur *V. Beda*, *Anonymus* Ravennas, *Marianus* Scotus, *Dionyſius Exiguus*, aliique p. 200. ſqq. Vitio tamen, quo laborare deinde Cyclus iſte deprehenſus eſt, obviam ire ſtuduere cum Noriſius Cycli an.1932., tum Ricciolius Cycli an.10108. ope: quem utrumque Cyclum attamen vitio haud carere ſuo a Betazzio rite obſervatum eſt p.201. ſq.

Cyclus alter, Paſchalibus pro *Noviluniis*, atque *Pleniluniis*, ex Cyclo *Julii* Caeſaris elaboratus annorum 1184. a Cl. Blanchinio eſt, inde *Octagrammataeus* ab ipſo dictus, initio ducto ab anno *Gregoriano* 1600: in quo tamen vitia deprehenſa nonnulla a Betazzio ſunt p.203. ſq. *Arcadum* pro annis putandis Cyclum accommodare huncce Vir doctiſſ. allaboravit, haud ita tamen feliciter, quin & ſuis Cyclus iſtiuſmodi laboret adhuc morbis p.205. ſqq. Cyclus duplex alter a Maphaeo an. 1200, & an.3367. inventus ſuo & ipſe haud caret uterque vitio p.210. ſq., & 214. ſq. Aegyptiis Cyclus veteri frequentatus uſu *Sothiacus*, ab ortu *Sothis*, unde incipiebat, dictus, annis 1460. conſtabat: ex quo vicibus 25. in ſe ducto Cyclus alter *Maximus* an.36525. conflatus eſt. Eodem ex Cyclo 1460. duplex alter tam *Lunaris* an.2920, quam *Solaris* an.2835. confectus eſt: qui ſane Cyclus quarta pars eſt Cycli an.11340.; quo ſpatio *Solem* bis illinc exortum, ubi nunc occidit, atque bis, unde nunc oritur, illic occidiſſe Herodotus ſcripſit, eumque Cyclum ante Chriſti natalem an.659. finiiſſe p.211. ſqq.

Cyclus Arabibus, in Sinis inhabitantibus, teſte Gaubilio, conſtabat annis 1942: quo evoluto ſpatio *Lunae*, ac *Solis* inter rationes paria fieri perſuaſum illi falſo habuere: integro quippe *Novilunia* Menſe ita qua praecipitabantur, qua praevertebantur p.214. Cyclus a *Vieta* an. 3400, ac 16558000., pro Kalendarii *Gregoriani* reformatione inductus, tam ineptus, quam omnino in falſo laborare oſtenſus eſt p. 215. ſqq. Ex Cyclo *Victorino* 532. vicibus 10, aut ex *Metonico* vicibus 20. in ſe ducto Cyclus annorum 5700, & an.5320. a Blanchinio confectus, initio ducto a *Mundi* conditu, exituque in *Chriſti* an.1700. conſtituto, ſuo & laborare morbo declaratur p.217. ſqq. Cyclus alius triplex ab exordio *Mundi* ad vulgarem *Chriſti D.* natalem a Graecis uſurpatus eſt: *Antiochenus*, *Alexandrinus*, & *Conſtantinopolitanus*, quibus de fuſe p.219. ſqq. Vide ſis V. *Aera*. Ex hiſce tribus deinde Cyclis unus *Dionyſianus* a Graecis, unuſque *Graeco-Romanus* a Pagio, quo nempe *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis* Cycli aeque, ac in *Juliana* Periodo exhibentur, effectus eſt p.223. ſqq., & 231. ſqq. Qui ſane *Graeco-Romanus* Cyclus a Baſnagii inſultibus tam vere, quam firme defenditur p.232. ſqq. Cycli porro, *Juliani* dicti, ex Cyclis *Solis*, *Lunae*, & *Indictionis* confecti laus haud *Joſepho Scaligero* quidem veluti primo auctori, bene

ne vero *Roberto Lotharingo* Herefordienſi Epiſcopo debetur p.236. Et laude certe ſua dignus eſtCyclus iſte p.237. ſqq., magnae tamen haud eſſe utilitatis, quin & ſuis haud carere defectibus oſtenditur p.339. ſqq. Hinc haud incongrue Cyclo *Juliano* cum a *Ricciolio* Cyclus *Aureus* an.10108., ex *Victorino* per Cyclum xix. *Lunae* multiplicato effictus, tum melius a *Ludovico Ambianenſi* noſtro Cyclus *Ludovicianus* an.15960, ex Cyclis *Solis*, *Lunae*, *Indictionis*, & *Epactarum* effectus, ſubrogatus eſt p. 241. ſq.

Cyclus immani Annorum ſpatio deſcriptus apud Indos quadruplex circumfertur, quo *Mundi* duratio menſurari ſolet. Malabaris alii, aliique Sinenſibus ad computandos annos Cycli adhiberi qua *Majores*, qua *Minores* feruntur p.242. ſqq. In hiſce celebris eſt Sinicus Cyclus *Van* Major annis 10000. conſtans, qui triplici ex Cyclo *Minori* annorum 60. unoquoque, ex quo alter fit an.180. Cyclus, efformatus p.243. ſq. *Paſchali* adhaec feſto ſuo rite peragendo tempore Cyclus excogitatus multiplex eſt: ita *Ludovicianus* an.11600. a *Caſſino*, qui vitio tamen laborare non uno a Betazzio demonſtratur p.244. ſq.; ita Cyclus an.300000. a *Clavio*; itaCycli alii an.247600;an.20300; an.10400; an.11600; an. 1700; an.2900. a *Betazzio* p.254. ſqq. Ita Cycli an. 74800; an.86400; an. 41192; an. 40000; an. 51600; an.38. ab eodem *Betazzio*, inutiliter tamen omnes p.256. ſqq. Ita Cycli abnormi annorum ſpatio alii deſcripti, ſed inutili ſane opera, *Gregoriano* abunde ſufficiente Kalendario, emendando quum opus fuerit, a *Maphaeo* excogitati p. 261.

D

Daniel ſuo legitimo inter Prophetas loco abſque dubio habendus eſt. Prophetico idem Spiritu indubie adflatus fuit, atque Prophetiarum ipſe ſuarum librum utique elucubravit: inter quas celebris profecto de *Hebdomadibus* lxx. Prophetia habenda eſt. Qua in re Thalmudiſtarum aliquorum, nec non Porphyrii, Hobbeſii, Spinoſae, Collini, Wolſthoni, &c. commenta non uno exſufflantur, modo p. 101. ſqq. Idem *Suſis* aliis, aliis in *Elymaide*, in Media *Ecbactanae* aliis, aliis in *Perſide*, ſed verius *Babylone* defunctus, atque ſepultus exiſtimatur p.102. ſq. Vide-ſis V. *Hebdomades*, & V. *Meſſias*. Adhaec Danielis locum xi. 1. ſq., ubi tres in Perſide Reges, & quartus adverſus Graecos praeliaturus memorantur, in mendo cubare, atque novem omnino, quin etiam undecim ante quartum huncce Regem faciendum Regibus aliis fuiſſe locum contendens Joh. Clericus refellitur p.139.

Dedales apud Graecos Feſti dies erant ſane, qui annis 60. expletis agi ſtatuarum 60. In honorem in Monte *Cytheronio* ſolebant: quò ad Feſtum illud e Graecis convenire Urbes xiv. conſuebant; cremari eo in Monte *Jovis*, ac *Junonis* in honorem ligneae Statuae 60, atque

que *Tauri* 14, totidemque *Iuvencae* immolari p. 84.

Deus O. M. Samaritanis, ut & Hebraeis, haud *Iehovah*, reverentiae cauſſa, ſed *Semaa*, quo *Nomen* per Excellentiam ſignificatur, ſcribi, & nominari ſolet. Sic & Aegyptiis *Deus* adpellari *Emeph*, ſeu *Ebnudi*, item *Hamun*, ac *Phtas* ſolet: quarum de origine vocum obiter inquiritur. *Meſſias* vero Samaritanis *Haſceab*, ſicut & ipſe Deus in S. Scriptura *Haſſem*, ideſt *Excelſus*, adpellatus legitur p.400. ſq.

Dies a *Solis* occaſu, quoad *Paſchatis* indictionem, putandos fore, adeo ut *Plenilunium* poſt *Solis* occaſum, & ante mediam Noctem obtingens diei, non antecedenti, bene vero ſequenti tribuendum ſit, multis Betazzius ſuadere, haud invicte tamen, adnixus eſt p.246. ſq.

Dieteris, Cyclus Annorum 2. ideſt, a *Thalete* omnium primo apud Graecos inducta fertur. Ita nempe pariandis *Solis*, atque *Lunae* periodis, in *Lunari* anno dierum 347. dies alternatim 29, & 28. intercalari ſolebant. Quo ideo in Cyclo dies 15. ſuperabundare deprehenſi ſubinde ſunt: quem errorem ideo *Trieteridis* ope a Graecis emendare, inaniter tamen, elaboratum eſt p. 5. ſq. Sed enim *Trieteris* & ipſa vitio laborare deprehenſa eſt, quatenus in ea dies 20. abundabant: Annus ſiquidem dierum 360. ſupputatus dies *intercalares* 10. dumtaxat, non 30. intra biennium admittebat p. 7. *Dieteris* etiam olim Aegyptiis adhibita, ex eaque per dies 360. reperita confectus fuiſſe Cyclus annorum 1460. traditur p. 7. ſq.

Diodori Siculi ex libris 40. hodie libri 15. dumtaxat ſuperſunt, a 1. ad 5, indeque ab 11. ad 20. Ab eo vero *Olympiades* Menſibus anticipari ſex, *Conſules* vero Romani ſexennio retardari Viris doctis obſervatum eſt, nobiſque oſtenſum p. 10, & Volum. ſq. magis oſtendetur.

E

Edeſſa Urbs in Meſopotamia varia variis ſub aetatibus tuliſſe nomina, juxtaque varias ad computandos annos Aeras uſurpaſſe legitur p. 463. ſqq. Edeſſeni Regni adhaec inſtitutio *Orboi*, ſive *Oſrhoi*, unde *Osbroenae* inditum Regioni nomen eſt, referri accepta ſolet: cujuſce Regni qua ſucceſſorum catalogus attexitur, qua diverſa, & adverſa indicantur facta, qua exordium, finiſque declaratur p. 468. ſqq., & 470. ſqq. Cuinam ex hiſce Edeſſae Regulis adſcripta, quae circumfertur ad Chriſtum D., viciſſimque a Chriſto D. ad illum Epiſtola referatur *ibidem*. Ad quos his e Regulis etiam referendi Nummi ſint, qui eorumdem praeferunt nomen p. 472. ſqq.

Eleutheria a Tributis, & a Praetorum judiciis immunitatem praeſtaſſe, quod haud praeſtitum ab *Autonomia* fuerit, aliquibus videtur. Contra vero idem cum *Eleutheria* fuiſſe *Autonomiam*, ſoloque diſtinctam nomine, alii ſentiunt, aliique verius *Eleutheriam* indicio, argumentoque fuiſſe Urbis ab hoſtibus

in

in libertatem adſertae cenſent alii p. 270. ſq. Vide-ſis V. *Antonomia*, & V. *Ateleja*.

Eleutherae Urbes olim fuiſſe memorantur *Amiſus*, *Apamea*, *Antiochia*, *Lacedaemon*, *Athenae*, *Laudicea*, *Sinopis*: ubi non ſecus ac *Amiſi* duplex olim Aera obtinuit, tam ideſt ab *Eleutheria* Urbi utrique indulta, quam a *Coloniae* jure utrique Urbi adtributo p. 271. ſq., & 294. ſq. *Eleutherae* fuere quoque Urbes *Tharſus*, *Rhodus*, *Laconica*, & *Lycia* Regiones, *Gaza*, *Joppe*, *Azotus*, *Samaria*, *Dora*, *Hippus*, *Pella*, *Stratonice*, *Dioſpolis*, *Jamnia*, *Mariſſa*, *Scytopolis*, *Hieroſolyma*, *Gadara*, *Ramathunta*, *Jerico*, *Sephora* Urbes; *Graecia* item univerſa, *Syracuſa*, ultra *Padum* Urbes, ac in Hiſpania aliae p. 272. ſq.

Emeſa novi olim Regis ſedes conſtituta legitur; ibique nova quoque ſub Regulo *Samo*, ſive *Soemo*, ſive *Soaimo*, uti diverſimode adpellatus a diverſis eſt, inſtituta fuiſſe Aera recte videtur. Qui alii ſubinde Emeſae Regnum obtinuerint Phylarchi, paucis indicantur p. 537. Vide-ſis V. *Samus*.

Epactae in Kalendariis ita *Gregorii* XIII. P. M. juſſu, conſilioque diſpoſitae fuere, ut diem *Lunae* primam indicent, non inceptam quidem, bene vero completam; atque initio a media utique Nocte facto; ea de cauſſa, ut eadem *Paſcha* die univerſa in Eccleſia rite obſervetur p. 247. Vide-ſis V. *Kalendarium*.

Epocha Graeco a verbo Ἐπέχω, Latine *Cohibeo*, dicta ideo eſt, quod ea certo veluti limite *Tempus* cohibeatur. Arabibus *Tarik*, vel a verbo *Arach*, quod eſt *Notare*, vel ex depravato Perſico *Mah-rouz*, quod eſt *Kalendarium*, adpellatur. Univerſim pro *Aera* accipi ſolet, quae primum apud Hiſpanos nomen, non ab *Auguſti* quidem Annorum initialibus litteris, uti quibuſdam viſum eſt, ſed a *Temporis* computo tuliſſe videtur. *Aera* vero aliis etiam rebus obſignandis adhiberi ſolebat p. 269. ſq.

Euſebius Caeſareenſis Antiſtes Cycli *Lunaris* XIX, atque *Solaris* XXVIII. auctor a Georgio Arbelenſi Metropolita Neſtoriano homine habetur, p. 451.

F

Feſta, quae apud Graecos ſolemniori agitari pompa ſolebant, multi profecto generis erant, atque praecipua fuiſſe ſequentia leguntur. *Panathaenea*, quae *Minervae* Athenis celebrare mos erat, eaque erant duplicia, *Magna*, quae anno 5. quolibet, *Parva*, quae unoquoque anno recurrebant. *Eleuſinia* in honorem *Cereris*, quae duplicia & ipſa erant, *Magna* in Eleuſi Urbe, *Parva* Athenis quinto anno quoque per dies 9. celebria, atque *Myſteria* vulgo dicta. *Panhellenia* Graecis Athenis feſta erant propria, communia Graecis erant *Heraclia*, ſive *Jolia*, Athenis, Sicyone, Ambraciae, Thisbis, Thebis, alibique ſolemnia p. 20. ſq.

Feſta quoque alibi alia, pro Urbium placitis, in honorem agi Numinis,

a quo

a quo ſperandum ſibi eſſet, conſuebant, uti *Throphonia* Lebadiae, *Eleutheria* Plataeis, *Eratidia* Thebis, *Orgia* ibidem, alibique, *Dionyſia*, quae ſane duplicia erant, *Archaea*, & *Aſtica* diverſis eodem anno Menſibus celebrari ſolita. *Lenaea*, quae *Poſideone* Menſe celebrare poſitum erat in more; *Actia*, quae in honorem *Apollinis* exinde *Actii* cognominati, ob victoriam ad *Actium* ſcilicet ab *Auguſto* relatam de *M. Antonio*, quinto anno quoque ſolemnia recurrebant. *Aſclepidaea* etiam in honorem *Aeſculapii* maxime apud Epidaurios celebria erant p. 21.

Feſta etiam in *Auguſtorum* honorem agitari Graecis, Latiniſque prae adulatione ceptum deinde eſt. Cujuſmodi erant *Euſebaea* in honorem *Hadriani* inſtituta ab *Antonino Pio*; quae Puteolis agi conſuebant. *Hadrianalia* in ejuſdem *Hadriani* honorem Athenis, Epheſi, Romae, alibique celebria. *Trajanalia*, alio dicta *Parthica* nomine, in *Trajani* honorem ob relatam de Parthis victoriam ab *Hadriano* indicta. *Commodalia* in honorem *Commodi* decreta a *Severo* ejus ſucceſſore. *Barbillea* in celebris Aſtrologi *Barbilli* honorem a *Veſpaſiano* Epheſi indicta, *Chryſantina* Sardis quarto quoque anno fieri ab *Alexandro Severo*, & *Antonio Gordiano* indulta. *Severia* item in *Severi* honorem ſolemnia *ibidem*.

Feſta alia Diis Tutelaribus adeo propria erant, ut peculiaribus a Populis, Urbibuſque obſervari ſolerent. Qualia *Dydimaea* Mileti *Apollini Dydimaeo* Sacra. *Lycaea* in Arcadia in *Jovis* honorem a *Lycaone* inſtituta. *Haleja* Rhodi *Soli* patrono, Tutelarique dicata. *Letaeja* in honorem *Latonae*, ac Romae *Palilia* in honorem *Paletis*; *Hyomenia* Argis; *Taurochatapſia* in Theſſalia; *Philadelphia*, ideſt Vini natalia &c. p. 21. ſq. Adhaec *Daphnephoria* Boeotis anno quolibet nono in *Apollinis* honorem, *Solis* ideſt, atque *Lunae*, ſolemni celebrari pompa ſolebant p. 49. ſq.

G

Geladdino in Perſica *Selgiucidarum* Dynaſtia Sultano III, cognomento *Melitkſchaco*, qui regnavit ab Hegirae anno 465, Aerae Chriſtianae 1072. per annos 20. uſque ad annum Hegirae 485, Chriſti 1092, veteri abrogata *Jezdegerdica*, nova inſtituta in Perſide Aera fuit, occaſione capta a novo Anni *Neuruz*, ſeu initio Verno *Aequinoctio* reſtituto p. 500. ſqq. Aera iſthaec vero *Gelaleddina*, ſive *Melicaea* dicta, quo ab anno exordienda ſit, non adeo convenit inter Chronologos. Verior ſententia tamen eſt hanc ab anno *Jezdegerdis* 447, Hegirae 471, Aerae Chriſtianae 1079. incepiſſe p. 501. ſq.

Graeci, ſive Macedones ab *Alexandro M.* uſque ad vulgarem *Chriſti D.* natalem in Syria, ab inito Babylone Regno, annos regnaſſe plus aliis, aliiſque minus feruntur a Scriptoribus qua Veteribus, qua Nuperis p. 154. ſqq. Quae propior ad veritatem accedere videatur, horum Chronologia Regum, capto ab *Alexandro M.* computi exordio, uſque ad Romani in

in Syria, & Aegypto Imperii cardinem, exponitur p. 156. ſqq., 159. ſqq., & 162. ſqq. Donec Syria a *Pompejo* Aerae Seleucidarum anno 250, Chriſti ante natalem 63, U. C. 691. Romanam in Provinciam redacta eſt, *Seleucidarum* imperio fine impoſito p. 164. Videſis VV. *Aegyptii*, & *Perſae Reges*.

H

Hebdomades LXX. Danieli IX. 24. ſqq. memoratae quo temporis ſpatio definitae intelligendae ſint: qua a temporis Epocha eaedem ſint incipiendae, quave finem habuiſſe cenſendae; & qua in Perſona demum adimpletae fuerint p. 101. ſqq. Videſis V. *Daniel*. Atque profecto *Hebdomades* aliae *Dierum*, aliae *Annorum* in S. Scriptura memoratae leguntur: hae vero, queis de loquutus eſt *Daniel*, fuere non *Dierum* utique, neque *Menſium*, ſed neque *Annorum Myſticorum*, neque *Sabbathicorum*, neque *Decenniorum*, neque *Jubilaeorum*, neque *Seculorum*, bene vero *Annorum* ſimplicium *Solarium* fuere p. 107. ſqq. *Hebdomades* hae vero *Abbreviatae* qua ita *Danieli* ratione dictae fuerint, multis oppido explanatur p. 119. ſqq.

Hebdomades LXX. hae porro ita tres in partes diſtributae fuere a *Daniele*, ut primo *Hebdomadae* 7, deinde *Hebdomadae* 62, ac demum *Hebdomas* 1, ſeu ultima, haud abſque Myſterio, adimplendae denuntiatae fuerint p. 122. ſqq. Quo jam vero a tempore *Hebdomades* 7, a quo perinde 62, a quove tandem 1. incipiendae fuerint, in quove adimpletae, & quo fuerint tempore, non una eſt ſane Interpretum cum Veterum, tum Recentiorum opinio, qua de operoſe p. 123. ſqq. Ita quoque de tempore, a quo *Hebdomadae* LXX. incipiendae fuerint, in quove finiendae, multiplex eſt inter Interpretes qua Judaeos, qua Chriſtianos opinionum differentia: inter quas attamen veri, quae haberi debeat ſimilior, nobis opinio deligitur p. 125. ſqq., 133. ſqq., & 137. ſqq.

Hebdomades LXX. haſce ſane a Perſarum Regum pro Judaeis Edicto, ideſt pro Urbe inſtauranda, exordium ducere oportet: quot vero Edicta fuerint iſta, queis a Regibus, quove edita anno, diſquiritur p. 169 ſqq. Non ab edicto *Cyri* ſane, neque *Darii Hyſtaſpis*, ſed ab Edicto *Artaxerſis Longimani*, eoque non Regni anno 7, bene vero anno 20. lato harum exordium *Hebdomadum* auſpicandum fore oſtenditur p. 170. ſqq., 174. ſqq. 177. ſqq., 179. ſqq., & 181. ſqq., *Hebdomadum* LXX. adhaec recta tam diſtributio, quam optima cum Prophetiis aliis, temporumque computis congruentia exponitur p. 183. ſq. In *Chriſto* D. denique *Hebdomades* LXX, juxta *Danielis* prophetiam, non vero in *Cyro*, neque in *Agrippa*, neque in *Antiocho*, neque in *Onia*, adimpletas fuiſſe planum oppido fit p. 184. ſqq. Judaeorum quinimo, multoque magis SS. Patrum unanimi confirmatur id teſtimonio: quae vero hinc ablu-

abludunt Scriptorum opiniones quorumdam prolixe refutantur p. 185. ſqq., & 194. ſqq.

Hebraei non una putandis annis ſemper uſi ratione ſunt, ſed modo a *Diluvio*, modo a *Linguarum* diviſione, ab *Ingreſſu* aliquando, aliquandoque ab *Egreſſu* Aegypti. Qua a *Lege* lata, qua a *Templi* vel aedificatione, vel excidio. Nunc a *Captivitate*, nunc a *Captivitatis* relaxatione. Poſt *Alexandraea* uſu ipſis Aera venit; perinde *Gemarae* obſignatio p. 297. ſqq.

Hebraeis Aera deinde a *Mundi* creatione frequentari hodiernum in diem aſſolet: quae ſane a *Mundi* conditu ad vulgarem *Chriſti* natalem annos 3760. computare ſolet: ea vero duplex adhiberi conſuevit, *Major*, in qua Millenarii exprimuntur numeri, ac *Minor*, in qua ſubintelligi Millenarii debent. Quos ſane Aerae *Judaicae* annos reperiendi Chriſtiana in Aera methodus traditur p. 300. ſqq. Hancce praeter Aeram, Hebraeis aliae paſſim, in Kalendariis praeſertim, uſurpari Epochae ſolent: in quibus attamen inter ipſos haud prorſus convenit omnes, queis de operoſe p. 302. ſqq. Vide-ſis V. *Aera*, & V. *Nummi*.

Herodoti celeber de gemino *Solis* ortu illinc olim, ubi nunc occidit, & occaſu illuc, unde nunc oritur, locus elucidatur p. 211. ſqq.

I

IDola multigeni ab Aſſyria generis in Samariam inlata leguntur: inter quae *Socoth-Benoth*, quo aliis *Gallina* cum Pullis, ideſt *Vergiliae* deſignatae videntur: aliis *Dearum* aedicula, *Veneris* dedicatum aliis Sacellum exiſtimatur p. 374. ſq. *Nergal*, quod *Gallinae* Sylveſtris fuiſſe effigies quibuſdam; aliquibus *Ignis* ſacrati *Soli*; pleriſque *Palmae* figura cenſetur. *Aſima*, quod *Hirci* formam praetuliſſe nonnullis; aliis *Simiae*, quibuſdam *Panis*; aliis *Satyri* videtur; *Ignis* diurnus pleriſque. *Nebahaz*, quo *Canis* ſimulacrum expreſſum cenſent aliqui; *Arietis*, ſive *Satyri*, ſive *Panis* alii; quod magis ad *Solem* referendum plerique opinantur. *Thartach*, quo *Solis* currus indicari putatur; *Aſini* figuram referre quidam, quod fortaſſis a *Tirgata*, ſive *Atergate*, ideſt *Venere*, ſive a *Dagone* haud diverſum fuit; a *Marte* alii indiſtinctum habent p. 376. ſq.

Idola item e Chaldaea in Samariam aſportata fuere alia, velut *Adramalech*, & *Anamalech*: quae ſane figuris *Muli*, & *Equi* a Judaeis exprimi ſolent: aſt vero *Pavonis*, aut *Phaſiani* ea referre figuras viſa ſunt aliis, atque his *Juno* quidem, illis *Saturnus*; quibuſdam *Mars*, aliquibus *Deus Ignis* exhiberi creditur. Idolum vero *Moloch* eo utroque indicari nomine, qua *Potens*, & qua *Pium*, idemque a *Baale* indiſtinctum aliis videtur: aliis vero a *Marte*, aut a *Mithra*, aut a *Venere*, aut a *Mercurio*, aut a *Saturno*, aut a *Jove*, verius ab uno *Sole* haud diverſum aeſtimatur p. 377. ſqq. Vide-ſis V. *Sol*.

Jezdegerdes, a quo celebris apud Perſas inducta Aera eſt, in Dynaſtia

ſtia *Saxanidum* Rex II, cujus filius Patris fuerit, a quo Regnum auſpicatus fuerit anno, quo fini conceſſerit ſuo, quo ideo ab anno, quave occaſione ſuo de nomine Aera nuncupata ſumpſerit exordium p. 495. ſq., & 497. ſqq. *Jezdegerdicae* porro Aerae iſti occaſionem fecit, non *Jezdegerdis* Regni exordium, aut exitus, bene vero Periodus *Minor* an. 960, quo ſcilicet anno Verno *Aequinoctio* reſtitutum eſt Anni initium p. 498. ſq. Regula denique Anni *Jezdegerdici* reperiendi in Aerae Chriſtianae annis traditur p. 499. ſq.

Indictiones apud Graecos, atque Latinos Epochis qua Sacris, qua Civilibus indicandis adhibitae, unde nomen obtinuerint? Cur annis xv. fuerint definitae? Eae ſane a *Conſtantino* M., Aerae Chriſtianae anno 312, non ante inductae videntur; Imperatorum vero nominibus deſignari ſolebant p. 52. ſq. Aliae porro *Canonicae* erant a Lege factae, *Extraordinariae* aliae a Magiſtratibus decretae. Rurſus aliae *Primae* erant, *Secnndae* aliae, aliaeque *Tertiae*; ideſt primo, ſecundo, & tertio ex *Auro*, *Argento*, & *Ferro* perſolvendae p. 53. ſq. Originem, & cauſſam *Indictionibus* feciſſe *Luſtrum* aliqui, Imperatorum *Quinquennalia* putant alii. Ad *Augnſtum* ideo fore referendas Graeci perſuaſum habent. Graecis vero aliis *Indictionnm* origo accepta *Julio* Caeſari referenda viſa eſt p. 54. ſq. Tardius viciſſim *Indictionnm* uſum ſub *Theodoſio* ſen. obtinuiſſe Graeci alii commenti ſunt. Verius a *Conſtantino* M., ut innui, Chriſti anno 312. fuiſſe inſtitutas recepta vulgo Doctorum opinio eſt: neque *Remiſſiones* debitorum Fiſcales per annos 15. ab Imperatoribus factae *Indictionibus* locum ſane fecere, veluti falſo perſuaſum Scaliger habuit p. 55. ſq.

Indictiones trifariam porro diſtingui ſolent, *Graeca*, quae & *Conſtantinopolitana*, eaque a Kalendis Septembribus incipit; *Caeſarea*, quae & *Imperatoria*, atque ab 8. Kalendas Octobris initium ducit, & *Pontificia*, quae & *Romana* dicitur, eaque a Kalendis Januariis exorditur. Quarta *Antiochena*, quae a Kalendis Maii, ſive *Artemiſii* die 12. inceperit, atque a *Pompejo* anno U. C. 705. inſtituta fuerit, a Scaligero perperam adjecta eſt, indeque derivatas *Indictiones* opinante, qui jure tamen a Noriſio, & a Longuerue refellitur p. 56. ſq. *Caeſarea* porro Indictio in deſuetudinem jamdiu abjit; *Graeca* vero, atque *Romana* toto ubique in Imperio obtinuit. Quadruplex adhaec *Indictionum* varietas inducta viſa eſt Gothofredo, ac Bandurio, ita ut *Italica* a Chriſti anno 312, *Orientalis* ab anno 313, *Proconſularis* Africae ab anno 314, *Africanae* Dioeceſis ab anno 315. inceperint. Verum ab eodem anno, Menſe, ac die *Indictiones* tam in Oriente, quam in Occidente incepiſſe oſtenſum liquido Emin. Noriſius dedit p. 57, ſqq. Tam denique *Romanae*, quae a Kalendis Januariis, quam *Graecae*, quae a Septembris Kalendis init, *Indictonis* annum in anno

Mam-

Mundi quolibet inveniendi methodus traditur p. 59. ſq.

Jordani duo nomen feciſſe fontes vulgo pleriſque videntur: verius ſed enim aliis unicam *Jordanis* eſſe ſcaturiginem obſervatum eſt p. 361. ſq.

Iſthmiades ab *Iſthmo* Corinthi, ubi peragi ſolebant, ita dicti, Agones erant funebres, variis agitari ſoliti modis in honorem *Melicertae* primum, *Athamantis* Thebarum Regis filii; in *Ini* poſtea Corinthi Reginae a *Siſypho* Corinthi Rege Chriſti ante natalem anno 1357. inſtituti; ac poſtremo in *Neptuni* honorem a *Theſeo* ante Chriſtianam Aeram anno 483. inſtaurati. Qui ſane Ludi bis in Olympiadum intervallo, anno 1. ſcilicet *Aeſtivi*, & anno 3. *Hyberni* agitari ſolebant: qui demum a *Juſtino* Imper. ſublati fuere p. 19. ſq.

Jubilaeus Annus, ſive Cyclus Annorum 49, aut 50, Divina apud Hebraeos inſtitutione, diu obtinuiſſe legitur p. 66. ſqq. Ejus porro de etymologia, ſive de voce *Jobel*, aut *Jubal*, aut *Jebul* tam Hebraica, quam Arabica, unde derivatus *Jubilaeus* diverſis videtur, multa diſputantur p. 67. ſqq. Aſt enim verior eorum videtur opinio, qui *Jubilaeum* tam ab Hebraea, quam Arabica voce *Jabal*, quod eſt *Fluxit*, deducendum fore malunt p. 69. ſqq. Annis 49. porro *Jubilaeum* definitum fuiſſe plerique docent p. 71. ſqq. Contra plerique alii *Jubilaeo* annos 50. fuiſſe comprehenſos pugnant p. 73. ſqq. Quae utraque opinio qua demum componi ratione recte queat, obiter exponitur p. 74. ſq.

Jubilaeus I. a quo ſane anno inceperit, quove deſierit ultimus, non eadem Doctorum eſt omnium ſententia. Quae fuerit *Mercatoris*, quae *Uſſerii*, quae *Imbonati*, que *Buddei*, quae *Lightfooti*, quae *Devignolii* &c. inter alias, proponitur p. 75. ſqq. *Jubilaei* inſtitutionis cauſſa non una fuit *Bonorum* diſtributio, atque *Tribuum* diviſio, ſed praecipua fuit *Peccatorum* remiſſio precibus, poenitentia, piiſque operibus impetranda: quam ob cauſſam *Jubilaei* deinde Romanis a Pontificibus diverſis indicti annis leguntur p. 76. ſq. *Hebdomadibus* LXX. adhaec *Jubilaeos* X. contineri obſervatum eſt. *Jubilaei* ſpecies etiam Indis Americanis obſervata, ex annis 52. confecti, in Rota quadam ex *Hebdomadibus* IV. annorum 13, ſingulis diverſis expreſſi coloribus conſpicitur p. 77. ſq.

Jubilaeis 85. definita *Mundi* duratio a Judaeis fuiſſe legitur, adeo ut ſub *Jubilaei* 85. initio, aut exitu *Meſſias* adventurus creditus illis ſit. *Jubilaeus* I. vero celebratus anno *Mundi* 2609, ante vulgarem *Chriſti* natalem 1405. fertur. *Jubilaeus* IX. in *Templi* I. dedicatione, Mundi anno 3001, ante Chriſtianam Aeram 1004. *Jubilaeus* XV. poſt decem *Tribuum* deportationem anno Mundi 3295, Chriſti ante natalem 712. *Jubilaeus* XXX. anno Mundi 4030, Chriſti D. aetatis anno 30. actus traditur p. 115.

Jus *Italicum* a Tributis *Immunitatem* praeſtitiſſe alii negant, verius adfirmant alii; Colonias ideo Jure Ita-

Italico donatas *Immunes* fuiſſe docentes. Cum Jure *Italico* tamen haud confundi Jus *Latii* debet: *Latii* enim Jus erat Jus Romae in aliqua Tribu ſuffragia ferendi, gerendique in Provincia Magiſtratum, atque ita Romanam adipiſcendi Civitatem p. 413. Quae vero Provinciae, Urbeſque Jure donatae *Italico* fuerint, quin aliae Civitate etiam *Romana* fuerint illuſtratae, obiter indicantur p. 414.

K

KAlendarium *Julianum* uſu Judaeis etiam veniſſe, poſt *Julii* Caeſaris ideſt obitum anno 49. perſuaſum habuit Baſnagius. Contra ab *Herode M.* poſt Urbem Hieroſolymam ab ipſo captam anno U. C. 718, Chriſti ante natalem 36. illud apud Judaeos fuiſſe inductum cenſet Petitus. Nonniſi ſub *Caracalla* viciſſim factum id denique autumat Dodvvellus. Poſt diſperſionem e contra Judaeorum in Aegyptum ipſis *Kalendarium* illud adhiberi dumtaxat occepiſſe Baſnagius opinatur p. 34.

Kalendarium *Gregorianum* tam inſcite, quam inutiliter emendare multi oppido auſi, conatique ſunt p. 215. ſqq. Vitiis equidem haud vacare ſuis *Kalendarium* hoc a Betazzio prae aliis oſtenſum eſt: quae facili tamen emendari vitia negotio queant p. 247. ſqq., & 251. ſqq. In eodem porro *Gregoriano* Kalendario, quod attente obſervandum eſt, ita diſpoſitae *Epactae* ſunt, ut facili trium Millium annorum ſpatio aequari ratione queant p. 257. ſqq., & 259. ſqq. Vide-ſis V. *Epacta*.

Kalendarium denique *Gregorianum* a Proteſtantium inſultibus vindicatur, in tutoque ponitur. Pontifici M. tum auctoritas illud procudendi adſeritur, tum laudi vertitur diligentia in illo procudendo, tum illius a Pontifice ita procurata emendatio oſtenditur, ut illo perfectius hactenus non prodierit: errores vero, ſiqui temporis progreſſu irrepere poſſint, emendari facile poſſe oſtenduntur; adeo ut Proteſtantes ipſi ambabus demum ulnis illud ad unum omnes admittere haud ambegerint p. 261. ſqq., & 265. ſqq. Quo demum pro *Kalendario* inſigne patratum Neapoli Miraculum facit p. 267.

L

LItterae aliae olim erant *Sacrae* ad Eccleſiaſticos Actus, *Profanae* aliae Civiles ad uſus inſervientes, Populis longe pluribus in more poſitae, velut Hebraeis, Aegyptiis, Babyloniis, Phoeniciis, Aethiopibus, Graecis &c. uſurpatae p. 332. ſq. Litterae porro veteres *Samaritanae* ſpecie haud diſtitiſſe a quadratis ipſis *Hebraicis* jamdiu Viris Linguarum peritis oppido plurimis haud inſcite viſae ſunt p. 339. ſqq.

Littera L, quae frequens in Nummis occurrit, qua Latinis, qua Graecis, neque *Luſtrum* indicari, veluti Scaligero perſuaſum fuit, neque Graecum Γ inverſum reputandum eſſe, uti Harduino viſum, neque Λυκάβας notae vice defungi, ut

Digitized by Google

ut imaginati Caſaubonus, ac Du-Cangius ſunt, bene vero vetus denotari Anni nomen, *Λυκαβάντος* ideſt, dilucide oſtenditur p. 410. ſq.

Livii celebris locus de Periodo *Romana* annorum 24. nequaquam depravatus fuit, neque pro 24. legendum aut 20, uti Petitus vult, aut 22, veluti contendit Scaliger, ut inde *Romanam* Periodum annis aut 20, aut 22. conſtitiſſe uterque ſuaderet, ſed veterem omnino lectionem pro 24. ſtantem fore retinendam oſtenditur p. 5, & 44. ſq.

Luna Aegyptiis, *Olympias* inde dicta, quod ſingulis Menſibus *Zodiaci*, Antiquis *Olympi* denominati, ambitum peragret, a Syncello refertur. Quae nempe a *Cancro* profecta Signa *Zodiaci* 12. obit diebus 29. cum dimidio, ac minutis 33.′ 3.″ quo in Curriculo dies adimplet 354, horas 8, minuta 40. Siquidem vero *Sol* diebus 365. cum $\frac{1}{4}$ eumdem percurrat *Olympum*, inde fit, Aegyptiorum opinione, Syncello teſte, ut *Solari* anno *Lunaris* diebus 10, horis 21, minutis 5. minor ſit. *Olympiadis* I. ſpatio denique *Sol* dies 1461. explet, *Luna* vero dies 1417, horas 11, minuta 29. Cui ſummae in *Octaeteride*, ſive geminata *Olympiade* additi *Embolimaei* dies 88. paria *Lunae* cum *Sole* faciunt p. 13. ſq.

Lunaris Menſis apud Aegyptios olim dierum 29, horarum 12, minutorum 45.′ erat: atque ideo Annus, *Lunaris* utique, e diebus 354, horis 9. coaleſcebat, qui Annus ideo *Solarem* haud aſſequebatur, ideſt cum *Solari* regredi nequibat in orbem, niſi poſt expletos *Lunares* 2920, ac *Solares* 2835. annos p. 212.

Lunae, *Solis*, ac *Ignis*, qui ſicuti Perſis, ita & Parthis in honore erant, figurae in *Arſacidarum* Nummis expreſſae conſpiciuntur paſſim; *Serpentium* itidem ad Regum *Parthiae* collum effigies, quos interfectos *Magis* offerre Perſis olim erat ſolemne p. 454. ſq.

Lunus *Deus* cum Pileo Phrygio, ſive Ruſtico, ac notis MHN., ideſt *Menſis*, ſcalpi olim in Phrygiae, atque Piſidiae Nummis ſolebat p. 360. Eidem Deo *Luno*, ſive *Lunae*, virili ſub habitu, ab Edeſſenis eximius olim delatus fuiſſe honor legitur p. 463. Charris etiam, Oſhroenes in Urbe Dei *Luni* cultum obtinuiſſe conſtat p. 477.

Luſtrum Graecae inſtar *Olympiadis*, a Romanis ad putandos annos fuiſſe adſumptum videtur, dum apud Graecos adhuc *Olympiadum* uſus obtineret. Ita vero *Luſtrum* eſt dictum vel ab Urbe *Luſtranda*, quod Cenſu *Quinquennali* fiebat; vel a *Luendo*, quod anno quolibet quinto ſolvi *Tributa* deberent; vel a *Luſtratione*, quae quinto anno quoque *Tauri*, *Ovis*, ac *Suis* fieri ſacrificio ſolebat; atque a *Servio Tullio* primum inſtitutum fuiſſe traditur p. 22. ſq.

Luſtrum primum *Servii Tullii* anno 10, U. C. 188, Chriſti ante natalem 565. peractum fuiſſe Scaliger putat; anno 11, aut 12. *Tullii* cenſet Panvinius: quod falſum oppido Petavius oſtendit, illudque *Servii Tullii* anno 4, aut 5, aut 6. conditum fuiſſe pugnat. Contra *Tul-*

Tullii anno 30, U. C. 205, ante Chriſtianam Aeram 548. actum *Luſtrum* illud fuiſſe opinatur Taſſinus: cui tamen haud auſcultandum opinor ego p. 23. ſq. A *Servio Tullio* porro uſque ad *Veſpaſianum*, ac *Titum* auctor eſt Cenſorinus *Luſtra* LXXV, non plura, fuiſſe peracta. Quo a tempore *Luſtrorum* deinceps loco Agones *Capitolini* ſubrogati fuere p. 24. ſq.

M

Menſis *Lunaris* apud Siamenſes Indos dierum 29, horarum 12, minutorum 41.′ 3.″ fieri ſolet: quo fit, ut *Lunaris* apud ipſos *Epacta Annua* ſit dierum 10, horarum 21, minutorum 6.′ 45.″, atque *Embolimaei* ſint anni 3. 6. 9. 12. 15. 18. 19, Annique XIX. *Epacta* ſit O: quae ideo *Liliana* perfectior *Epacta* Caſſino viſa eſt p. 63. Videſis VV. *Cyclus*, & *Epacta*.

Meſſias ſub Millenarii IV. exitum, aut Millenarii V. ſub exordium in Mundum adventurus veteribus Judaeis creditus eſt. Vetus eſt iſthaec Scholae R. *Eliae* Levitae traditio de Mundo ſex annis Mille duraturo, deque *Meſſiae* ſub Millenarii IV. finem, aut ſub Millenarii V. principio adventu: cui utroque ſubſcribere pollice traditioni Judaeorum doctiores haud dedignati ſunt: etſi ob Judaeorum ſcelera poſtea *Meſſiae* retardatum adventum fuiſſe comminiſci Judaei hodie ſoleant p. 111. ſqq., & 114. ſqq.

Meſſiae adhaec adventui a Judaeis alii praefixiſſe Mundi annum 5021, alii 4291, alii 5408, alii 5358, alii 5263, alii 5294, alii 5118, alii 3616, aut 3630, aut 3660, aut 3670, aut 3734, aut 3740, aut 3754, aut 3758, aut 3760, aut 3780, aut 3784, aut 3960, aut 4003, aut 4058. leguntur p. 115. ſqq. *Meſſiam* denique in S. Scriptura deſignatum jamdiu adveniſſe fateri Judaei plerique coacti ſunt; in ipſoque *Danielis* de Hebdomadibus LXX. Vaticinium impletum fuiſſe. Quin adveniſſe Mundi anno 5335, qui fuit Aerae Chriſtianae 1575, Judaeis pleriſque fuit perſuaſum, adeo ut pro *Meſſia* Impoſtores quidam ipſis habiti fuerint p. 117. ſqq., 185. ſq., & 194. *Meſſias* quo a Samaritanis adpellari nomine ſoleat p. 400. Videſis V. *Deus*.

Monarchiae quatuor a *Daniele* tam in *Statua* quatuor e diverſis conflata Metallis expreſſae, quam diverſarum quatuor *Beſtiarum* Imaginibus deſignatae, *Chaldaica*, *Perſica*, *Graeca*, & *Romana* intelligendae procul dubio ſunt. Alienum vero Proteſtantium aliquorum, ſiniſtrumque in ſenſum intortae interpretationes exploduntur p. 424. ſqq., & 427. ſqq.

Moyſis e libro *Geneſis*, ubi de Mundi Creatione agitur, interpolato anſam vetus Hetruſcus Scriptor arripuit comminiſcendia *Deo* in Mundi opificio, dierum 6. loco, annos 6000. impenſos fuiſſe; totidemque annos 6000. uſque ad Mundi finem interfluxuros eſſe; adeo ut *Mundana* Periodus annis 12000. per ipſum abſolvenda ſit p. 242.

Mundi duratio a Creatione annis ſex Mille

Mille a R. *Elia* Levita ita definita traditur, ut duo Millia *Inanitatis*, duo Millia *Legis*, ac duo Millia reliqua *Meſſiae* computata ſint: poſt quae Annus Milleſimus ſeptimus futurus *Magnus Annus Sabbathicus* ſit p.31, & 111. ſqq. *Mundi* adhaec durationi *Jubilaei* LXXXV. ita adſcribi Judaeis ſolent, ut in ultimo *Jubilaeo* adventus expectetur *Meſſiae*: quem ideo Mundi anno 4200, aut 4250. adveniſſe, Judaeorum opinione, jam oporteat. *Mundi* praeterea durationi ex Verpis alii tribuunt annos 5335, alii 5337, alii 5360: qui Aerae ſane Chriſtianae anni 1331, aut 1333, aut 1356. fuere p.115. Vide-ſis V. *Jubilaeus*.

Mundi rurſus ab exordio uſque ad vulgarem Chriſti D. in Carne *Natalem* quot Anni Graecis *Antiochenis*, quot *Alexandrinis*, quot *Conſtantinopolitanis* putari ſolerent p. 219. ſqq. Vide-ſis V. *Aera ab Orbe condito*. Quot inſuper apud Graecos alios *Mundi* durationi tributi anni ſint p.223. ſqq. Quot apud Scriptores alios Judaeos, Arabes, ac Latinos tributi legantur p. 240. ſq. *Mundi* adhaec a Creatione duratio quatuor dividi in Aetates, ſive Periodos ab Indis ſolet, immani prorſus omnes annorum ſpatio definitas p. 242. ſqq. Vide-ſis V. *Cyclus apud Indos*.

N

NEmeades Agones erant Funebres, qui primo Thebis in *Opheltae* memoriam inſtituti, in *Jovis*, exinde *Nemei* dicti, honorem deinde ab *Hercule* inſtaurati, traduntur, a *Nemea*, ubi peragi ſolebant, Pago, ac Nemore denominati. Queis indicendis Ludis Thebanos *Tetraeteride* primum, *Octaeteride* poſtea, *Enneadecaeteride* poſtremo uſos, primamque *Nemeadem* cepiſſe a *Novilunio* Hyberno *Solſtitio* proximiori quidam opinantur p.16. ſq. Ab Argivis porro *Nemea* fuiſſe inſtituta, dum Thebas oppugnarent, primam ante *Olympiadem* anno 475, plerique auctores ſe praeſtant. Queis Agones illi peragi modis, queis donari Victores praemiis ſolerent. *Nemeas* prima ſine poſt *Olympiadem* 65. putari cepit p. 17. Duplices adhaec *Nemeades* erant, aliae *Aeſtivae*, aliae *Hybernae*, atque ita quidem, ut Olympiadum anno 1. *Hybernas*, anno 3. *Aeſtivas* celebrari conſueviſſe putent aliqui; alii vero *Hybernas* anno 2, *Aeſtivas* anno 4. peragi conſueviſſe pugnent p. 18. ſq.

Nummi Samaritanis, aut Hebraicis inſcripti litteris alii pro legitimis, pro ſpuriis alii longe plures haberi debent. Quo a tempore legitimi apud Hebraeos procudi ceperint p. 311. ſqq., & 313. ſqq. A quo omnium primo *Nummi* ceperint obſignari? quique prae omnibus antiquiores, iique legitimi ne, an ſpurii reputari debeant p.315. ſqq. S. Scripturae porro loca, in quibus frequens *Nummorum* occurrit mentio, pleraque diverſas juxta Verſiones expenduntur p. 318. ſqq. Pondere ne, an valore ſupputari apud Hebraeos *Nummi* ſolerent? atque Pondus an duplex eſſet, *Sa-*

crum

crum pro Indigenis, ac *Profanum* pro Alienigenis p.320.ſqq. Ubi ſpeciebus de *Nummorum* aliquibus *Siclo*, *Semiſiclo*, *Dracma*, *Didracma*, *Mina*, *Talento*, *Statere* &c. agitur.

Nummos cudendi primus inventor perperam *Sarugus* fit. Aereae Monetae inventio *Lydo* Scythae tribuitur. Argenteae *Ericthonio*, ab aliis *Aeaco*, ab aliquibus *Indo-Scythae*, ſive *Lyro*. Aureae *Prometheo* a quibuſdam, ab aliis *Linceo*. Aureae, & Argenteae rurſus inventio Monetae *Oſimandyo* apud Aegyptios, *Jano* apud Italos, *Ithoni* apud Theſſalos, *Phidoni* apud Argivos referri diverſimode ſolet p. 323. ſq. Monetae adhaec ſignatae Trojana ante tempora uſum obtinuiſſe alii negant, adfirmant alii; hique ſub *Pylaemene* Paphlagoniae Rege, ac ſub *Hermodice* Phrygiae Regina flatos Nummos fuiſſe pugnant. Contra ante *Croeſum* apud Lydos, & ante *Darium Hyſtaſpem* apud Perſas Monetae Signatae needum auditum fuiſſe nomen alii propugnant p.324. ſqq.: ubi de *Drakmon*, & *Adarkon*, deque vetuſtis *Amynthae*, *Demonacis*, *Arceſilae*, *Ebthi* &c. Nummis obiter agitur.

Nummos obſignandi Argenteos uſus Athenis ante Olympiadem 67. haud obtinuiſſe videtur p.326. ſq.; ubi de *Boeis*, *Detaboeis Ecatombeis*. Apud Romanos ſub *Servio Tullio* Monetae inditum *Pecuniae* nomen, a *Pecudis* effigie in ea expreſſae, legitur: Argenti ſignati tamen uſus poſt U.C. annum 485, Auri vero poſt annum U. C. 547. obtinuiſſe videtur p.327. ſq. Ubi de ſpuriis, aut dubiis *Midae* in Phrygia, *Atydis* in Lydia, *Cecropis* in Boeotia, *Dardani* in Troade, *Lycurgi*, & *Lyci* in Laconica, *Gelonis*, *Hieronis*, *Theronis*, *Ducetii*, *Dionyſii* &c. in Sicilia, *Hecatomni*, *Mauſoli*, *Artemiſiae* in Caria &c., *Evagorae* in Cypro, *Timothei* in Ponto, *Dionyſii*, *Amaſtris* &c. ibidem Nummis agitur. Urbium plurimorum Symbola, quae ſcalpi in Nummis olim ſolerent p. 328. ſq. Qua ab aetate *Nummi* apud Hebraeos flari ceperint, quique ſpurii, quique genuini reputari debeant p. 329. ſqq. Queis *Nummi* vere apud Hebraeos genuini Characteribus flati olim fuerint? quaeve Samaritanis eos flandi Characteribus fuerit cauſſa p. 331. ſqq. Queis adhaec figuris apud Hebraeos *Nummos* inſcalpere fas olim eſſet p. 334. ſqq. Queis denique modis Siglae Hebraeis in *Nummis* expreſſae a Viris doctis lectae, explicataeque fuerint p. 342. ſqq.

Nummi porro Arabici *Mohammedi* poſt aetatem Bagdadi, Aſpahani, Samarcandae, Khiphae, Amidae, Moſuli, Scharchi, Aleppi, Iconii &c. procuſi extant, in quibus cum *Khalipharum* nomine *Sultanorum* epigraphe legitur. In hiſce vero qua Regum olim Syriae, qua Romanorum deinde Imperatorum Capita expreſſa conſpiciuntur, *Hegirae* vero anni conſignati leguntur: quod indicio eſt liquido Veteres Regum, & Imperatorum Nummos ab Arabibus ſuos ad *Khaliphas* fuiſſe translatos p. 505.

p.505.ſqq. *Nummi* qui Parthorum Regum inſcripti nomine, Aeraque fuerint p.520.ſqq. Qui viciſſim ad Reges Armeniae referendi ſint p.522. ſq., 524. ſq., & 529. ſqq. Quaeque in Regum Armeniae Nummis Epigraphe ſcalpta videatur p.543.

O

OLympiades apud Graecos Agones erant, qui anno quoque 4. in Elide Peloponneſi juxta Piſam Urbem, ac Templum *Jovis*, exinde *Olympici* dicti, in *Herculis* Aegyptii honorem agi ſolebant. Horum auctor *Hercules* fertur apud aliquos, apud alios *Epeis* accepta *Olympicorum* refertur inſtitutio. Eorumdem inſtaurator fuit *Iphitus* Chriſti ante natalem anno 880, aut 884: *Olympias* tamen, quae prima computari cepit, ea fuit, in qua victor exivit *Choraebus* Eleus, anno Chriſti ante natalem 776, uti fert verior opinio: etſi *Olympiades* ſex a Diodoro Menſibus, annis vero 12. a Plinio anticipatae legantur p.9.ſq. A *Plenilunio* autem, quod Aeſtivo *Solſtitio* proximius erat, ab *Hecatombaeonis* die 11. uſque ad 16. conſtanti peragi lege conſueviſſe Viris doctiſſ. oſtenſum eſt p.10.

Olympiades jam vero ſuo ut legitime tempore indicerentur, Graecis uſu *Octaeteridem* veniſſe aliqui, alii *Enneadeeaeteridem* opinantur. Adhaec ita *Olympiadis* annos fuiſſe diſpoſitos aliqui putant, ut annus 1. a *Novilunio* Aeſtivo *Solſtitio* proximiori, annus 2. a primo *Lunae* quadrante, annus 3. a *Plenilunio*, & annus 4. a quadrante *Lunae* ultimo inciperet p.11.ſq. Queis porro modis agi Ludi ſolerent *Olympici*, queiſve donari praemiis Victores; a quo demum, & quando ſublati *Olympici* fuerint Ludi; queis item in Urbibus, ac Provinciis agitati ejuſmodi Ludi ſint p.12. ſq. *Olympiadis* adhaec ſpecies, a *Lunae*, dictae aliquando *Olympiae*, motu deſumpto, uſu Aegyptiis veniſſe fertur p. 13. ſq. Vide-ſis V. *Luna*. Graecis omnibus porro Anno principium *Olympiades* faciebant, non idem tamen in Anno *Olympiadum* principium apud omnes erat p. 14. *Olympiades* demum a *Conſtantino M.* abrogatas fuiſſe, iiſque *Indictiones* ſuffectas Panvinius falſo ſcripſit, ut pote quae ſub *Theodoſio* Sen. adhuc obtinebant p.55.

Orgya feſta erant, *Myſteria* etiam adpellata, plena turpitudinis, quae Romae, Thebis, alibique alternis peragi annis in *Liberi* Patris honorem ſolebant: *Trieteria* ideo dicta, quod tertio quoque anno recurrerent; atque *Nyctelia*, quod Noctis tempore, unde *Nyctelii* etiam nomen *Bacchus* induit apud Poetas, Vino, genuſque turpitudinibus omnis agitari ſolerent p. 6. ſq.

P

PAlaeſtina diverſis ſub aetatibus, atque Principibus a diverſis diverſas paſſa ſaepe partitiones fuiſſe legitur: diviſa namque primo in *Tribus* decem fuit, in duo poſtea

Regna, in Regiones perinde, *Toparchias*, atque *Tetrarchias*, in unam adhaec *Provinciam*, atque poſtremo tres in *Provincias* diſtracta fuiſſe traditur p.345. ſq.

Parthiae Regum ab *Arſace* Imperii Parthici fundatore, atque deinceps Genealogia, Series, Regni exordium, Aetas, & exitus e Scriptoribus, ac Nummis exponitur, & illuſtratur. Nummos item *Arſacidarum* Regum nomine inſignitos legitimos ad ſuos reſtituere Reges curatur p. 453. ſqq., & 456. ſqq. Quae, & quot in Parthia, unde *Perſiae* fluxiſſe nomen videtur, Regiones comprehendi, & uſquequò diffundi a Geographis ſoleant p. 509. ſq. Quae ibi olim, ac deinceps ad putandos Annos frequentatae Aerae fuerint. Quo ab anno Parthici ab *Arſace* fundati Imperii Epocha, & Epochae ideo *Parthirae* capi exordium debeat p.510. ſqq., & 513. ſqq. Parthorum denique Regum ab *Arſace*, ac deinceps Catalogus, una cum Regum aetate, contextus exponitur p.517. ſqq.

Paſcha a Judaeis duobus continuo diebus celebrari tum cepiſſe, poſt quam vitio laborare Cyclus annorum 84, quo pro celebrando *Paſchate* uti pridem ſolebant, deprehenſus eſt, obſervat Bucherius. Ideoque a Chriſto D. *Paſcha* poſtremum die pridem, quam a Judaeis celebratum fuiſſe, prout memoriae a SS. Evangeliſtis traditum eſt p.35. *Paſchata* Judaica quo anno, dieque primum in Aegypto, perindeque in Judaea, juxta computum, qui a *S. Cypriano* ab Egreſſu ex Aegypto uſque ad Aerae Chriſtianae annum 243. elaboratus traditur, celebrata fuerint p. 48. ſq. *Paſchali* feſto rite celebrando quaedam a Betazzio regulae praeſcriptae fuere, de quibus agitur p. 249. ſq. Vide-ſis V. *Kalendarium*.

Perſae Reges, qui Babylone a *Cyro* uſque ad *Alexandrum M.* imperarunt, quatuor, aut quinque dumtaxat ex S. Scriptura innoteſcere quibuſdam cum ex Judaeis, tum ex Chriſtianis falſo videntur: plures namque fuiſſe ex Hiſtoria cum *Sacra*, tum *Profana* invicte demonſtrantur p.131. ſqq., 133. ſqq., & 139. ſqq. Tres inter Perſarum Reges, & quartum *Danieli* memoratos locum novem aliis, quin imo tredecim faciendum Regibus eſſe locum opinatus Joh. Clericus refellitur *ibidem*. Ex profana Hiſtoria porro Reges Perſarum aliis plures, aliis pauciores recenſiti leguntur p.140. ſq. De *Perſici* quoque Regni duratione non una Chronologorum eſt opinio. Neque major eſt de Regnorum annorum numero, exordio, ac termino concordia p. 141. ſqq. Quae verior tamen habenda ſit Regum Perſarum ſeries, numerus, Regnique initium, duratio, & exitus, exponitur p. 143. ſqq., & 145. ſqq. Quis ex his *Aſſuerus* fuerit *Eſdrae*, quiſve *Aſſuerus* Maritus *Eſtheris* p. 149. Perſicam contra Chronologiam objecta ex *Mardochaei*, *Zorobabelis*, *Sanballati*, *Eſdrae*, ac *Nehemiae* aetate deſumpta diluuntur p.149. ſqq.

Perſae Reges in Syria a *Nabonaſſaro*

Digitized by Google

ac deinceps annos 208. regnaſſe ex Theonis Canone oſtenduntur; poſt ipſos Graeci ab *Alexandro* M., ac deinde per annos 267.; atque perinde *Romani*, ex quo a *Pompejo* in Provinciam redacta Syria eſt, uſque ad vulgarem Chriſti natalem annos 59, omnes ſimul per annos 534. p.164. ſq. Eadem *Graecanici* Imperii ab *Alexandro*, & deinceps in Aegypto annorum fere ſumma colligitur: ab *Alexandro* ſiquidem uſque ad *Auguſti* annum 1. ab *Aegyptiaca* Epocha, Chriſti ante natalem anno 29, in Aegypto regnaſſe Graecos annos 294, aut 296. oſtenditur; quibus additi *Perſarum* anni 208, *Auguſti* 30. efficiunt annos 534. ante Chriſti natalem p.168. ſq. Quot a Perſis Regibus, & quo anno pro Judaeis *Edicta* fuerint edita p.169. ſqq. Perſis adhaec Regibus an in vita in Regni ſocium filium, quem mallent, adſciſcere poſitum eſſet in more, obiter inquiritur p. 179. ſqq.

Perſidis nomine quot, & quales hodie, quamque peramplae comprehendi Provinciae ſoleant p.482. ſq. Perſis olim quae, & a quo deductae capite uſu Epochae venerint p.483. ſqq. Vide-ſis V. *Aera Perſica*. Perſae adhaec diverſis olim apud Graecos adpellati nominibus leguntur; de *Perſis*, aut *Perſei* aliis, ab Hebraea voce *Paraſin*, ſeu Arabica *Pharaſin*, qua *Equus* ſignificatur, aliis ita dicti videntur p.484. ſq. Veterum Perſarum Regum porro geminae feruntur Dynaſtiae *Piſchdadiana*, ideſt *Rectorum* una, & *Kajanidica*, ideſt *Gigantum* altera, qua de utraque multis agitur p.485. ſqq. Quo denique anno *Perſicum* defecerit Imperium ad Arabes translatum p. 495. ſq.

Perſica contra Chriſtianos a *Sapore* II. mota perſecutio, quae ſub *Conſtantino* M. efferbuiſſe fertur, quo anno ceperit, quove deſierit, haud inter Doctos omnino convenit; quae veri tamen haberi ſimilior debeat, Epocha ſtatuitur p.491. ſqq. Perſidis demum Imperio in partes diſcerpto, poſtquam illud ad Moslemos, Arabeſque pervenit, diverſis hujus in Provinciis diverſo tempore Dynaſtiae fundatae diverſae fuere, queis de abunde diſſeritur p.503. ſqq

Plinio annis 12. anticipari *Olympiadum* exordium obſervatum eſt: qua in re Plinio adhaerendum ratus quidem Harduinus eſt, ſed a recepta haud fore recedendum opinione cenſemus p.10.

Pythiades apud Graecos Agones erant ab *Apolline* inſtituti poſt devictum *Pythonem*, qui aliis *Serpens*, aliis *Tyrannus* habitus eſt: qui perinde Ludi in ipſius honorem *Apollinis* agi Delphis, atque deinde alibi diverſis ſolebant modis p.14. ſq. Quali praemii genere decorari Victores ſolerent: quo primum anno celebrari Delphis *Pythiades* occeperint: in quem *Olympiadis* annum incurrerent, quemve anni Menſem. Quae *Pythiadibus* indicandis Periodus inſerviret; a quove demum, & a quo ſublatae fuerint anno p.15. ſq.

Q

Quinquennalia non ſecus, atque *Pentaeterides* Graecis, atque *Olympiades*, apud Romanos Agones

nes erant quinto anno quolibet agitari ſoliti. Cujuſmodi erant *Luſtrum*, Ludi *Actiaci*, Agones *Capitolini*, certamina *Neronia* &c., quibus, Periodi inſtar, ad putandos annos uti Romani ſolebant. *Quinquennalia* porro a *Catone* primum, tum a *Sylla* poſtea Olympiade 175. Romam inducta fuiſſe leguntur p.22. Vide-ſis V. *Luſtrum*. Celebriores e *Quinquennalibus* jam vero fuere Ludi *Actiaci* Nicopoli prope *Actium* Promontorium ab *Auguſto* U. C. anno 755, Aerae Chriſtianae anno 2, in *Actiacae* Victoriae de *M. Antonio* relatae memoriam inſtituti; indeque Alexandriam, Romam, Antiochiam, Judaeam, Neapolim &c. translati, ubi *Auguſtales*, *Italici*, *Romani*, *Sebaſtonici*, *Iſelaſtici* &c. adpellati Ludi hi leguntur p.25. ſq.

Quinquennalia apud Romanos item erant *Vota* pro Reipublicae, atque Imperatorum incolumitate nuncupata; Provinciarum etiam adminiſtratio cum Belli pondere ad *Quinquennium* demandata, atque ſuſcepta; Imperium quinimo ad *Quinquennii* tempus collatum: quod in aliud ſaepe *Quinquennium* prorogatum, inde *Decennalibus*, *Vicennalibus*, ac *Tricennalibus* ortum fecit; ad anni finem vero agi pro laetitia Ludi ſolebant. Quorum feſtiva occaſione ſane *Indulta* ſaepe conceſſa, *Templa* dedicata, *Urbes* novae conditae, *Tributa* relaxata, *Inſcriptiones* elucubratae, *Filii* in conſortium Imperii adſciti, vel adoptati &c. leguntur p.26. ſq.

Quinquennalia Romae Certamina pleraque alia ab Imperatoribus paſſim inſtituta fuiſſe conſtat. In quibus triplex a *Claudio Nerone*, inde *Neronianum* etiam dictum, Romae *Muſicum*, *Gymnicum*, & *Equeſtre*, U. C. anno 813, Aerae Chriſtianae 60. indictum eſt, a *Gordiano* deinde inſtauratum. Aliud a *Domitiano* etiam *Jovi Capitolino*, illudque triplex itidem, *Muſicum*, *Gymnicum*, & *Equeſtre*, anno U. C. 839, Chriſtianae Aerae 86. dedicatum eſt p.28. ſq. *Albanus* inſuper Agon ab eodem *Domitiano* inſtitutus legitur: prae quo tamen longe nobilior ſemper Agon habitus eſt *Capitolinus*, ad putandos annos pro *Luſtro* deinceps apud Romanos uſurpatus p.29. ſq.

S

Sabbathicus apud Hebraeos, Divina inſtitutione Annus inductus, a *Thiſri* Menſis VII. die 10, quae *Expiationis* erat, inceptus uſque ad finem anni 8. ſequentis, juxta quoſdam; aut a die 1. *Thiſri*, juxta alios, initus uſque ad diem 1. *Thiſri* ſequentis anni dinumerari ſolebat p.30. ſq. Primus porro *Sabbathicus* Annus celebratus fuiſſe anno 14. ab *Ingreſſu* Iſraelitarum in *Palaeſtinam* quibuſdam, verius anno 7. aliis videtur p.31. ſq. Quae de *Sabbathici* I. anni Epocha, ſequutiſque *Sabbathicis* aliis, nec non *Jubilaeis* annis, variae ſunt Gerardi Mercatoris, Uſſerii, aliorumque ſententiae, quae operoſius exponuntur p.32. ſq. *Sabbathicos* porro Annos a Mundi anno 2800, Chriſti ante natalem 1625, ab *Exodo* 46. inchoare Samaritanis ſolemne fuit. Quo vero ab anno *Jubilaeos* & ipſi Annos inciperent, non una opinio eſt, qua de p.393. ſq. Vide-ſis V. *Jubilaeus*.

Sa-

Samaria diverſa ſub aetate diverſa tuliſſe nomina, diverſaque ſubiiſſe pro diverſitate temporum, atque rerum fata legitur p.368. ſqq. Quo locorum, quo tempore, queis ab Aſſyriae Regibus abducti veteres Samariae Incolae fuerint? Quo ex genere, quove a Rege deinde novis Samaria Colonis inhabitanda fuerit conceſſa p.369. ſqq. Quos ad *Patriarchas* origines falſo ſuas referre Samaritani haud veriti ſint p. 370. ſq. Ubi perperam *Abaronnem* origine Samaritanum impuro a *Mahommedo* fieri obſervatur. Quae odii Samaritanos inter, ac Judaeos, quotuplexque fuerit cauſſa p.371. ſqq. A quo & quando Templum in Monte *Garizim* pro Samaritanis aedificatum fuerit, atque perinde deſtructum: qualis fuerit Samaritanus *Pentateuchus*, a quo delatus, & queis exaratus fuerit litteris p.373. ſqq, 383. ſqq., & 385. ſq. De *Samariae* Urbium Epochis vide-ſis V. *Aera*. Quae, a quibus, quove tempore fata Samaria ſubierit p.386. ſqq., 401. ſq., & 405. ſq.

Samus in Numo ſingulari in ſcriptus, de quo digladiati adeo Viri docti ſunt; quove ſane adpellati nomine Viri plerique leguntur p.531. ſqq., & 535. ſqq., *Samus*, inquam, idem ac *Soemus* fuiſſe videtur Emeſae Regulus. A *Sames* vero, unde *Saemia* Syris eſt *Venus*, Arabibus *Sol*, unde *Chemes* apud Phoenices, *Cames* apud Sinas, *Zemes* apud Aitanos, derivatum *Sami*, ſive *Soemi* videtur nomen; unde & *Sampſa*, *Zama*, aut *Sama* dicta etiam *Luna* eſt, atque *Sampſaei* denominati *Solis*, ac *Lunae* cultores leguntur p.537. ſq.

S. Scripturae loca quaedam in Textu Hebraico ab Hebraeis potius, quam a Samaritanis depravata fuiſſe Viri plerique docti, aliique viciſſim a Samaritanis utique, ab Hebraeis nequaquam fuiſſe corrupta pugnant p. 386.

Sectae e Judaeis tergeminae *Phariſaeorum*, *Sadducaeorum*, & *Aſſidaeorum* exortae leguntur: quarum de ſingularum auctoribus, aetate, erroribuſque diſquiſitio inſtituitur p. 396. ſqq.

Seculum apud Romanos Annorum 110. olim fuiſſe, cepiſſeque Romano cum *Luſtro* anno 10. *Servii Tulli* perperam ſcripſit Scaliger, refutatus ideo a Petavio, ac Pagio: quod & ipſum alii docuere p.93. ſq. Fuiſſe annorum 100. aliis videtur, atque viciſſim alii *Seculares* utique Ludos certo nullo temporis ſpatio fuiſſe definitos opinati ſunt p.95. ſq. Poſtremi, ordineque noni Ludi *Seculares* non utique ſub *Honorio* Impera., ſed a duobus *Philippis* patre, filioque celebrati fuere p.96. *Terentini* etiam a loco Campi Martii dicti hi Ludi ſunt. Quo tempore peragi Ludi hi, quae Feſta in hiſce celebrari Ludis, Sacrificia item fieri, Populoque beneficia impertiri ſolerent p. 96. ſq.

Sol prout Annum facere diebus 365. putabatur, apud Boeotos ſub *Apollinis* nomine ſolemni coli feſto, atque Florum Coronis 365. deſignari ſolebat p. 49. ſq. Aſtro, diſco, meniſco tam *Sol*, quam *Luna*, prout Annum faciunt, deſignati apud Pergamenos, Delios, Rhodios, alioſque plures in Nummis adparent. Ita quoque, prout *Zodi-*

Zodiaci ſigna duodecim perluſtrant, qua *Sol*, qua *Luna* imaginibus fuiſſe expreſſi conſpiciuntur in Nummis Auguſtorum in Syria, & Aegypto ſcalptis. Ita *Solis* diverſus in ſigna ingreſſus ſymbolis *Arietis* in Nummis Niſibi percuſſis, *Tauri* Heracleae, *Geminorum* Tripolis, *Cancri* in Aegypto, *Leonis* Beryti, *Sagittarii* Boſtris, & Rheſaene, *Scorpii* in Africa, & Commagene &c. expreſſus conſpicitur. Ita *Sol*, & *Luna*, prout diverſas efficiunt Periodos apud diverſos exprimi diverſis ſolebant Symbolis, in *Mercurii* Caduceo, & *Proſerpinae* Curru ut *Dieteridem* explet; in *Apollinis* Lyra, & *Iſidis* ſiſtro ut *Tetraeteridem* abſolvit; in *Herculis* Lyra, ac *Meduſae* capite, ut *Heptaeteridem* complet &c. p. 50.

Sol adhaec, & *Luna* diverſis apud *Ethnicos* deſignati nominibus uno, eodemque pro Numine habiti, cultique ſunt. Ita *Sol* apud Aſſyrios pro *Saturno*, atque *Juno* pro *Luna*; idemque Latinis *Sol*, atque *Baal* Phoeniciis, qui *Bel Aſſyriis*, qui *Mithra* Perſis, qui *Hamilca* Poenis, qui *Helius* Graecis, qui Syris *Ilus* reputatus eſt. Nec aliud niſi *Solem*, atque *Lunam* ſignificabant apud Aegyptios *Oſiris*, *Iſis*, *Ammon* &c., apud Ninivitas *Neval*, & *Niſroch*, apud Babylonios *Nebo*, & *Sabach*, apud Phoenices *Baal*, & *Aſtartes*, apud Graecos *Chronus*, *Juno* &c., apud Azotios *Dagon*, & *Atergates*, apud Moabitas, & Madianitas *Chamos*, *Beelphegor*, apud Ammonitas *Moloch*, *Rempham* &c., apud Chaldaeos *Chevan*, apud Sinenſes *Kiun*, apud Coptos *Cheres* &c. Ita qui Aegyptiis *Phtas*, Phoeniciis *Chryſor*, & quae Graecis *Minerva*, & Aegyptiis *Neitha*, Latinis *Sol*, & *Luna*, Arabibus *Urotal*, Aſſyriis *Militta*, Perſis *Mader*, & Syris *Mauladtha*. Apud Phoenices itidem *Baalſamen* idem erat, atque *Agul-Baal*, & *Malach-Bal* apud Palmyrenos; qui Poenis *Melchartus*, & *Uſorus*, idem Arabibus *Duſara*, & *Oboda*, idem Aegyptiis *Oſiris*, & *Iſis*, ac Bybliis *Adonon* idem Graecis *Dodon* erat &c. Apud Phoenices *Jaribolus*, *Madbachus*, & *Selamen* non alii, quam *El*, ac *Mithras* apud Perſas; *Phre*, aut *On* apud Aegyptios, *Marnas* apud Palaeſtinos erant, *Sol* ideſt, atque *Luna* variis deſignati nominibus, officiis, & effectibus p. 379. ſqq., & 382. ſq. Perſis denique *Sol* veteri Pheleviana lingua *Schid* adpellatus legitur, unde a *Sole* cognomen *Gemſcides* mutuatus videtur p. 488.

T

Talentum Aureum Hebraicum continebat Argentea Talenta 16, Argenteum vero Minas 50, ſive Hebraicos Siclos 3000. valebat, eratque pondere Marcarum 133, unc. 6, groſſ. 3, cum dimidio, gran. 22½, atque Libras Gallicas 4866. ſolidos 13, denarios 4. valebat p. 387.

Taliſmanni Perſico, vel Arabico, ſive Graeco nomine *Illuſio*, ſive *Phantaſma* Latinis venit. Emblemata vero ſuperſtitioſe Nummis, aut Lapidibus, aut Chartis, aut,

aut Tabellis, aut Gemmis inſcalpta, *Taliſmanni* erant, ad infortunia propulſanda confićti, ignotiſque, aut Sacris etiam inſcripti litteris, *Amuleta* item dićta, iique olim Judaeis, Chaldaeis, Aegyptiis &c., ac deinde Gnoſticis, Baſilidianis &c. uſurpari ſolebant p. 337. ſqq.

Thalmudi Opus apud Hebraeos aliud Babylonicum, aliud Hieroſolymitanum eſt; inque duas utrumque partes *Miſchnam*, atque *Gemaram* dividitur, qua de utraque, de utriuſque auctore, aetateque, qua elucubrata utraque fuit, copioſe, prout opus exigit, agitur p. 297. ſqq.

Themiſtocles ad Perſarum Regem confugiſſe legitur: is vero an *Xerſes* fuerit, an *Artaxerſes*, diſputant Viri docti. Verius ſed enim fuiſſe *Artaxerſes*, iſque *Longimanus* videtur p. 179. ſqq.

Theo Alex. Canonis Regii Aſtronomici, quo nempe Regum Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Graecorum, ac Romanorum Imperatorum a *Nabonaſſaro* uſque ad *Antoninum Pium* Chronologia texitur, genuinus haberi auctor debet; maximaeque auctoritatis Canon iſte loco cenſendus eſt p. 145.

V

Vocales apud Syros ad quinque Graecarum Vocalium figuras a *Theophilo* Edeſſeno Monacho fuiſſe conformatas, eorumque ſuos apud Gentiles inductum primo uſum fuiſſe, atque earumdem formam in Codice MS. Edeſſeno Commentarii *S. Ephraem* in Oſeam exhiberi Cl. Aſſemano obſervatum eſt p. 447.

Urbes foederis vinculo perſaepe inter ſe copulatae, adeo ut mutua ſe adjuvare ope deberent, quin etiam *Civitatis* Jure ſe adficere invicem, Urbeſque alias eodem decorare titulo non abſtinerent, in Nummis paſſim leguntur p. 274. ſq. Quae porro Urbes aut *Eleutheriae*, aut *Autonomiae* privilegio illuſtratae fuerant, pro beneficii memoria, novam inde Epocham ſaepius inſtituiſſe multis oſtenduntur p. 271. ſq., & 294. ſq. Vide-ſis VV. *Autonomia*, & *Eleutheria*.

Urbes Deorum, aut Imperatorum, aut Regum nomine cognominatae pleraeque leguntur: *Aeliae* de *Hadriano* Hieroſolyma p. 346. ſq.; Capitolias a *Jove Capitolino* p. 348. ſqq.; Caeſarea de *Caeſare* ab *Herode*; item Dioſpolis a *Jove* in Palaeſtina; de *Septimio Severo* Eleutheropolis in Palaeſtina *Luciana Septimia Severiana*; ita & *Tavium* in Galatia, Aegea, in Cilicia Tarſus, in Syria Laodicea; Amaſia in Ponto, in Paphlagonia Amaſtris &c. p. 353. ſq.; ita & a *Victoria* nomen tulere Nicopolis in Judaea, *Emmaus* ante dićta, Nicopolis ad Actium &c. p. 355.

Urbes in Judaea quinque Synedrio celebres olim erant, *Hieroſolyma*, *Gadara*, *Hiericus*, *Sepphora*, & *Amathunta* p. 355. ſq. *Ptolemaei Laturi* nomen Ptolemaidi etiam, olim *Acco* dictae, adhaeſit p. 356. ſq. De *Claudii* nomine ab *Agrippa* Gaba *Claudia* denominata eſt p. 358.

358. ſq. *Tiberii* primo, *Claudii* deinde nomen tulit *Tiberiadis*, & *Claudiae* Urbs Rakkat in Galilaea p. 359. A *Jove* primum, ab *Hadriano* perinde *Diocaeſarea*, & *Hadriana* nuncupata Sephoris eſt p. 360 ſq.

Urbes ita & aliae in Palaeſtina quammaxime a Diis, vel ab Auguſtis novum tulere nomen. Paneas, olim *Lezen*, ſive *Dan*, ſive *Lais* credita, de *Pane* Deo, vel de *Panio* Monte; Caeſarea deinde de *Caeſare* vocata a *Philippo*, demum *Nerodias* de nomine *Neronis*, ſive *Nerei* adpellari ab *Agrippa* juſſa eſt p. 361. ſq. Caeſarea iten *Auguſta*, itidemque *Claudia* adpellata legitur p. 363. Julia Urbs adhaec *Juliae*, antea *Liviae*, nomen induiſſe duplex legitur, *Bethárampta* una, *Bethſaida* altera credita p. 365. ſq.

ERRATA. EMENDATIONES.

Pag. 2. lin. 10. ſuit fuit. p. 25. l. 25. Geograhis Geographis. p. 38. l. 2. diebus dictus. p. 50. l. 15. expreſſa expreſſa. p. 67. l. 13. conciſoquo conciſoque. p. 68. l. 5. יובלא יוברא. p. 91. l. 2. Paſcale Paſchale p. 112. l. 7. תוזה תווה. p. 147. l. 5. Coorelium Cornelium. p. 184. l. ult. praephreneſi prae phreneſi. p. 212. l. 8. illuc illic. p. 257. l. 4. Eclipſihus Eclipſibus. p. 295. l. 30. conjunctnm conjunctum. p. 332. l. 9. caedam eaedem. p. 349. l. 22, & 37. *Synopis Sinopis*, *Synope Sinope*. p. 360. l. 12. eſſigies effigies. p. 408. l. 25. contendes contendens. p. 443. l. 14. Pancirolnm Pancirolum. p. 535. l. 17. Eaphratem Euphratem. p. 557. col. 2. l. 1. prlore priores. p. 561. c. 1. l. 33. anniquo annique. p. 563. c. 1. l. 2. nude unde. p. 565. c. 1. l. 1. reperita repetita. p. 566. c. 1. l. 15. *Joppe Joppe* p. 576. c. 2. l. 25. ia in.

Digitized by Google